EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9. 7. 169.

Digitized by Google

VIII
VAR
1-5



Digitized by Google

Digitized by Google

LITERÆ PROCERUM EUROPÆ,

AB

IMPERATORIBUS, ELECTORIBUS, PRINCIPIBUS, STATIBUSQUE SACRI IMPERII ROMANO-GERMANICI

AD

REGES, PRINCIPES, RESPUBL. LIBERAS, ET VICE VERSA,

In multifariis,

Tam Lætitiæ, quam Triſtitiæ caſibus, nec non Belli ac Pacis negotiis, itemque Religionis cauſa,

Ab Anno 1552. usque ad Annum 1712.

Latina Lingua exaratæ,

IN TRES PARTES DIVISÆ,

ET IN LUCEM EDITÆ

a

JO. CHRISTIANO LÜNIG.

CUM ELENCH. ET INDICE.

LIPSIÆ,

Apud JO. FRIDER. GLEDITSCH & FILIUM.

Anno M. D. C. C. XII.

Digitized by Google


Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO,

DOMINO LUDOVICO RUDOLPHO,

DUCI BRUNSVICENSI ET LUNEBURGENSI, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

Sereniſſime Princeps,

Domine Clementiſſime!

Res magnæ maximo Jure conſecrantur magnis Principibus. Cum enim, Princeps Sereniſſime, omnia

Digitized by Google

omnia in hoc Libro collecta, ejusmodi ponderis ſint, ut a *Proceribus Europæ*, inter quos potentiſſima Brunſvicenſium & Luneburgenſium Domus, concordi Scriptorum ſuffragio, non poſtremum locum obtinet, originem trahant; facile mihi reddenda eſt ratio, qua inductus, *Serenitati Veſtræ*, tanquam Principi, cujus propenſus in Literas animus toti Europæ eſt notiſſimus, illum devotiſſimo & promptiſſimo corde dicare audeo. Accipiat ergo *Serenitas Veſtra* hocce munus chartaceum, obſequioſiſſima mente oblatum, clementi ac ſereno vultu, & illuſtret eum pretioſiſſimæ gratiæ Suæ radiis, qui Numen immortale indefeſſis fatigabit precibus, ut *Sereni-*

Digitized by Google

renitatem Veſtram cum tota Sereniſſima Familia incolumem, ac omni gloria florentiſſimam conſervet. Dabam Lipſiæ d. 18. Aprilis MDCCXII.

Serenitatis Veſtræ

Humillimus, obedientiſſimus & devotiſſimus Servus,

JO. CHRISTIAN. LUNIG.

Digitized by Google

AD
BENEVOLUM
LECTOREM.

Vantum utilitatis Literæ Procerum Europæ *tam in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quam Profana, de Stylo nihil dicam, habeant, ac quam inſigne momentum afferant ad tractanda Negotia publica, illud prædicari ſatis non poteſt. Et hoc eſt, Benevole Lector, quod Autorem hujus Libri commovit, haſce Literas, quas præſens luci exponit, ex variis fide dignis Scriptoribus ac diverſis Manuſcriptis admodum raris colligere, & hanc in formam, quæ Tibi illas exhibet, redigere. Initia ſumunt a fatali iſto Termino Transactionis Paſſavienſis, poſt quem glorioſiſſi-*

ſisſimus Cæſar Carolus V. *Imperio ſe abdicavit, usque ad initium Regiminis Invictisſimi nunc Imperatoris* Caroli VI. *cui Deus Ter Opt. Maxim. vitæ felicisſimæ exoptatum curſum dare, & contra hoſtes Romanæ Aquilæ victorias, aliam ſuper aliam concedere velit, quo tandem Europa, poſitis armis, ſecum conveniat, & quaſi poſtliminio Pace memorabili VVeſtphalica mox gaudeat, Vale.*

ELENCHUS

Digitized by Google

ELENCHUS LEMMATUM, LITERIS

ab Anno Christi 1552. usque ad Annum 1658.

in hac

PRIMA PARTE

contentis, præpositorum.

ANNUS MDLII.

I. Literæ *Mauritii*, Electoris Saxoniæ, ad *Emanuelem Philibertum*, Sabaudiæ Ducem, quarum vigore ipsi causas; quibus inductus cum Galliæ Rege fœdus inierit & arma contra Imperatorem sumserit, recenset, proque oblata ab ipso mediatione, grates persolvit, Anno 1552. pag. 1

ANNUS MDLVI.

(I) Literæ *Caroli* V. Rom. Imperatoris, ad *Joannem Osnabrucensem*, Cameræ Imperialis Spirensis Præsidem, *atque Assessores*, quibus ipsis, se in Hispaniam animum corpusque necessaria quiete reficiendi causa iturum Imperii administrationem Ferdinando Rom. Regi commisisse, nuntiat, illosque, ut eidem decenter obsequi & tanquam justitiæ Patroni suum cuique tribuere haud obliviscantur, clementissime hortatur, 1556. *Supplem.* pag. 769

ANNUS MDLVII.

(II) Literæ *Ferdinandi* I. Rom. Imperatoris, ad *Julium*, Episcopum Naumburgensem, cæterosque in colloquio Wormatiensi congregatos collocutores, quibus ipsos, qua ratione disidia inter utriusque Religionis Theologos exorta commode componi, & dictum colloquium ad exoptatum perduci finem queat, clementer edocet, 1557. pag. 778

(III) Literæ *Ferdinandi* I. Rom. Imperatoris, ad *Pium Papam* IV. cui de Pontificiæ, ad quod nuper evectus erat, dignitatis gratulatur faſtigio, 1560. pag. 777

ANNUS MDLXII.

(IV) Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Poloniæ Regis, ad *Auguſtum*, Electorem Saxoniæ, cui Fridericum a Caniz, ob clandeſtina ſponſalia, cum filia D. Chriſtophori Zobelii Lipſienſis, contracta, patria extorrem, ut ipſi ad patrios penates redire reconciliato & de ejus gratia ſecuro eſſe liceat, amice commendat, 1562. pag. 780

(V) Literæ *Ferdinandi* I. Rom. Imperatoris, ad *Pium Papam* IV. quem reverenter monet, ne Concilium Tridentinum tam fataliPatrum ibidem præſentium diſſidio ſuſpendi aut abrumpi patiatur, ſed ut illud ad exoptatiſſimum & ſanandis præſentium rerum vulneribus ſumme neceſſarium finem perduci curet, 1562. p. 782

II. Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Poloniarum Regis, ad *Ferdinandum* I. Rom. Imperatorem exaratæ; quibus commendat Legatum Cæſareum, ſeque de pacanda Hungaria anxie ſollicitum profitetur, ac omni cura effectu-

rum promittit, ut Nepos Johannes Sigiſmundus ſe in officio contineat, 1562. pag. 1

III. Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Polonorum Regis ad *Maximilianum* II. Romanorum & Bohemiæ Regem, de conſtantia in pacandi cum Nepote ſuo propoſito & modis, quibus Pax fieri poſſit, adinveniendis agentes, 1562. pag. 6

(VI) Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Poloniæ Regis, ad *Henricum Seniorem*, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus ipſi pro opera, ad pacem cum Sueciæ Rege faciendam oblata, gratias agit, & conditiones, quæ ſibi arriderent, articulis a Rege Sveciæ propoſitis, longe tolerabiliores eſſe aſſerit, 1562. pag. 790

ANNUS MDLXIII.

(VII) Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Poloniæ Regis, ad *Henricum Seniorem*, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus Curlandiæ Ducis cauſam ab eo apud Sveciæ Regem agi vehementer gaudet, & num a dicto Rege milites in Germania conſcribantur, quantocyus ſcire

ſcire cupit, 1563. pag.791
IV. Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Polonorum Regis, ad *Maximilianum* II. Romanorum & Bohemiæ Regem, quibus cauſam Bernhardi, Fogliolæ commendat, 1563. pag. 8
(VIII) Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Poloniæ Regis, ad *Ericum juniorem*, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus ſibi de amico ejus in ſe animo ſummopere gratulatur, milites autem ſtipendio & nomine ſuo conducī modeſte recuſat, 1563. pag. 792
(IX) Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Poloniæ Regis, ad *Ericum juniorem*, Ducem Brunſvico-Luneburgenſem, quibus quo in ſe animo feratur, ſcire deſiderat, 1563. pag.794
V. Literæ *Sigiſmundi Auguſti*, Poloniæ Regis, quibus *Friderico* II. Daniæ Regi victoriam ex Suecis reportatam gratulatur, eumque de armorum ſuorum ſucceſſu, futuro belli apparatu, rebusque aliis certiorem reddit, 1563. pag. 9

ANNUS MDLXIV.

(X) Literæ *Ferdinandi* I. Rom. Imperatoris, ad *Pium Papam* IV. a quo, ut Clericis conjugium, Laicis vero Calicis in S. Cœna uſum permittere haud gravetur, reverenter contendit. 1564. pag. 796
(XI) Literæ *Maximiliani* II. Romanorum Regis, ad *Johannem*, Archipræſulem & Electorem Trevirenſem, quibus Georgium Caſſandrum, Theologum, ad ſe quam primum transmitti deſiderat, 1564. pag. 801
(XII) Literæ *Maximiliani* II. Rom. Imperatoris ad *Pium Papam* IV. apud quem denuo, ut Clericis uxores ducere liceat, decenter inſtat, 1564. pag. 804
VI. Literæ *Maximiliani* II. Rom. Imperatoris, ad *Carolum* IX. Galliæ Regem ſcriptæ, quibus declarat, ſe ejus oratoris deſiderio, ut priorem locum ante Hiſpaniarum Regis Oratorem conſequatur, ſatisfacere non poſſe, 1564. pag. 12

ANNUS MDLXVI.

VII. Literæ *Emanuelis Philiberti*, Ducis Sabaudiae, ad *Auguſtum*, Electorem Saxoniae, quibus ipſi pro humanitate in Balthaſarem a Rauoyra, Oratorem ſuum

collata gratias agit, nec non præfatum Balthaſarem ac Chriſtophorum Hallerum ab Hallerſtain, ſuum ad Maximilianum II. Rom. Imperatorem Legatum, ipſorumque fidei commiſſa, porro commendat, 1566. pag. 17

ANNUS MDLXVIII.

IIX. Literæ *Auguſti*, Electoris Saxoniæ, ad Magiſtrum Hoſpitalis Hieroſolymitani, Fratrem *Johannem de Valetto*, exarata, quibus fortitudinis ab ipſo in defendenda Inſula Melite exhibita ſpecimina ſumma laude extollit, 1568. pag. 18

ANNUS MDLXXIV.

(XIII) Literæ *Maximiliani* II. Rom. Imperatoris, ad *Lazarum Lib. Bar. a Schwendi*, quibus illi candide exponit, quam vehementer fœdum Pariſiis perpetratum inauditæ lanienæ facinus, & iniqva Hiſpanorum in Belgas conſilia abominetur, 1574. pag. 808

ANNUS MDLXXV.

(XIV) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Emanuelem Philibertum*, Ducem Sabaudiæ, quibus humanæ fragilitatis vices, ob conjugem ejus præmatura morte extinctam Chriſtiane dolet, eum vero egregie & pie ſolatur, 1575. pag 811

(XV) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Emanuelem Philibertum*, Sabaudiae Ducem, quibus ipſi, ſe cauſam Montferratenſem Imperatori impenſe commendaſſe referri, & ut voti damnetur optat, 1575. pag 813

(XVI) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Henricum* III. Galliæ Regem, quibus ſe excuſat, quod afflicto Galliae Regno ſuppetias, ob imminens Germaniæ grave a Turcis & feroci Scytharum gente bellum, venire non poſſit, 1575. pag. 814

ANNUS MDLXXVI.

(XVII) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Annam* Principem ex inclyta Regum Polonorum ſtirpe natam, de pecunia mutua, quam ipſi Senatus Lipſienſis ſolvere debebat, agentes, 1576. pag. 816

IX. Literae *Stephani Bathorii*, Poloniae Regis, ad *Stanislaum Carncovium*, Epiſcopum Vladislavienſem, exaratae, quibus ipſi victoriam e Gedanenſibus reportatam, nihilque a Tartaris metuendum eſſe nuntiat, 1576. p. 20

X. *Ste-*

Digitized by Google

X. *Stephani Bathorii*, Regis Poloniae, Literae, ad *Stanislaum Carncobium*, Epiſcopum Vladislavienſem ſcriptae, quibus eum hortatur, ut conſilia adverſariorum ſecum communicet, 1576. pag. 21

(XIIX) Literae *Auguſti*, Electoris Saxoniae, ad *Ordines Regni Poloniae*, quibus Chriſtophoro, Duci Megapolitano, reſiduam ſtipendii gratuiti, vulgo penſionis, ſummam exſolvi petit, 1576. pag 818

(XIX) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Emanuelem Philibertum*, Sabaudiae Ducem, quibus cauſam Montferratenſem ſibi, licet in comitiis abſenti, ita curae fore promittit, ut ipſi de felici in ea ſucceſſu dubitandi locus non ſit futurus, 1576. pag. 819

(XX) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Henricum* III. Galliae Regem, cui tranquillatas Galliarum res gratulatus amice ſuadet, ut, rebus domi compoſitis, viribus ſuis foris ad reprimendam Turcarum tyrannidem utatur, 1576. pag. 820

(XXI) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Philippum* II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſum amanter rogat, ut priſtinam erga ſe benevolentiam, ſibi etiam impoſterum integram conſervare velit, 1576. pag. 821

ANNUS MDLXXVII.

(XXII) Literae *Auguſti*, Electoris Saxoniae, ad *Sebaſtianum*, Luſitaniae Regem, cui Cramerum, mandatarium ſuum, iter in Indiam facturum, ſedulo commendat, 1577. pag 823

(XXIII) Literae *Auguſti*, Electoris Saxoniae, ad *Alphonſum Carettum*, Principem & Marchionem Finalii, quibus ſe Oratoribus ſuis in commiſſis dediſſe aſſerit, ut cauſam ejus Caeſareae Majeſtati ſtudioſiſſime commendarent, 1577. pag. 825

XI. Literae *Stephani Bathorii*, Poloniarum Regis, ad *Stanislaum Carncobium*, Epiſcopum Vladislavienſem, quibus eum hortatur, ut in negotio, quo cura Alberti Friderici, Borusſiae Ducis, Georgio Friderico, Marchioni ab Anſpach, committenda ſit, Commiſſarii partibus fungatur, 1577. pag. 22

(XXIV) Literae *Auguſti*, Electoris Saxoniae, ad *Eliſabetham*, Angliae Reginam, quibus eximium ejus & conſtan-

Digitized by Google

ſtantem pro Auguſtanae Confeſſionis doctrina zelum, dignis exornat encomiis, caetera vero ipſi a Legato illius fuſius expoſitum iri confidit, 1577. pag. 826

ANNUS MDLXXIIX.

(XXV) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Eliſabetham*, Angliae Reginam, quibus ipſi maximas perſolvit gratias, quod merces ad ſe ſpectantes adhuc ſine vectigalibus exportari juſſerit, eandemque liberalitatis promptitudinem in aliis quoque rebus impoſterum ſibi exhiberi cupit, 1578. pag. 829

(XXVI) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Stephanum*, Poloniae Regem, quibus ipſi pro favore Georgio Friderico, Marchioni Brandenburgico ob ſuam interceſſionem tributo gratias agit, ac denuo Oratores ſuos perficiendi, quod inceperant, negotii ergo ablegatos eſſe, nuntiat, 1588. pag. 831

(XXVII) Literae credentiales, quas *Auguſtus*, Saxoniae Elector, Abrahamo Boccio & Andreae Pauli, Internuntiis ſuis, ad *Stephanum*, Poloniae Regem tradidit, 1578. pag. 833

(XXIIX) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Henricum Julium*, poſtulatum Epiſcopum Halberſtadienſem, cujus egregium in bonas artes favorem & ſingulare virtutum ſtudium congruis depraedicat laudibus, 1578. pag. 835

(XXIX) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Alphonſum Carettum*, Principem & Marchionem Finalii, quibus cauſam ejus iniquis malevolorum hominum quorundam ſtudiis & artibus impediri vehementer dolet, eam vero ſe per Comitem Hardechium Caeſar. Majeſtati ſtudioſiſſime commendaturum eſſe, promittit, 1578. pag. 837

(XXX) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Alphonſum* II. Ducem Ferrarienſem, quibus ipſi pro peripetaſmatibus Italicis nuper transmiſſis grates ingentes refert, ſingulaque grati & benevolentis animi ſtudia viciſſim pollicetur, 1578. pag. 838

(XXXI) Literae *Auguſti*, Electoris Saxoniae, ad *Alphonſum Carettum*, Principem & Marchionem Finalii, quibus ipſi, ſe cauſam ejus Caeſareae Majeſtati diligenter, com-

Digitized by Google

commendaſſe nuntiat, 1578. pag. 839
(XXXII) Literae *Auguſti*, Electoris Saxoniæ, ad *Emanuelem Philibertum*, Sabaudiae Ducem, quibus ipſi, tutiorem ſibi modum componendi inter Illum & Etruriae Ducem exorti diſſidii viſum fuiſſe exponit, ſi res univerſa Caeſareae Majeſtati committeretur, 1578. pag. 848

ANNUS MDLXXIX.

(XXXIII) Literae *Auguſti* Saxoniae Electoris, ad *Franciſcum*, Florentiae Ducem, cui, jucundiſſimum de propenſiſſimo ejus in ſe animo nuntium fuiſſe, refert, 1579. pag. 842
(XXXIV) Literae *Annæ*, Electricis Saxoniae, ad *Franciſcum*, Florentiae Ducem, idem cum praeinſertis argumentum exhibentes, 1579. pag. 843
(XXXV) Literae *Chriſtiani* Electoratus Saxonici Principis haereditarii, ad *Franciſcum*, Florentiae Ducem, in pari cum praeimpreſſis caſu exaratae, 1579. pag. 844
(XXXVI) Literae *Auguſti*, Saxoniae Electoris, ad *Carolum Arragonium*, Principem Caſtelvetranum, quibus ipſi modum, quo concitatæ nuper in Belgio turbæ periculoſæ commode ſedari ac Belgæ ad officium ſuum optime reduci queant, candide ſuggerit, 1579. p. 845

ANNUS MDLXXX.

(XXXVII) Literæ *Auguſti*, Electoris Saxoniæ, ad *Ducem Senatumque Venetum*, quibus ipſis juſtam ſociorum Thuringenſium contra Conradum Rhodum actionem impenſe commendat, 1580. pag. 847
(XXXIIX) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Alphonſum* II. Ferrariæ Ducem, quibus ſe ſemper operam pollicetur daturum, quo ejus expectationi omnibus amoris & obſervantiæ ſtudiis ſatisfacere poſſit, 1580. pag. 850
(XXXIX) Literæ *Chriſtiani*, Principis Electoratus Saxonici hæreditarii, ad *Alphonſum* II. Ferrariæ Ducem, quibus ipſi pro ſingulari, quo in ſe ferretur, amore ingentes grates perſolvit, ac viciſſim omnia peculiaris obſervantiæ & ſtudioſi cultus officia pollicetur, 1580. pag. 852
(XL) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Stephanum*, Polo-

Digitized by Google

Poloniæ Regem, quibus ipſi militem quendam veteranum, manu & ſcientia rei militaris inſignem, auſpiciaque Polonica contra Moſcos ſequi flagrantem, ſtudioſe commendat, 1580. pag 853

ANNUS MDLXXXI.

(XLI) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Eliſabetham*, Angliæ Reginam, de abuſu commerciorum per mercatores Britannicos in Saxonia & reliquis Germaniæ partibus inſtitutorum, ejusque remotione æquitatis legibus conſona agentes, 1581. pag. 854

(XLII) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Vilhelmum*, Mantuæ Ducem, quibus ab eo obnixe contendit, ut Andreæ Pauli, Ablegato ſuo, ſummam in omnibus, quæ prolaturus eſſet, fidem adhibeat, 1581. pag. 856

(XLIII) Literæ *Chriſtiani*, hæreditarii Electoratus Saxonici Principis, ad *Carolum Emanuelem* I. Sabaudiæ Ducem, quibus mortem Parentis ipſius nuper defuncti dolens, felix ipſi Imperium precatur & amicitiam mutuis officiis excolendam amanter offert, 1581. p. 858

ANNUS MDLXXXII.

(XLIV) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Hugonem de Lubberdale*, magnum Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſtrum, cui collatam nuper miro totius Collegii conſenſu ſupremi Magiſtri dignitatem amanter gratatus, felices glorioſosque contra immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem precatur ſucceſſus, 1582. pag. 859

XII. Breve *Gregorii Papæ* XIII. ad *Gebhardum*, Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem, quo eum, ut in fide catholica perſiſtat, nec quicquam huic Sedique Apoſtolicæ adverſum committat, graviter hortatur, 1582. pag. 24

XIII. Reſponſoriæ *Gebhardi*, Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis, ad *Gregorium*, XIII. Pontificem Romanum datæ, quibus mentem ſuam de vera fide & legitimo, quod initurus erat, conjugio, clare exponit, 1582. p. 27

(XLV) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris ad *Stephanum*, Poloniæ Regem, quibus debitam ſibi ab eo pecuniæ ſummam, Alberti Ziſwickii, Internuntii ejus, cura probe

Digitized by Google

be repræſentatam eſſe teſtatur, 1582. pag. 861

ANNUS MDLXXXIII.

(XLVI) Literæ *Auguſti*, Saxonum Electoris, ad *Stephanum*, Poloniarum Regem, quibus pro Fabiano a Dohna ejusque fratribus ſuis in Livonia prædiis immerito exutis, ſollicite intercedit, 1583. pag. 862

(XLVII) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Emanuelem Philibertum*, Sabaudiæ Ducem, quibus ab eo, ut Alphonſum, Finalii Marchionem, ab illatis illi actionibus benigne abſolvere, eique, quæ majores ejus a Domo Sabaudica jure beneficiario acceperunt, clementer reſtituere haud gravetur, diligenter efflagitat, 1583. pag. 864

(XLIIX) Literæ *Auguſti*, Electoris Saxoniæ, ad *Genuenſis Reipublicæ Ducem*, quibus ipſi Chriſtophorum ab Haugwitz ſtudioſe commendat, 1583. pag 866

XIV. Literæ fiduciariæ ſeu credentiales, quas *Henricus*, Rex Navarræ, Jacobo Segurio Pardeliano, ſuo ad Status S.R. Imperii Proteſtantes Ablegato, ad *Joachimum Erneſtum*, Principem Anhaltinum, dedit, 1583. pag. 38

XV. Reſponſum *Joachimi Erneſti*, Principis Anhaltini, ad præcedentes *Henrici*, Regis Navarræ, literas, 1584. pag. 40

(XLIX) Literæ *Chriſtiani*, Hæreditarii Saxonici Electoratus Principis, ad *Carolum Emanuelem*, Sabaudiæ Ducem, quibus ipſi, ſe tenerrimo in eum amore flagrare, nuntiat 1583. pag. 867

ANNUS MDLXXXIV.

(L) Literæ *Auguſti*, Saxoniæ Electoris, ad *Henricum* III. Galliarum Regem, quem ſerio & amice rogat & obteſtatur, ne aures ſuas ſeditioſis perditiſimorum hominum conſiliis patere, ac ſe contra fideles & devotos ſibi cives incitari patiatur, 1584. pag. 868

ANNUS MDLXXXVI.

(LI) Literæ *Chriſtiani* I. Electoris Saxoniæ, ad *Henricum*, Navarræ Regem, quibus ipſi ſpondet, ſe nullam, qua in redhoſtimentum amicæ illius humanitatis curam, operam, ſtudium & obſervantiam ſuam declarare poſſit, prætermiſſurum eſſe occaſionem, 1586. p. 870

(LII) Literæ *Chriſtiani* I. Saxoniæ Electoris, ad *Carolum Ema-*

Emanuelem, Sabaudiæ Ducem, quibus ipſi Parentem ſuum, glorioſiſſimæ memoriæ, pie nuper defunctum eſſe, nuntiat, 1586. pag. 871

(LIII) Literæ *Chriſtiani* I. Saxoniæ Electoris, ad *Carolum Emanuelem*, Sabaudiæ Ducem, quibus miras humanæ fortunæ vices in Parentum utriusque nuper placide defunctorum caſu dolens, ei de regens nato in ſpem familiæ celſiſſimæ filiolo Principe, candide gratulatur, 1586. pag. 873

(LIV) Literæ *Chriſtiani* I. Saxoniæ Electoris, ad *Franciſcum*, Magnum Etruriæ Ducem, quibus ſe nihil prætermiſſurum eſſe, quo & dignitatem Electoralem e voto ſuſtinere, & ſingulare ſuum erga ipſum ſtudium demonſtrare poſſit, declarat, 1586. pag. 875

XVI. Literæ *Jacobi Segurii Pardeliani*, Henrici Regis Navarræ Legati, ad *Joachimum Erneſtum*, Principem Anhaltinum, quibus illi Regis ſui cauſam, Proteſtantium Germaniæ Principum auxiliis indigentem, commendat, 1586. pag. 43

ANNUS MDLXXXVII.

(LV) Literæ *Chriſtiani* I. Saxoniæ Electoris, ad *Henricum*, Navarræ Regem, quibus ipſi de quadruplici ex hoſtibus reportata victoria gratulatus, nihil ſibi de promiſſis ipſi auxiliis conſtare aſſerit, ac ut illi, ſedatis turbis, alma quiete frui ſecuro liceat, ardenter precatur, 1587. pag. 876

(LVI) Literæ *Chriſtiani* I. Saxoniæ Electoris, ad *Mauritium*, Haſſiaci Landgraviatus Principem, quibus ipſi pro transmiſſis ſibi in obitum Parentis ſui verſibus & literis amantiſſime ſcriptis, decentes refert grates, & auſpicatiſſimos in ea, quam ingreſſus erat, optimarum artium palæſtra, ſucceſſus ſincere precatur, 1587. pag. 878

XVII. Literæ *Profeſſorum Marpurgenſium*, ad *VVilhelmum* IV. Haſſiæ Landgravium, de egregiis *Mauritii*, Principis filii ejus in literis profectibus teſtantes, 1587. pag. 45

(LVII) Literæ *Ordinum Regni Poloniæ*, ad *Joachimum Fridericum*, Electorem Brandenburgicum, quibus ipſi Sigiſmundum, hæreditarium Regni Sveciæ Principem plu-

Digitized by Google

pluralitate votorum in Poloniæ Regem, reclamante saltem exiguo, qui Maximiliano, Austriæ Archiduci, faveret, Procerum numero, electum esse nuntiant, atque ab eo, ut prædicto Archiduci viam, qua in solium Poloniæ penetrare satageret, violentam, omni modo dissvadeat, submisse contendunt, 1587. pag. 881

(LVIII) Literæ *Ordinum Regni Poloniæ*, ad *Sixtum Papam* V. cui Sigismundum, hæreditarium Regni Sveciæ Principem, ad solium Regni Poloniæ evectum, ipsi autem a refractariis & seditiosis quibusdam Maximilianum, Austriæ Archiducem, oppositum esse referunt, ac ut ea, qua polleret autoritate, disidium & pericula inde metuenda, paterne averteret, submisse committunt, 1587. pag. 883

(LIX) Literæ *Ordinum Regni Poloniæ*, ad *Maximilianum*, Archiducem Austriæ, quibus ipsi, nuntiato Sigismundi Regis in Poloniam adventu, serio suadent, ut ab omni, quam in Regnum istud pararet, vi abstinens, Legatos suos benigne audire, ac plenam eis fidem adhibere dignetur, 1587. pag. 885

(LX) Literæ *Maximiliani*, Archiducis Austriæ, ad *Ordines Regni Poloniæ*, quibus se in Poloniam non aliena appetendi, sed sua occupandi proposito venisse asserit, eosque ad amicos secum, si placerent, tractatus amanter invitat, 1587. pag. 887

(LXI) Literæ *Ordinum Regni Poloniæ*, ad *Maximilianum*, Archiducem Austriæ, quibus sancte spondent, se Legatos ejus, omni, quo deceret, honore excepturos esse, modo in eorum numero vel comitatu Poloni non sint, 1587. pag. 890

(LXII) Literæ credentiales, quas *Maximilianus*, Archidux Austriæ, Oratoribus suis, ad *Ordines Regni Poloniæ* tradidit, 1587. pag. 892

ANNUS MDLXXXVIII.

XIIX. Literæ credentiales *Henrici*, Regis Navarræ, ad *Johannem Georgium* I. *& Christianum*, Principes Anhaltinos, Huralto Hospitalio Fayo, Ejusdem Regis ad Status S. R. Imp. Protestantes Legato, datæ, 1588. p. 49

XIX. Literæ commendatitiæ, a *Jacobo Seguerio Pardeliano*, ad *Christianum* I. Principem Anhaltinum, Domini de Fay,

Fay, Regis Navarræ ad Electorem Saxoniæ Ablegati cauſa, exaratæ, 1588. pag. 52
XX. Reſponſum *Johannis Georgii* I. Principis Anhaltini, ad præcedentes *Pardeliani* literas, 1589. pag. 53

ANNUS MDLXXXIX.

XXI. Literæ fiduciariæ, quas *Eliſabetha*, Angliæ Regina, Horatio Palavicino, ſuo ad Principes per Germaniam Proteſtantes Legato, ad *Chriſtianum* I. Saxoniæ Electorem tradidit, 1589. pag. 54
XXII. Literæ fiduciariæ ab *Eliſabetha*, Anglorum Regina, ad *Chriſtianum* I. Principem Anhaltinum, pro ſuo ad S. R. Imp. Principes Ablegato, Horatio Palavicino exaratæ, 1589. pag. 55
XXIII. *Chriſtiani* I. Principis Anhaltini Reſponſoriæ, ad *Eliſabetham*, Angliæ Reginam, quibus debitam ipſi nunquam in ſe ceſſaturam venerationem ſuumque erga rem Proteſtantium communem ſtudium, teſtatur, 1590. pag. 57
XXIV. Literæ *Henrici*, Regis Navarræ, ad *Chriſtianum* I. Principem Anhaltinum, quibus ipſi, præter cauſam Religionis, Bongartium, Legatum ſuum, commendat, 1589. pag. 59
XXV. Literæ *Johannis Georgii* I. Principis Anhaltini, ad *Henricum*, Regem Navarræ, quibus illi nomine ſuo fratrisque exteras oras luſtrantis ad præcedentes reſpondet, 1589. pag. 60
XXVI. Literæ *Eliſabethæ*, Reginæ Angliae, ad *Chriſtianum* I. Principem Anhaltinum, monentes, ut fœdus inter Proteſtantes Principes adverſus ſacram Catholicorum ligam ineatur, & certus de eo firmando Francofurti ad Mœnum ſtatuatur dies, 1589. pag. 63
XXVII. Literæ *Eliſabethæ*, Reginae Angliae, Principem Anhaltinum, *Johannem Georgium* I. exhortantes, ut certa ratio, qua orbis Evangelicus contra vim Pontificiorum perpetuo defendi queat, ineatur, ac dies de ea adinvenienda Francofurti ſtatuatur, bonumque iſtud opus omni ſtudio ab eo promoveatur, 1589. pag. 65

ANNUS MDXC.

(LXIII) Literæ *Friderici VVilhelmi*, Pupillorum Saxon. Curatoris, & Electoratus Saxonici Adminiſtratoris, ad

Digitized by Google

ad *Sigismundum* III. Poloniae Regem, quibus ipsi felices cum Anna, Archiducissa Austriæ, hymenæos gratulatus, causas, cur festivo nuptiarum actui præsens adesse nequeat, exponit, 1590. pag. 893

XXIIX. Literæ *Horatii Palabicini*, Legati Anglicani, ad *Christianum* I. Saxoniæ Electorem, quibus ipsum quo decet animi cultu rogat, ut sibi secum colloquendi & fidei suæ commissa exponendi quam primum libertas detur, 1590. pag. 67

XXIX. Literæ *Jacobi* VI. Scotiæ Regis ad *Johannem Georgium* I. Principem Anhaltinum, exhortantes ac rogantes, ut missam a se ad Principes Protestantes legationem, suamque, quam per eam offerri jusserit, mediationem, sibi habeat commendatam, 1590. pag. 69

XXX. Literæ *Elisabethæ*, Anglorum Reginae, ad *Christianum* I. Saxoniae Electorem datae, auxilium Galliarum Regi ferendum spectantes, 1590. pag. 72

XXXI. Literæ *Elisabethæ*, Angliae Reginae, ad *Christianum* I. Principem Anhaltinum, quibus ipsi Legatum suum ex Gallia redeuntem bonique publici studium commendat, 1590. pag. 75

XXXII. Literæ *Elisabethæ*, Reginae Angliæ, ad *Christianum* I. Principem Anhaltinum, quibus Horatio Pallavicino, suo ad Principes Germaniae Protestantes Ablegato, fidem adhiberi causamque Religionis promoveri rogat, 1590. pag. 77

ANNUS MDXCI.

XXXIII. Literæ nomine Electoris Saxoniae ad *Elisabetham* Angliae Reginam scriptae, de suppetiis Galliae Regi ferendis & summa subsidiorum promissorum ab ipsa complenda agentes, 1591. p. 78

XXXIV. Literæ *Christiani* I. Principis Anhaltini, ad *Elisabetham*, Angliae Reginam, quibus illam certiorem reddit, quod in Galliam cum exercitu suo transeundi in procinctu sit, eique curam exercitus, quo ceperat ardore, continuandam injungit, 1591. pag. 81

XXXV. Literae fiduciariae seu credentiales ab *Henrico*, Navarrae Rege, ad Principem Anhaltinum *Johannem Georgium* I. pro Domino du Fresne, suo ad Principes Germaniae Protestantes Ablegato, exaratae, 1591. p. 83

ANNUS

ANNUS MDXCIII.
XXXVI. Literae fiduciariae ab *Eliſabetha* Regina Angliae ad Principem Anhaltinum, *Johannem Georgium* I. Chriſtophoro Parthingio, ſuo ad Imperatorem Rom. Legato datae, 1593. pag. 84
XXXVII. Principis Anhaltini *Joh. Georgii* I. literae ad *Eliſabetham* Angliae Reginam, quibus a Parthingio ſibi, quae in commiſſis habuerit, expoſita eſſe refert, ac rei communis ſuaeque familiæ ſtudium & amorem decenter commendat, 1593. pag. 86
XXXVIII. Literae *Henrici* IV. Galliae Regis, ad *Clementem* VIII. Pontificem Romanum, nuntiantes, quod Catholicae Religionis ſacra ſit amplexus, 1593. pag. 88
(LXIV) Literae *Friderici VVilhelmi*, Pupillorum Saxonic. Curatoris & Electoratus Saxonici Adminiſtratoris, ad *Sigiſmundum* III. Poloniae Regem, quibus ipſi pro benevolo ad nuptias ſerenisſimae ſuae ſororis invitatione decentes perſolvit gratias, 1593. pag. 894
ANNUS MDXCIV.
(LXV) Literae *Rudolphi* II. Rom. Imperatoris, ad *Theodorum Ibanewitz*, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviae, Aaronem Walachiae Principem, & Januſium Zbaraviae Ducem, pro Stanislao Clopitzio, exercitus Zaporovienſis ſeniore, commendatitiae, 1594.
(LXVI) Literae *Rudolphi* II. Rom. Imperatoris, ad *Senatores Regni Poloniae*, quibus eos, qua ratione cum Chlopizio circa bellum Turcis inferendum & coercendos ab Hungariae finibus Tartaros convenerit, edocet, eumque omni modo ſublevari rogat, 1594. pag. 899
(LXVII) Literae *Rudolphi* II. Rom. Imperatoris, ad *Status & Ordines Regni Hungariae*, quibus eos ob cladem a Turcis illatam inſtanti vere ſatis vindicandam ſolatus atque ad conſtantiam maximopere hortatus, quosdam e medio ſuo Conſiliarios eligere jubet, qui cum accedentibus e Tranſylvania, Walachia & Moldavia Deputatis agere poſſint, 1594. pag. 901
ANNUS MDXCV.
(LXIIX) Literae *Rudolphi* II. Rom. Imperatoris, ad *Sigiſmundum*, Tranſylvaniae Principem, quibus ipſi ad bellum contra Turcas ſtrenue continuandum ſedulus ſua

Digitized by Google

ſvaſor eſt, ac omnia, pro poſſe ſuo, auxilia promittit, 1595. pag. 905

ANNUS MDXCVI.

(LXIX) Literae credentiales *Ordinum Regni Poloniæ*, quas Internuntiis ſuis, ad *Carolum*, Sudermanniae Ducem & Senatores Regni Sveciae dederunt, 1596. pag. 907

(LXX) Reſponſoriae *Caroli*, Sudermanniae Ducis & Regni Sveciae Gubernatoris, ad praeinſertas *Ordinum Regni Poloniæ*, credentiales, 1596. pag. 912

(LXXI) Literae *Rudolphi* II. Romanorum Imperatoris, ad *Clementem Papam* VIII. a quo reverenter contendit, ut ſibi adverſus Turcas exercitata militum manu ſuppetias ire & ſuam circa rerum gerendarum nervum penuriam, aliquali pecuniae ſumma ſublevare haud gravetur, 1596. pag. 915

ANNUS MDXCIIX.

XXXIX. Literae *Senatus Civitatis VVeſalienſis*, ad Admiralium Arragoniae, *Franciſcum Principem* de *Mendoza*, datae, quibus precatur, ut ſibi literas ſalvi conductus gratioſe impertiri velit, quo munera ipſi deſtinata, in caſtra ſecure poſſint transferri, 1598. p. 89

XL. Reſponſoriae Principis *Franciſci* de *Mendoza*, Admiralii Arragonum, ad praeinſertas *Senatus VVeſalienſis* literas, 1598. pag. 90

ANNUS MDXCIX.

(LXXII) Literae *Franciſci Mendoza*, Admiralii Arragonum, ad *Theodorum*, Epiſcopum Paderbornenſem, quibus ipſi ſvadet, ut Lutheranos e ſua diœceſi faciat confeſtim extorres, niſi milites ſuos famelicos, ingenti erga eos odio flagrantes, in ſua diœceſi velit videre ſaevientes, 1599. pag. 918

ANNUS MDC.

XLI. Literae *Epiſcopi Seccabienſis*, ad *Comitem quendam* S. R. Imperii, modum in reducendis ad Romanam Eccleſiam haereticis Carinthiae obſervatum exponentes, 1600. pag. 92

ANNUS MDCI.

(LXXIII) Literae *Friderici VVilhelmi*, Pupillorum Saxon. Curatoris, & Electoratus Saxonici Adminiſtratoris

ris, ad *Henricum* IV. Galliae Regem, quibus ſibi ſuisque pupillis pecuniam, quam ipſi olim Chriſtianus I. Elector Saxoniae, & Johannes Guilielmus, Pater ſuus, mutuuo dederant, reſtitui modeſte petit, 1601. p. 920

XLII. Literae invitatoriae a *Carolo Emanuele* I. Duce Sabaudiae, ad *Chriſtianum* II. & *Johannem Georgium*, Electorem & Duces Saxoniae ſcriptae, quibus Ipſos, ut ex itinere in Italiam clanculum ſuſcepto ad aulam Sabaudicam divertant, amice compellat, 1601. p. 94

XLIII. Literae invitatoriae, a *Carolo Emanuele* Sabaudiae Duce, ad *Chriſtianum* II. Electorem Saxoniae, in itinere, quod Italiae perluſtrandae cauſa ingreſſus erat, aegrotantem, exaratae, quibus ipſi transmiſſum a ſe medicum & medicinam, ſuique ipſius viſitationem, quamprimum per valetudinem liceret, commendat, 1601. pag. 96

XLIV. Literae *Caroli Emanuelis* I. Ducis Sabaudiae, ad *Chriſtianum* II. Electorem Saxoniae, cui pro exoptata aulae ſuae viſitatione gratias agit, & iter paucorum dierum a ſe ſuſcipiendum nuntiat, 1601. pag. 97

XLV. Literae *Caroli Emanuelis* I. Ducis Sabaudiae, ad *Chriſtianum* II. Electorem Saxoniae datae, quibus ipſi pro viſitatione ſui grates perſolvit & Leonhardum Roncaſſium illi in viae Ducem & Comitem a ſe miſſum exponit, 1601. pag. 98

ANNUS MDCII.

(LXXIV) Literae *Caroli* IX. Sveciae Regis, ad *Johannem Zamoiſcium*, ſupremum Regni Poloniae Cancellarium, quibus ſibi pacem, ſi aequis ea conditionibus ſulciatur, maxime curae cordique fore aſſerit, & de captivis facili ratione commutandis agit, 1602. p. 924

(LXXV) Reſponſoriae *Johannis Zamoiſcii*, ſupremi Regni Poloniae Cancellarii, ad praeinſertas *Caroli* IX. Svecorum Regis literas, 1602. pag. 926

(LXXVI) Literae *Johannis Zamoiſcii*, ſupremi Regni Poloniae Cancellarii, ad *Carolum* IX. Sveciae Regem, quibus ſe ad pacem, ſi honeſtae & aequae ratio haberetur, pronum eſſe declarat, eum vero ad pugnam decretoriam, qua ſecum proprio diſcrimine totius belli juſtitiam propugnaret, provocat, 1602. pag. 931

(LXXVII)

Digitized by Google

(LXXVII) Reſponſoriae *Caroli* IX. Sveciae Regis, ad praeimpreſſas *Johannis Zamoiſcii*, ſupremi Regni Poloniae Cancellarii literas, quibus vehementer & acerbe in eum invehitur, 1602. pag 935
(LXXIIX) Literæ *Johannis Zamoiſcii*, ſupremi Regni Poloniae Cancellarii, ad *Carolum* IX. Sveciae Regem, quibus mentionem induciarum pacisque denuo injicit, & ad præcedentes dure nimis reſpondet, 1602. p. 936
(LXXIX) Literæ *Caroli* IX. Sveciae Regis, ad *Johannem Zamoiſcium*, ſupremum Regni Poloniae Cancellarium, cui ad præcedentes breviter reſpondens, ſe induciarum & pacis cupidiſſimum eſſe refert, 1602. p 939
(LXXX) Reſponſoriæ *Johannis Zamoiſcii*, ſupremi Regni Poloniae Cancellarii, ad præinſertas *Caroli* IX. Sveciae Regis literas, multa bile refertæ, 1602. pag. 940

ANNUS MDCIV.

XLVI. Literæ, quibus *Jacobus* I. Angliæ Rex, *Chriſtiano* II. Saxoniae Electori, ſe bene valere, ac ei perpetuis amicitiae & fraternae neceſſitudinis vinculis adſtrictum eſſe refert, 1604. pag. 100
XLVII. Literæ mutuæ benevolentiæ teſtes, a *Carolo Emanuele* I. Duce Sabaudiæ, Comiti Lucernæ, Legato ſuo, ad *Auguſtum*, Principem Saxoniæ datæ, 1604. p. 101

ANNUS MDCV.

XLIIX. Literæ credentiales Dn. Carolo Pauli a *Joh. Georgio* I. Principe Anhaltino, ad *Henricum* IV. Franciae Regem traditae, 1605. pag. 102
XLIX. Commendatitiae a *Jacobo* I. Angliae Rege, ad *Chriſtianum* II. Electorem Saxoniae, Gvilielmo Ritter datæ, 1605. pag. 103

ANNUS MDCVII.

L. Literæ, quibus *Jacobus* I. Angliæ Rex, *Chriſtiano* II. Saxoniæ Electori, renuntiat, Stephano Bogdano, Principi Moldaviae, Electorales ad ſe datas commendatitias multum profuiſſe, ipſique viciſſim memoratum commendat Principem, 1607. p. 104

ANNUS MDCIX.

LI. Literæ commendatitiæ a *Jacobo* I. Angliae Rege, Jacobo Hill, ad *Chriſtianum* II. Saxoniæ Electorem, traditae, 1609. pag. 105

Digitized by Google

LII. Literæ *Caroli Gonzagæ*, Ducis Nivernenſis, ad *Conſiliarios & Status Juliacenſes* &c. quibus, ſe verum & legitimum ditionum Juliacenſium hæredem eſſe, exponit, eosque, ut juri ſuo faveant, blande compellat, 1609. pag. 106

LIII. Reſponſoriæ *Conſiliariorum & Statuum Juliacenſium* &c. ad praecedentes *Ducis Nivernenſis* literas, 1609. pag. 108

ANNUS MDCXI.

(LXXXI) Literæ *Ordinum Dominii Magnæ Novogardiæ*, ad *Carolum* IX. Sveciae Regem, a quo ſubmiſſe contendunt, dignetur ſibi Magnoque Moſcoviæ Ducatui unum e Principibus filiis ſuis in magnum Ducem & ſupremum concedere Dominum, 1611. pag. 94

LIV. Literæ *Caroli Emanuelis* I. Sabaudiae Ducis, ad *Joh. Georgium* I. Electorem Saxoniæ, quibus ſe prædeceſſoris ejus mortem acerbe dolere profitetur, & felicia ipſi ſucceſſionis auſpicia gratulatur, 1611. pag. 110

LV. Literæ *Caroli Emanuelis* I. Ducis Sabaudiæ, ad *Magdalenam Sibyllam*, Electricem Saxoniæ, quibus ei de felici mariti ſui, *Johannis Georgii* I. ad Electoratum ſucceſſione gratulatur, & ut ejus luctum ſolatio ſuo temperet ac mutuum inter utrasque familias amorem magis magisque confirmet, peramanter injungit, 1611. pag. 112

LVI. Literæ *Caroli Emanuelis* I. Sabaudiæ Ducis, ad *Johannem Georgium* I. Saxonum Electorem, quibus, quod Ducem Nemorenſem in generum adſciverit, nuntiat, & negotia apud Imperatorem per Oratorem ſuum tractanda, ipſius patrocinio commendat, 1611. pag. 112

ANNUS MDCXVIII.

LVII. Literæ a *Sigiſmundo*, III. Rege Poloniæ, ad *Ordines Bohemiæ* exaratæ, hortantes, ut ſeſe, rejectis turbulentis conſiliis, Cæſareæ Majeſtatis Imperio ſubjiciant, 1618 pag. 114

LVIII. Literæ Reſponſoriæ *Ordinum Bohemicorum*, ad præinſertas *Sigismundi* III. Regis Poloniae adhortatorias, 1618. pag. 116

ANNUS MDCXIX.

LIX. Literæ credentiales *Jacobi* I. Regis Angliae, ad *Joh. Caſi-*

Digitized by Google

Casimirum, Principem Anhaltinum, Jacobo Hajo, suo ad Sac. Rom. Imperii Vicarios Legato traditæ, 1619. pag. 118

LX. Literæ *Friderici* V. Electoris Palatini, ad *Philippum* III. Regem Hispaniarum, quibus se a turbis & odio erga Domum Austriacam valde alienum & pacis ac concordiae amantissimum esse asserit, 1619. pag. 123

LXI. Literæ Principis Transylvaniae, *Gabrielis Bethlem*, ad *Bohemiæ Directores*, quibus se ad auxilia Regno Bohemiæ ferenda, ac exercitum proxime in Moraviam deducendum paratum esse declarat, 1619. p. 123

(LXXXII) Literæ *Caroli*, Episcopi Vratislaviensis, ad *Laurentium*, Archipræsulem Gnesnensem, nec non Regni Poloniae Primatem, quibus ab eo obnixe contendit, velit Sigismundo III. Poloniæ Regi sedulo svadere, ut Ecclesiæ suæ ab addictis Augustanæ Confessioni hominibus nimium quantum afflictæ quantocyus suppetias iret, 1619. pag 945

(LXXXIII) Literæ *Caroli*, Archiducis Austriæ & Episcopi Vratislaviensis, ad *Laurentium*, Regni Poloniae Primatem, quibus ab eo sollicite efflagitat, dignetur sibi suisque capitulis consiliis præsto esse, qua ratione homagium, intruso Bohemiæ Regi proxime præstandum caute evitare possint, 1619. pag. 950

ANNUS MDCXXI.

LXII. Literæ Interceſſionales a *Philippo* IV. Hispaniarum Rege, ad *Ferdinandum* II. Rom. Imperatorem, pro Friderico V. Comite ac Electore Palatino exaratæ, 1621. pag. 127

LXIII. Literæ Apologeticæ *Senatus Rigensis*, ad *Sigismundum* III. Regem Poloniæ, post expugnationem urbis suæ, a Rege Sveciæ, Gustavo Adolpho, factam, scriptæ, 1621. pag 128

LXIV. Literæ ejusdem cum præcedentibus argumenti, a *Senatu Rigensi*, post occupatam a Svecis Urbem, ad *Christophorum*, *Principem Radzibilium*, exaratæ, 1621. pag. 134

LXV. Literæ *Christophori*, *Principis Radzibilii*, ad *Senatum Rigensem* Responsoriae, 1621. pag. 148

LXVI. Literæ *Maximiliani*, Ducis Bavariae, ad *Johannem*

Digitized by Google

Digbium, Magnae Britanniae Regis Oratorem, quibus nihil amicitiæ & conſanguinitatis legibus contrarium, ſed obligationi & fidei ſuae, Cæſari & Imperio debitis, ſatis ſe feciſſe, ac minime æquarum pacis conditionum abſtemium eſſe declarat, 1621. pag. 148

LXVII. Reſponſoriæ Domini *Joannis, Baronis Digbii*, ad præinſertas *Maximiliani*, Ducis Bavariae, literas, 1621. p. 155

LXIIX. Reſponſoriæ *Maximiliani*, Ducis Bavariae, ad proxime praecedentes *Baronis Digbii* Reſponſorias, 1621. p. 157

LXIX. Literæ *Ferdinandi* II. Rom. Imperatoris, ad *Dn. Balthaſarem zunigam*, Philippo IV. Hiſpaniarum Regi intimum ac amicorum longe charisſimum, de Electoratu in Ducem Bavariæ transferendo agentes, ac, uti ſequentes docent, propria ejus manu ſcriptæ, 1621 p. 159

LXX. Literæ *Caroli de Caraffa*, Epiſcopi Averſani, Nuntii in Aula Imperatoris Apoſtolici, ad *Archiepiſcopum de Patraſſo*, Nuntium itidem Apoſtolicum Bruxellis degentem, in cauſa Electoratus e Domo Palatina in Bavaricam transferendi exaratæ, 1621. pag. 165

LXXI. Literæ *Ferdinandi* II. Rom. Imperatoris, ad *Johannem Digbium*, Anglicanum Oratorem, quibus Ducem Bavariae excuſat, quod nihil ſupra ea, quæ ipſi commiſerit, feciſſet, ſeque in eodem ſemper perſtiturum conſilio declarat, 1621. pag. 170

(LXXXIV) Literæ *Sigismundi*, Poloniae Regis, ad *Gregorium Papam* XV. belli cum Turcis ad Chocimum geſti & pacis inde ſecutae ſeriem hiſtoricam, continentes, 1621. pag. 952

ANNUS MDCXXII.

LXXII. Literæ *Jacobi* I. Angliae Regis, ad *Ferdinandum* II. Rom. Imperatorem, per quas *Friderici* V. Comitis & Electoris Palatini, generi ſui, reſtitutionem in integrum urget, ſeque eam, ſi denegetur ulterius, armata manu quæſiturum, minitatur, 1621. pag. 172

LXXIII. Literæ *Ferdinandi* II. Rom. Imp. ad *Philippum* IV. Hiſpaniarum Regem, quibus eum de promiſſa a ſe Bavariæ Duci Electorali dignitate edocet, utque eam ob cauſam Anglici Legati precibus refragetur, amice contendit, 1622. pag. 176

(LXXXV) Literæ *Stanislai Lubienskii*, ad *Cardinalem de Torres*,

Digitized by Google

Torres, Nuncium in Polonia Apoſtolicum, cui egregiis & laude dignis virtutibus conſpicuo, debitum jam dudum Purpurae honorem, collatum eſſe, ſubmiſſe gratulatur, 1622. pag. 957

ANNUS MDCXXV.

(LXXXVI) Literæ *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Luceorienſis & Regni Poloniae Procancellarii, ad *Georgium VVilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, cui Regis ſui nomine valde exprobrat, quod non impediverit, quo minus ſoror ſua Gabrieli Bethlemio, Principi Tranſylvaniae, notorio Regni Poloniae hoſti in matrimonium collocata fuiſſet, 1625. pag. 960

ANNUS MDCXXVII.

(LXXXVII) Literæ *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Luceorienſis & Procancellarii Regni Poloniae, ad *Carolum a Dohna*, Cæſareae Majeſtatis Conſiliarium, cui, quam fœde Elector Brandenburgicus datam Regno Poloniae fidem fefellerit, nuntiat, 1627. pag. 964

ANNUS MDCXXIIX.

LXXIV. Literae *Chriſtiani VVilhelmi*, Archiepiſcopi Magdeburgenſis, ad *Sigismundum* III. Poloniae Regem, quibus redintegrari & confirmari ſibi in BoruſſiamDucalem jus conjunctae manus, & fidem Legatis ſuis haberi petit, 1628. pag. 178

ANNUS MDCXXIX.

(LXXXVIII) Literæ *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Georgium VVilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, quibus eum ſedulo hortatur, ut obligationis erga Poloniam ſuaeque ſalutis memor, ipſi adverſus quoscumque hoſtes ſuppetias ferret, 1629. p. 966

(LXXXIX) Literæ *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Georgium VVilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, quibus ipſi gaudium ob fidem denuo Poloniae Regi datam mutuamque animorum conjunctionem conceptum, & ſi forſitan liberius hactenus, quam par erat, ſcripſiſſe illi videretur, id ex candida bene de eo merendi voluntate profectum eſſe teſtatur, 1629

ANNUS MDCXXX. pag. 969

LXXV. Literæ *Domini Camerarii*, Legati Svecici, ad *Ordines fœderati Belgii Generales*, de expeditione Regis

Digitized by Google

ſui in Germaniam facta, agentes, eosque rogantes, ut communem libertatem pari cum dicto Rege ſtudio ac fervore tueri & illaeſam contra inſultus Hiſpano-Auſtriacorum ſervare conentur, 1630. pag. 180
LXXVI. Literæ a *Collegio Electorali*, ad *Ludovicum* XIII. Galliae Regem exaratae, Pacem Legatorum ſuorum ſtudio concluſam eſſe docentes, ejusdemque ratificationem ex parte Regia expetentes, 1630. pag. 184
LXXVII. Literæ *Guſtavi Adolphi*, Svecorum Regis, ad *Collegium S. R. Imp. Electorale*, Urbis Stralſundiæ Apologiam continentes, ac cauſas, quibus ipſe adactus Imperatori ejusque fœderatis bellum intulerit, exponentes, 1630. pag. 186

ANNUS MDCXXXII.

(XC) Literæ credentiales, quas *Carolus* I. Magnae Britanniae Rex, Roberto Anſtruthero, Legato ſuo, ad *Comites Wetterabiæ* dedit, 1632. pag. 972
(XCI) Literæ credentiales, quas *Carolus* I. Magnae Britanniae Rex, Roberto Auſtruthero, Legato ſuo, *Philippo Ludovico*, Comiti Hanovienſi, exhibendas concredidit, 1632. pag. 973
(XCII) Reſponſoriæ *Philippi Ludovici*, Hannoviae Comitis, ad *Caroli* I. Magnæ Britanniæ Regis praeinſertas credentiales, 1633. pag. 974

ANNUS MDCXXXIII.

LXXIIX. Literae *Johannis Georgii* I. Electoris Saxoniae, ad *Vladislaum* IV. Poloniae Regem, quibus dolorem ſuum ob mortem Sigiſmundi III. Regis & Conſtantiae Reginae, Parentum ipſius, gaudiumque, quod in Succeſſorem ac Regem Poloniae electus ſit, teſtatur, 1633 pag. 194
LXXIX. Literae *Statuum S. R. Imperii*, Heilbronnae congregatorum, ad *Carolum* I. Angliae Regem, quibus ipſi fœdus Heilbronnae inter Principes Proteſtantes, libertatis, Religionis publicaeque ſecuritatis tuendae cauſa initum, nuntiant, 1633. pag. 196
LXXX. Literae *Statuum ac Legatorum Principum S. R. Imperii*, Heilbronnae degentium, ad *Ludovicum* XIII. Galliae Regem, quibus ei pro ſalutaribus conſiliis ſibi ſuppeditatis gratias agunt, illumque de fœdere inter ſemet-

Digitized by Google

ſemetipſos inito ac proxime cum ipſo ac Sveciae Regina ineundo certiorem reddunt, 1633. pag. 199
(XCIII) Literae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Franciſcum Cardinalem Barbarinum*, a quo modeſte contendit, velit ſummo Pontifici ſvaſor eſſe, ut Stanislaum Koſtkam, virum vera pietate & multis prodigiis inſignem, ſanctorum numero adſcribi patiatur, 1633. pag. 976
LXXXI. Literae *Georgii* II. Landgravii Haſſiaco-Darmſtadienſis, vigore quarum *Carolo* I. Angliae Regi exponit, illam jurisdictionis partem, quam ſecum Elector Palatinus in Oppidum Umſtadienſe habuiſſet communem, ſibi ab Imperatore in compenſationem damnorum ditionibus Haſſiacis per milites Palatinos illatorum adjudicatam eſſe, atque abs eo enata inter ſe & dictum electorem hac de re controverſia aequis & amicae transactionis conditionibus tandem decidatur, aſſidue flagitat, 1633. pag. 202
(XCIV) Literae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Annibalem Bentivolum*, utriusque Signaturae in curia Romana Referendarium, cui Smolenſcum arcta per Moſchos obſidione cinctum, exoptato ſucceſſu liberatum eſſe nuntiat, 1633. pag. 978
(XCV) Literae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Annibalem Bentivolum*, utriusque Signaturae in curia Romana Referendarium, quibus ipſi Moſchos ad incitas mox redactum iri, Turcicum vero bellum, ſumma cum gentis Polonicae laude & emolumento confectum eſſe refert, 1633. pag. 980
LXXXII. Literae *Axelii Oxenſtiernii*, rerum per Proteſtantes in Germania gerendarum Directoris, ad *Ludovicum* XIII. Galliae Regem, quibus nihil certi de Philippiburgo, ob cauſas ſat praegnantes, concludi, & in ſatisfactionem Regii deſiderii ſtatui adhuc potuiſſe, exponit, 1633. pag. 212

ANNUS MDCXXXIV.

(XCVI) Literae *Guidonis Cardinalis Bentivoli*, ad *Stanislaum Lubienskium*, Epiſcopum Plocenſem, quibus, multa ſibi Patres Soc. Jeſu, natione Polonos, de benevolenti ipſius, quo ſe proſequeretur, affectu, retuliſſe, inde-

Digitized by Google

indeque se commoviſſe, ut ei opuſcula ſua in ſinceri quotidianisque officiis continuandi amoris teſſeram transmitteret, nuntiat, 1634. pag. 982
(XCVII) Reſponſoriae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Guidonis Cardinalis Bentiboli*, praeinſertas literas, 1634. pag. 984
(XCIIX) Literae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Annibalem Bentibolum*, utriusque Signaturae Referendarium, cui Moſcos malleum & incudem inter poſitos componendae pacis deſiderium prae ſe ferre, atque Poloniae novi a Turcis belli periculum imminere exponit, 1634. pag. 986
(XCIX) Literae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Joannem Gembicium*, Secretarium Regium, quibus in illum invehitur, qui Regi belli in ulteriores Moſcoviae fines proferendi auctor extiterit, & vehementer optat, ut omnibus quam primum in patriam vel victoribus, aut pacis ſaltem tutae & honeſtae vindicibus redire liceat, 1634. pag. 989
(C) Literae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Honoratum Vice-Comitem*, Archiepiſcopum Lariſſenum, cui, quid Polonis circa Pacem cum Moſcis ineundam ſperandum ſit, exponit, 1634. pag. 991
(CI) Literae *Gbidonis, Cardinalis Bentiboli*, ad *Stanislaum Lubienskium*, Epiſcopum Plocenſem, quibus mavortiam Regis & militum Poloniae virtutem illuſtri mactat elogio, 1634. pag 993
(CII) Literae *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Gbidonem Cardinalem Bentibolum*, quibus ipſi, Regem, confecto ſumma cum laude bello Moſcovitico, quotidie expectari, eum vero intra Walachiae limites novam parandae gloriae occaſionem operiri nuntiat, 1634. pag. 996
(CIII) Reſponſoriae *Gbidonis, Cardinalis Bentiboli*, ad praeinſertas *Stanislai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, literas, 1634. pag. 998
LXXXIII. Literae *Vladislai* IV. Poloniae Regis, ad *Amuratbum* IV. Imperatorem Turcarum, querelas ob laeſam a Turcis pacis ac foederum ſanctitatem in ſe continentes, & firmioris ſecuriorisque pacis rationes commendan-

Digitized by Google

dantes, 1634. pag.217
(CIV) Breve *Urbani Papæ* IIX. ad *Johannem*, Archiepiſcopum Gneſnenſem, quo eum laudat, quod lectionem S. Codicis in Polonicum idioma translati, publico edicto vetuerit, 1634. pag 1000
(CV) Literae *Stanulai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Gbidonem Cardinalem Bentiboium*, quibus ipſi Turcam ad ſolam adventantis Vladislai IV, famam fluctuare & incertum conſilii haerere, num ambiguo marte decertare, an ad pacatiora redire media conſultius ſit, recenſet, 1634. pag.1001
(CVI) Reſponſoriae *Gbidonis*, *Cardinalis Bentiboli*, ad praecedentes *Stanulai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, literas, encomia Vladislai IV. Regis, rerum gerendarum fortuna clariſſimi, continentes, 1634. p.1003
(CVII) Literae *Stanulai Lubienskii*, Epiſcopi Plocenſis, ad *Gbidonem Cardinalem Bentiboium*, cui Alexandrum, fratrem Regium, praematura morte extinctum eſſe refert, 1634. pag. 1005

ANNUS MDCXXXV.

LXXXIV. Literae *Chriſtinæ*, Svecorum Reginae, ad *Johannem Georgium* I. Saxoniae Electorem, quibus eum de pace, quam ſe inſcia ac inconſulta, nec condigna dignitatis ſuae ratione habita, cum Imperatore Ferdinando II. Pirnae, (*Pragæ*) compoſuiſſet, objurgat, aliarumque injuriarum accuſat, 1635. pag.223

ANNUS MDCXXXVI.

LXXXV. Literae reſponſoriae priores, a *Joh. Georgio* I. Saxoniae Electore, ad *Regias Sbecicas* praecedentes datae, quibus fœderis olim cum Guſtavo Adolpho, Svecorum Rege, initi obligationem cum ipſa dicti Regis vita deſiiſſe, ſeque vinculo fœderatitio non amplius teneri exponit, 1636. pag.228
LXXXVI. Reſponſoriae *Johannis Georgii* I. Electoris Saxoniae, poſteriores ad *Chriſtinæ*, Svecorum Reginae, literas ſecunda die Decembris, anni praeteriti datas, quibus ipſi cauſas, quae ſibi paciſcendi cum Imperatore neceſſitatem impoſuerint, recenſet, ac culpam ingrati animi & violati fœderis ſibi objectam modeſte diluit, 1636. pag.234

LXXXVII. Breve *Urbani* VIII. Pontificis, ad *Status* XIII. *Pagorum Helvetiae*, quo eos monet, ut firmam inter se invicem ſtabiliant concordiam, 1636. pag. 250

LXXXIIX. Literæ credentiales, a *Chriſtina* Regina Sveciæ, Petro Spiringio, ſuo ad *Ordines Generales fœderati Belgii*, Legato datae, 1636. pag. 252

ANNUS MDCXXXVII.

(CVIII) Literæ *Chriſtinæ*, Svecorum Reginæ, ad *Fridericum*, Archiepiſcopum Bremenſem, quibus jam a ſe transactionem Stadenſem, curante Salvio, ipſi transmitti refert, & aditæ Archipræſularis dignitatis honorem gratulatur, 1637. pag. 1006

(CIX) Reſponſoriæ *Friderici*, Archipræſulis Bremenſis ad præinſertas *Chriſtinæ*, Svecorum Reginæ literas, 1637. pag. 1008

ANNUS MDCXXXIIX.

LXXXIX. Literæ *Johannis Georgii* I. Saxonici Electoris, ad *Philippum* IV. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi de filia recens nata, Maria Thereſia, gratulatur, 1638. pag. 253

ANNUS MDCXXXIX.

XC. Literæ *Chriſtiani* IV. Daniæ Regis, ad *Ludovicum* XIII. Galliæ Regem, quibus ei, quouſque in tractatibus pacis] Lubecæ inchoatis perventum ſit, refert, atque ſe nihil inde in gratiam Ordinum fœderati Belgii Generalium efficere poſſe aſſeverat, 1639. pag. 254.

XCI. Literæ *Theologorum per Helvetiam Reformatorum*, quibus a *Gvilielmo*, Magnæ Britanniæ Primate & Archiepiſcopo Cantuarienſi, ſollicite efflagitant, ut Carolo I. Magnæ Britanniæ Regi, bellum in Scotos deſtinatum omni, qua polleret, induſtria diſſuadeat, 1639. pag. 258

XCII. Literæ *Chriſtinæ*, Reginæ Svecorum, ad Regem Galliae *Ludovicum* XIII. quibus eum, ut Carolus Ludovicus, Princeps Palatinus, e cuſtodia, in qua Molini aſſervabatur, liberetur, amice compellat, 1639. p. 261

XCIII. Literae *Chriſtinæ*, Suec. Reginæ, ad *Eliſabetham*, Friderici V. Electoris Palatini viduam, quibus ſe omni effeciſſe ſtudio refert, ut Elector, filius ejus, cuſtodia, cui Molini commiſſus erat, quamprimum emittatur, 1639. p. 264

ANNUS

XCIV. Literæ, quibus *Theologi Scotici, Reformatæ per Helvetiam, Theologis* Ecclesiæ Scoticanæ faciem a primis ejus incunabulis ad sua usque tempora brevibus delineatam repræsentant, seque a perduellionis & seditionis crimine purgant, 1640. pag. 266

XCV. Literæ *Ferdinandi* III. Rom. Imperatoris, ad *Urbanum* IIX. Pontificem Romanum, quibus eum sollicite rogat, ne avocàndo Cardinalem Gineddi, Legatum suum a Latere, tractatibus de pace Coloniæ Agrippinæ habendis destinatum, exoptato Pacis negotio remoram injiciat, 1640. pag. 278

XCVI. Literæ Salvi conductus a *Ferdinando* III. Rom. Imperatore *Svecicis fœderatis*, quo tutius, ad tractatus Pacis Lubecæ vel Hamburgi instituendos accedere possint, traditæ, 1640. pag. 281

ANNUS MDCXLI.

XCVII. Literæ S. R. Imperii *Electorum Principum, & Statuum Legatorum*, Ratisbonæ, in Comitiis Congregatorum, ad *Christinam*, Svecorum Reginam, quibus ei Comitia ista non belli prorogandi, sed componendi mediis adinveniendis dicata esse exponunt, atque ab ea, ut ad destinata Paci concludendæ loca Legatos suos mittere tandem dignetur, honeste precantur, 1641. pag. 283

XCIIX. Literæ ab Electoralibus & aliorum S. R. Imperii Principum ac Statuum ad Comitia Ratisbonensia *Ablegatis*, ad *Status Regni Svecie* missæ, quibus ipsis Comitia ista non tam belli continuandi, quam Pacis restabiliendæ causa indicta esse referunt, utq; sibi facultatem cum Cæsarea Majestate & Statibus S. R. Imperii paciscendi non eripi patiantur, amantissime contendunt, 1641. pag. 287

XCIX. Literæ *Eorundem Legatorum*, ad *Consiliarios Regiminis Svecici*, quibus ab eis obnixe flagitant, ut in animum Reginæ suæ pacifica inducere consilia comiter sustineant, 1641. pag. 290

C. Responsoriæ *Christinæ*, Reginæ Svecíæ, ad Electorum, Principum & Statuum S. Rom. Imperii, *Legatorum* literas, quibus se ab irenicis consiliis, si justæ, honestæ ac tutæ

tutæ Pacis ratio haberetur, non alienam esse declarat, 1641. pag. 297

CI. Responsoriæ *Consiliariorum Regni Sveciæ*, ad Electorum, Principum, ac Statuum S. Rom. Imp. *Legatorum* Literas, quibus pollicentur, se omnia sua eo directuros consilia, ut S. R. Imperio, si modo id etiam alteri parti curæ cordique sit, justa, secura ac constans tandem restitui tranquillitas possit, 1641. pag. 307

CII. Literæ, quibus *Statuum S. R. Imperii Legati Philippo* IV. Hispaniæ Regi, pro concessis Ordinum fœderati Belgii generalium Legatis, Salvis conductibus, gratias agunt, ac ut quamprimum cæteros ad tractatus deputatos Oratores suos mittere velit, eum submisse requirunt, 1641. pag. 313

CIII. Literæ ab *Electorum, Principum & Statuum*, S. R. Imperii, ad Comitia Ratisbonensia *deputatis Consiliariis & Legatis*, ad *Ludovicum* XIII. Galliæ Regem, exaratæ, quibus ab eo, ut Oratores suos, extraditis & receptis invicem Salvis conductibus, Coloniam Agrippinam, ad restaurandos Pacis Tractatus ablegare dignetur, obnixe contendunt, 1641. pag. 314

CIV. Literæ *Ferdinandi* III. Rom. Imp. ad *Ferdinandum*, Infantem Hispaniæ, Cardinalem & Episcopum Toletensem, quibus ut Archidiœcesin & vectigalia Trevirensia, a militibus & Ministris Hispanicis vi occupata confestim evacuari mandet, postulat, 1641. pag. 317

CV. Literæ ad *Christinam*, Reginam Sveciae, a *S. R. Imperii Electorum, Principum & Statuum Legatis* exaratæ, quibus eam, ut maturandorum pacis tractatuum ergo, Oratores suos quamprimum ablegare & necessarias salvi conductus tabulas transmittere haud gravetur, studiose compellant, 1641. pag. 319

CVI. Literæ *Eorundem*, ad *Reginæ Regnique Sveciæ Tutores, Administratores & Consiliarios*, quibus ab eis, ut literas suas ad Reginam datas, omni meliori modo commendare & animum Regium ad pacis quamprimum restaurandæ negotium indies proniorem reddere studeant, sollicite efflagitant, 1641. pag. 323

CVII. Literæ *Francisci de Sousa Coutinii*, Legati Johannis IV. Lusitaniæ Regis per septentrionem extraordinarii, qui-

quibus pro Principe Eduardo, Fratre Regis ſui, carceri Viennæ incluſo, apud *Statuum S. R. Imp. Ratisbonæ congregatos Deputatos*, intercedit, eumque tanquam omni culpa immunem defendit, 1641. pag. 324

CVIII. Literæ *Ferdinandi* III. Rom. Imperatoris, quibus *Ferdinando*, Infanti Hiſpaniæ, Rom. Eccleſiæ Cardinali & Archiepiſcopo Toletano, Salvos conductus pro Legatis ad pacis negotium deputandis ratione locorum eſſe mutatos & mutandos nuntiat, 1641. p. 332

CIX. Literæ *Chriſtiani* IV. Daniæ Regis, ad *Claudium de Meſmes*, Ludovici XIII. Galliæ Regis, ad tractatus reſtaurandæ in Germania Pacis Legatum, quibus, ne pacis diutius negotium protrahatur, poſtulatis ipſius ab Imperatore ſatisfactum iri, verbo ſuo regio ſpondet, 1641. pag. 334

CX. Reſponſoriæ Legati Gallici *Claudii de Meſmes*, ad præcedentes *Chriſtiani* IV. Daniæ Regis literas, 1641. pag. 335

ANNUS MDCXLII.

CXI. Literæ *Ferdinandi* III. Rom. Imperatoris, ad *Chriſtianum* IV. Daniæ Regem, quibus eum, quo ultimam manum inchoando pacis in Germania reſtabiliendæ negotio imponere, illudque omni ſtudio promovere haud gravetur, amice compellat, 1642. pag. 337

CXII. Literæ *Claudii de Meſmes*, Ludovici XIII. Galliæ Regis, ad Præliminaria Pacis in Germaniam reducendæ pertractanda Plenipotentiarii, ad *Chriſtianum* IV. Daniæ Regem, cui artes ac dolos a Miniſtris Cæſareis in protracto per quinquennium componendorum Pacis præliminarium negotio adhibitos candide exponit, ſeque proxime e Germania diſceſſurum nuntiat, 1642. pag. 344

CXIII. Literæ *Chriſtiani* IV. Regis Daniæ, ad Legatum Gallicum, *Claudium de Meſmes*, exaratæ, quem quod Auersbergius Haffniam inopinato appulſus omnia præſtare promiſerit, quæ Cæſareis e lege Præliminarium præſtanda eſſent, certiorem reddit, ac requirit, ut iter exinde, quo redire in patriam parabat, differat, 1642. pag. 358

CXIV. Reſponſum *Claudii de Meſmes*, Legati Gallici, ad præ-

Digitized by Google

præcedentes *Chriſtiani* IV. Regis Daniæ literas, quo ab Auersbergio novam tantum fruſtrationum ſcenam inſtructum iri docet, ſeque non ideo, ſed ſolummodo, ut ipſius voluntati obſequatur, diſceſſum ſuum dilaturum eſſe promittit, 1642. pag. 359

CXV. Reſponſoriæ *Johannis Salbii*, Legati Svecici, ad *Regias Danicas*, Glücksburgo, die $\frac{13}{23}$ Auguſti, ad ſe datas, 1642. pag 364

CXVI. Literæ *Chriſtiani* IV. Daniæ Regis, ad *Claudium de Meſmes*, Legatum Gallicum, quibus terminos commutandis inſtrumentis & inchoando pacis tractatui poſitos, ob cauſam ſonticam productos eſſe nuntiat, ſcireque ex eo cupit, num præſtitis ab Imperatore & Rege Hiſpaniarum præſtandis, plenam deinde facultatem ipſos pacis tractatus inſtituendi ſit habiturus, 1642. pag 368

CXVII. Reſponſoriæ *Claudii de Meſmes*, Chriſtianiſſimi Regis Legati, ad *Chriſtiani* IV. Danorum Regis, præinſertas literas, 1642. pag. 369

CXVIII. Reſponſoriæ *Johannis Salbii*, Legati Svecici, ad literas *Chriſtiani* IV. Daniæ Regis, die 28. Auguſti (ſtyl. vet.) ad ſe exaratas, 1642. pag. 372

CXIX. Literæ *Johannis Salbii*, Plenipotentiarii Svecici, ad Dn. *Luzobium*, Plenipotentiarium ad pacis tractatus Cæſareum, cui cæteros Plenipotentiarios Regni Sveciæ Stralſundiam appuliſſe nuntiat, ac ut dies inchoando ipſi tandem pacis tractatui dicatur, amice ab eo efflagitat, 1642. pag. 375

ANNUS MDCXLIV.

CXX. Literæ ad *Status S. R. Imperii*, Francofurti ad Mœnum congregatos, a *Plenipotentiariis Sbecicis* datæ, quibus eis, quid pacis tractatus moretur, quidve promovere poſſit, exponunt, illosque, ut ipſi operi manum cuneumque tandem admoveant, ſedulo hortantur, 1644. pag. 377

ANNUS MDCXLVI.

CXXI. Literæ a *Legatis Principum S. R. Imp.* ad *Plenipotentiarios Hiſpanicos*, quibus ab eis, ne Spira Nemetum proxime a præſidio Gallico liberanda per milites Hiſpanicos occupetur, modeſte contendunt, 1646. pag 383

CXXII.

Digitized by Google

CXXII. Literæ *Eorundem*, ad *Plenipotentiarios Gallicos*, in cauſa cum praecedenti pari exaratae, 1646. pag. 384
CXXIII. Literae *Marchionis*, de *Caſtel Rodrigo*, Regias Vices in Belgio Hiſpanico fuſtinentis, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus tractatum Monaſterienſem tarde procedere, novumque inter ipſos & Galliae Regem de occupando per Gallos Gandavo, praeſidio nudato, clanculum confectum eſſe, conqueritur, 1646. pag. 386
CXXIV. Reſponſum *Ordinum fœderati Belgii Generalium*, ad praecedentes *Marchionis* de *Caſtel Rodrigo* literas, 1646. pag. 388
CXXV. Literae *Plenipotentiariorum Sſecicorum*, ad *Chriſtianiſſimi Regis Plenipotentiarios*, quibus illis mentem Reginae ſuae circa ſatisfactionem ab ipſa deſideratam, & Pomeraniae ulterioris reſtitutionem exponunt, 1646 pag. 389

ANNUS MDCXLVII.

CXXVI. Literae *Chriſtinæ*, Svecorum Reginae, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, quibus Maximilianum, Electorem Bavariae, conventioni de armiſtitio factae renunciaſſe refert, eumque, ne ſe quaeſitis ejusdem coloribus a fœderis ſecum initi ſanctitate ſeduci patiatur, ſed potius perfidiam in dicto Duce vindicet, amice hortatur, 1647. pag 391
CXXVII. Literae paris cum praecedentibus tenoris, a *Chriſtina*, Svecorum Regina, ad *Annam Mariam Mauritiam*, Galliae Reginam, exaratae, 1647. pag. 395
CXXVIII. Literae ejusdem cum proxime praeinſertis argumenti, ad *Julium Mazarinum*, Amicorum Regis & moderandi Regiminis Gallici Principem, a *Chriſtina*, Svecorum Regina, ſcriptae, 1647. pag. 397

ANNUS MDCXLIIX.

CXXIX. Literae *Ludovici* XIV. Galliae Regis, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus inter ipſos ac Hiſpaniae Regem tractatum privatim concluſum eſſe conqueritur, ac ut Legato ſuo extraordinario fidem in eis, quae propoſiturus ſit, habeant, rogat, 1648. pag. 400
CXXX. Literae, quas *Chriſtina*, Regina Sveciae, ad congre-

Digitized by Google

gregatos Osnabrugae & Monasterii *Statuum S. R. Imperii Legatos*, de negata militi Svecico satisfactione agentes, scripsit, 1648. pag. 401

(CX) Literae *Bohdani Chmielnicki*, Senioris Exercitus Zaporoscensis, ad *Vladislaum* IV. Poloniae Regem, a quo injuriis, quibus hactenus ab ejus Praefectis vexati fuissent, supplici veneratione explicatis, commissi per inconsultam Tartaricae Protectionis apprehensionem facinoris veniam, nec non Privilegiorum avitorum confirmationem humillime precatur, 1648. pag. 1010

CXXXI. Literae Dn. *Bruinii*, Legati Hispanici, ad S. R. *Imp. Principum & Statuum Legatos*, Pacis tractatibus in Westphalia consummandis destinatos, quibus eos, ut modum enormibus Gallorum postulatis ponere studeant, modeste compellat, 1648. pag. 408

CXXXII. Literae a *Statuum* S. R. Imp. ad generales Pacis tractatus *Deputatis Consiliariis & Legatis*, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem exaratae, quibus ipsi mentem suam, circa satisfactionem a Gallicis Plenipotentiariis desideratam, declarant, 1648. pag. 413

(CXI) Literae *Johannis Casimiri*, designati Poloniae Regis, ad *Carolum Ferdinandum*, fratrem suum, quibus ipsi valde exprobrat, quod sibi in obtinendo fastigii Regii gradu velit esse impedimento, 1648. pag. 1012

(CXII) Responsoriae *Caroli Ferdinandi*, Principis Regii, ad praeinsertas *Johannis Casimiri*, Fratris sui literas, 1648. pag. 1014

ANNUS MDCXLIX.

CXXXIII. Literae *Senatus Populique Anglicani* nomine, ad *Senatum Hamburgensem* exaratae, quibus popularibus suis Hamburgi commorantibus fidelitatis & homagii Sacramentum praestare sibi per quosdam ipsius Ordinis homines non licere, impense conquerantur, 1649 p. 416

CXXXIV. Literae, quibus *Parlamentum Reipublica Angliae Philippum* IV. Hispanorum Regem requirit, ut Antonio Ascamo, nomine suo in Hispaniam transituro, honestum ac tutum ad se aditum, ac quo volet abeundi potestatem largiri dignetur, 1649. p. 919

CXXXV. Literae credentiales a *Parlamento Reipublica Angliae*

Digitized by Google

glia, ad *Philippum* IV. Hispaniarum Regem, Antonio Aseamo datae, 1649. pag. 419

CXXXVI. Literae *Parlamenti Reipublicæ Angliæ* ad *Johannem* IV. Lusitaniae Regem, cui administrandae Reipublicae suae rationem ex parte mutatam esse, seque ad ipsum promovendi commercii & intercludendi defectoribus suis, piraticam exercentibus, refugii causa, Carolum Vane, fide digni Oratoris loco habendum, misisse refert, 1649. pag. 420

CXXXVII. Literae *Senatus Populique Anglicani*, ad *Senatum Hamburgensem*, quibus se Mercatoribus suis Hamburgi degentibus, ut imposterum meliori fide ibidem agant, mandasse nuntiant, utque popularibus suis contra perduellium Anglorum insultus praestent in urbe sua praesidium, serio precantur, 1649. pag. 422

CXXXIIX. Literae *Christinæ*, Svecorum Reginæ, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus eos, ne quicquam fœderi inter Sveciæ Regnum & eorum Rempublicam inito, ejusque genuino scopo ac suæ expectationi contrarium committi patiantur, sollicite hortatur, 1649.

ANNUS MDCL. pag. 425

CXXXIX. Literæ commendatitiae, a *Johanne Georgio* I. Saxonum Electore, Domino de Schœnburg, ad *Carolum* III. Mantuæ Ducem traditæ, 1650. p. 428

CXL. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Senatum Gedanensem*, quibus ab eo, ne tributum mercatoribus Anglis a magno Polonorum Concilio in Urbe sua imperari permittat, obnixe contendit, 1650. p. 429

(CXLII) Literæ *Deputat. & Legat. Statuum S. R. Imp.* ad *Philippum* IV. Hispaniæ Regem, quibus ab eo submisse contendunt, velit Praefectis suis mandare, ut Franckendaliæ munimentum, unicum adhuc pacandæ Germaniæ obicem, confestim Elect. Palat. restituant, 1650. p. 1014

CXLI. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, ad *Leopoldum* Ducem Austriæ, Provinciarum in Belgio Hispanico sub Philippo IV. Praefidem, quibus eum, Janam Pucheringam, Virginem Anglicanam, a Walcio quodam prædatorium in modum in Belgium abductam, ut liberam ac incolumem domum redire sinat, studiose rogat, 1650. pag. 430

CXLII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, ad *Senatum Hamburgenſem* datæ, quibus Richardo Bradshaw, Oratori ſuo, fidem haberi poſtulat, 1650. p. 432

CXLIII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, quibus a *Joanne* IV. Luſitaniæ Rege, ut Odoardo Poppamo Claſis, debellandæ ac captivandæ piratarum Anglorum in Luſitaniæ oris latitantium cohorti deſtinatæ, Præfecto ferre auxilium, & iſtam perfugarum colluviem pelli ditionibus ſuis jubere velit, amice contendit, 1650. pag. 434

CXLIV. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, ad *Senatum Hamburgenſem*, quibus eum, ut Oratorem ſuum, contra exulum ſuorum violentas manus tueri, & in hoc ſerio animadvertere velit, denuo rogat, 1650. pag. 435

CXLV. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Philippum* IV. Hiſpaniarum Regem, quibus Antonium Aſcamum, Oratorem ſuum, fœdo parricidio Madriti confoſſum eſſe graviter conqueritur, utque de parricidis comprehenſis conveniens ſceleri ſupplicium ſumatur, precatur, 1650. pag. 436

(CXIV) Literae *Conſiliariorum & Legatorum Ordinum S. R. Imperii*, ad Pacis executionis tractatus Deputatorum, ad *Chriſtinam*, Svecorum Reginam, cui pro conſtanter feliciterque exantlato, qui innumeris difficultatibus obnoxius erat, circa pacem Weſtphalicam ejusdemque executionem labore, maximas perſolvunt gratias, reſiduaque, ut executioni quantocyus mandare dignetur, maximopere ab eo efflagitant, 1650. pag. 1019

CXLVI. Literæ, quibus *Carolus Emanuel* II. Dux Sabaudiæ, *Joh. Georgio* I. Electori Saxoniæ, Adeleidem Henriettam, ſororem ſuam, Ferdinando Mariæ, Electori Bavariæ, matrimonii vinculis junctum iri nuntiat, 1650. pag. 437

ANNUS MDCLI.

CXLVII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Ferdinandum* II. Magnum Etruriæ Ducem, exaratæ, cui pro fave-

Digitized by Google

favore popularibus ſuis exhibito gratias agit, reciprocaque amoris & obſervantiæ officia ſpondet, 1651. pag. 438

CXLVIII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Senatum Hamburgenſem*, quibus a Reſidente ſuo illius ditionis juſtitiam aliquoties contra quosdam genti ſuæ inſidiantes ſine debito effectu efflagitatam eſſe perſert, utque ſuos homines, pro mutua amicitia, cum Reſidente ſuo protegere, nominatim autem in quendam, Garmis nomine inſignitum, animadvertere velit, amice monet, 1651. pag. 439

CXLIX. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Chriſtinam*, Svecorum Reginam, quibus acceptiſſima ſibi Oratorem & literas ejus fuiſſe, ſeque præmaturam prædicti Oratoris mortem acerbe dolore nuntiant, 1651. pag. 442

CL. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Philippum* IV. Hiſpaniarum Regem, quibus de novis tributis mercatoribus nationis ſuæ impoſitis & injuriis illis in portubus Hiſpanicis, nominatim autem in Inſulis Canaricis illatis impenſe conqueritur, ac harum reparationem, illorum vero abrogationem obnixe efflagitat, 1651. pag. 443

ANNUS MDCLII.

(CXV) Literæ *Hieronymi Radziejowskii*, Procancellarii Regni Poloniæ, ad *Ordines Regni*, efflagitandæ contra Johannis Caſimiri iram protectionis cauſa exaratæ, 1652. pag. 1021

CLI. Literæ *Concilii Status Parlamenti Reipubl. Angliæ*, ad *Ducem Senatumque Venetum*, quibus inter Joannem Dickons & Jobum Throkmorton mercatores Anglos ex una, & Joannem Piattum, mercatorem Venetum ex altera partibus, de centum dol.s Caveari controverſiam eſſe nuntiat, utque memoratum Piattum ad curiam Ammirallatus Anglicani, ubi lis penderet, ad jus ex lege audiendum remittant, amice contendit, 1652. pag. 445

CLII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, ad *Fridericum* III. Daniæ Regem, cui Regiminis in Anglia formam quidem, nihil vero amicitiæ, necessitudinis ac commercii cum vicinis Regibus ac Statibus mutatum, seque facile in ejus consilia mutui commercii florem spectantia consensurum esse refert, 1652. pag. 447

CLIII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Hanseaticarum Civitatum Proconsules & Senatores*, quibus se eorum Legatum & fidei ipsius commissa propenso animo excepisse, ac sibi pergratam fore mutuæ inter gentem Anglicanam & eorum civitates necessitudinis & commercii continuationem, nuntiat, 1652. pag. 449

CLIV. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Senatum Hamburgensem*, quibus se literas ejus debito ipsi favore accepisse refert, utque suo residenti vicissim paria amicitiæ documenta omni tempore exhibeat, amice rogat, 1652. pag. 450

(CXVI) Literæ *Friderici* III. Daniæ Regis, ad *Ordines Hollandiæ & Occidentalis Frisiæ*, quibus ipsis causam Friderici, supremi Ordinis Melitensis per Germaniam Magistri, Commendas Ordinis in districtu Harlemensi sitas attinentem impense commendat, 1652. pag. 1022

(CXVII) Literæ *Friderici* III. Daniæ Regis, ad *Magistratum Civitatis Amstelodamensis*, de bonis supremo Ordinis Melitensis per Germaniam Magistro, quæ Harlemensis Civitas sibi injusto titulo vindicaverat, restituendis, agentes, 1652. pag. 1024

CLV. Literæ ab *Architalasso Trompio*, ad *Generales foederati Belgii Ordines* exaratæ, prælii navalis inter eorum & Anglicanam classes commissi circumstantias exponentes, 1652. pag. 452

(CXIIX) Literæ *Hieronymi Radziejowskii*, Procancellarii Regni Poloniæ, patria ejecti, ad *Dn. Smielniskium*, summum Exercitus Zaporoviani Præfectum, quibus ipsi, ut arma exercitus sui cum Suecicis conjungat & protectionis Polonicæ jugum excutiat, auctor svasorque est, 1652. pag. 1026

CLVI. Literæ, quibus *Christina*, Svecorum Regina, a *Ferdinando* III. Rom. Imperatore modeste contendit, ne jura vectigalium sibi vigore Instrumenti Pacis Westpha-

phalicæ conceſſa per Electoris Brandenburgici & Domus Megapolitanæ infeſtos conatus patiatur labefactari, 1652. pag. 456

CLVII. Literæ *Caroli* II. Magnæ Britanniæ Regis tunc exulis, ad *Johannem Georgium* I. Saxoniæ Electorem, quibus ſe execrandis perduellium molliminibus Regnis ſuis ejectum eſſe conqueritur, atque ſibi ut opem conſiliaque ferre velit, obnixe rogat, 1652. pag. 462

CLVIII. Literæ *Concilii Status Reipublicæ Angliæ*, ad *Ferdinandum* II. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ei pro tutela mercatorum Anglicorum navibus in portu Liburnenſi contra Hollandos præbita, gratias agit, ac populares ſuos perfide illorum armis peti refert, 1652. pag. 462

CLIX. Literæ *Chriſtinæ*, Reginæ Svecorum, ad *Ferdinandum* III. Rom. Imperatorem, quibus tutorium ab ipſo Canonicis Bremenſibus, Pacis Weſtphalicæ contentis e diametro contrarium indultum eſſe, graviter conqueritur, utque memoratum Protectionis Diploma revocare ac ſubditos ſuos renitentes ad obedientiam ſibi debitam præſtandam ſeverius remittere haud gravetur, obnixe contendit, 1652. pag. 464

CLX. Literæ *Concilii Status Reipublicæ Anglicanæ*, ad *Ferdinandum* II. Magnum Etruriæ Ducem, cujus ſingularem in tutandis navibus Anglicanis benevolentiam ſe plurimi facere ſibique eam etiam gratiſſimam fuiſſe ſignificat, & reciproca amicitiæ officia promittit, 1652. pag. 469

CLXI. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Ferdinandum* II. Magnum Hetruriæ Ducem, quibus navem Oryza onuſtam, cujus reſtitutionem pro Cardio urſiſſet, per Curiam Ammiralatus Anglicani abjudicatam quidem fuiſſe a Cardio, ſed ipſius procuratori per Parlamenti mandatum, in teſtimonium favoris erga intercedentem reſtitutam eſſe nuntiat, 1652. pag. 471

CLXII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, ad *Fridericum* III. Daniæ Regem, quibus navibus ſuis redeundi in patriam libertatem Hafniæ ademptam eſſe conqueritur, utque Oratori ſuo ea de cauſa ad ipſum miſſo aures benignas & fidem amplam præbere velit, amice

precatur, 1652. pag. 473
CLXIII. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Ducem Venetiarum*, ejusdem singulare studium & benevolentiam erga Rempublicam Venetam declarantes, 1652. pag. 474
CLXIV. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, ad *Ferdinandum* II. Magnum Hetruriæ Ducem, cui Navarchum Appletonum commissum a se facinus non impune laturum, sed pœnam & rei gestæ magnitudini & voluntati ipsius consonam daturum esse significat, 1652. pag. 475
CLXV. Literæ *Caroli* II. Magnæ Britanniæ Regis, tunc exulis, ad *Ferdinandum* III. Rom. Imperatorem, quibus opem ac patrocinium ipsius implorat, & Henricum Comitem de Rochester de rebus suis plenius acturum, ut benigne audiat, ipsique fidem habeat, impense rogat, 1652. pag. 478
CLXVI. Literæ fiduciariæ a *Christina*, Svecorum Regina, Heraldo Appelboomio, Legato suo, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, mediationem inter eorum & prætensam Anglorum Rempublicam oblaturo, traditæ, 1652. pag. 480
CLXVII. Intercessionales *Christinæ*, Svecorum Reginæ, ad *Ferdinandum* III. Rom. Imperatorem, pro incolis inferioris Austriae aliisque sub ditionibus Cæsareis habitantibus Augustanae Confessioni addictis, ut ipsis liberum suae Religionis exercitium gratiose impertiri velit, scriptæ, 1652. pag. 482

ANNUS MDCLIII.

CLXIIX. Literæ *Generalium Belgii fœderati Ordinum*, ad *Parlamentum Reipubl. Angliæ*, quibus utriusque Nationis suæ incolas religione, statu, & naturali Provinciarum infestarum situ conformes, belli & discordiæ invicem calamitatibus cum hostium communium lætitia consumi, acerbe dolent, 1653. pag. 486
CLXIX. Responsoriæ *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ*, ad proxime præcedentes *Ordinum fœderati Belgii Generalium*, literas, 1653. pag. 488
CLXX. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Angliæ*, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus se ad conficiendos motus

Digitized by Google

motus bellicos inter utramque Rempublicam ferventes quam maxime pronum esse, asseverat, 1653. pag. 491
CLXXI. Responsoriæ *Ordinum fœderati Belgii Generalium*, ad præinsertas *Parlamenti Reipublicæ Anglicanæ* literas, 1653. pag. 492
CLXXII. Literæ *Ferdinandi* III. Rom. Imperatoris ad *Christinam*, Svecorum Reginam, quibus suo omniumque Electorum, Principum ac Statuum nomine, ut ulterior Pomerania Electori Brandenburgico confestim restituatur, vel quid sibi circa istam restitutionem sit consilii, cathegorice respondeat, instantius urget, 1653. pag. 493
CLXXIII. Literæ *Christinæ*, Svecorum Reginæ, ad *Electores S. R. Imperii*, Ratisbonæ de eligendo Rom. Rege occupatos, quibus ab eis, ut in ipso electionis actu suffragia sua de eligendo Ferdinando, Hungariæ & Bohemiæ Rege, consociare haud graventur, amice contendit, 1653. pag. 497
CLXXIV. Literæ ejusdem cum immediate præinsertis argumenti ad *Principes & Status S. R. Imperii*, a *Christina*, Sveciæ Regina, exaratæ, 1653. pag. 500
CLXXV. Literæ *Henrici*, Comitis de Rochester, Legati Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis tunc exulis, ad *Ferdinandum* III. Rom. Imperatorem, quibus ejus Sacrique Romani Imperii opem & consilia nomine Regis sui instantissime implorat, 1653. pag. 503
CLXXVI. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglia*, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus se a justis honestisque mediis restaurandæ in utraque Republica pacis non alienum esse declarat, 1653. pag. 505
CLXXVII. Literæ commendatitiæ a *Carolo* II. Magnæ Britanniæ Rege tunc exule ad *Johannem Georgium* I. Saxoniæ Electorem, Domini Samuelis Bosii, Colonelli causa, exaratæ, 1653. pag. 507
(CXIX) Literæ *Generalium fœderati Belgii Ordinum*, ad *Christophorum Bernhardum*, Episcopum Monasterien-sem, quibus Dominium Berculonense Ducatus Geldriæ feudum esse, & causas Comitum de Limburg ad dicti Ducatus forum unice pertinere, probare conantur, 1653. pag. 1038

CLXXIIX. Literæ *Concilii Status Reipublicæ Anglie*, ad *Fridericum* III. Ducem Holſatiæ, Lineæ Gottorpienſis, quibus regiminis formam quidem, non vero favorem & debitum exteris Principibus venerationem in Anglia mutatam eſſe, ſeque ingenti animorum propenſione erga ipſum ferri profitetur, 1653. p. 508

CLXXIX. Literæ *Parlamenti Reipublicæ Anglie*, ad *Cantonum Helvetiæ Ordines*, reformatam Religionem profitentes, eorumque confœderatos, quibus eis, quod tam præclare de vindicata Anglorum libertate ſentiant, grates perſolvunt maximas, ſibique admonitionem eorum de pace cum Belgis fœderatis concludenda curæ cordique fore promittunt, 1653. pag. 509

(CXX) Literæ *Ferdinandi* III. Rom. Imperatoris, ad *Wolfgangum Wilhelmum*, Comitem Palatinum Rheni, Lineæ Neoburgicæ, cui, ſupremo Circuli Weſtphalici Directori, executionem cauſæ Ordinis Melitenſis contra quosdam in fœderati Belgii Provinciis ſitarum Commendarum uſurpatores committit, 1653. pag. 1041

(CXXI) Literæ *Statuum S. R. Imperii Ratisbonæ* in Comitiis congregatorum ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus ipſis cauſam Ordinis Melitenſis impenſe commendant, 1653. pag. 1046

ANNUS MDCLIII.

CLXXX. Literæ *Chriſtinæ*, Svecorum Reginæ, ad *Fridericum* III. Ducem Holſato-Gottorpienſem, quibus ſe Legatis ſuis Ratisbonæ in Comitiis verſantibus mandaſſe refert, quo omnem lapidem moveant, ipſe ut alternantium Principum numero includatur, 1654. p. 512

CLXXXI. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicæ Anglicanæ, ad *Ordines Zelandiæ*, quibus eos, ne ſe & Ordines Hollandiæ per quosdam Hagæ latitantes Pacis & concordiæ oſores a conſtanti quietis publicæ conſervandæ propoſito averti patiantur, ſed pari ſecum zelo idem indies magis magisque firmare contendant, blande compellat, 1654. pag. 514

CLXXXII. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Reipublicæ Angliæ &c. Protectoris, ad *Authonium Günterum*, Co-

Digitized by Google

Comitem Oldenburgicum, quibus ipſi pro gratulatione de ſuſcepta a ſe Anglicanae Reipublicae adminiſtratione grates, ſeque Oratorum ejus poſtulatis ſatisfeciſſe refert, 1654. pag. 517

CLXXXIII. Literae *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Anthonium Güntherum*, Comitem Oldenburgicum, quibus ſibi literas ejus non uno nomine gratiſſimas fuiſſe, ſeque amicitiam ipſius & munus transmiſſum plurimi facere nuntiat, 1653. p. 518

CLXXXIV. Literae *Caroli Guſtavi*, Svecorum Regis, ad *Johannem Caſimirum*, Poloniarum Regem, datae, quibus ipſi ſummam rerum Svecicarum in ſe translatam eſſe refert, officiaque ſua paratiſſima Principibus tot nominibus conjunctiſſimis digna offert, 1654. pag. 520

CLXXXV. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Carolum Guſtavum*, Svecorum Regem, quibus ipſi de felici in ſolium Regni Svecici exaltatione gratulatur, ſibique oblatam fœderis inter utramque gentem mutui continuationem acceptiſſimam fuiſſe, aſſerit, 1654. pag. 522

CLXXXVI. Literae *Senatus Civitatis Bremenſis*, ad *Carolum Guſtavum*, Svecorum Regem, quibus Gubernacula Regni Svecici in manus ipſius devoluta gratulatur, ac de hoſtilibus Gubernatoris in Ducatu Bremenſi Regii adverſus urbem ſuam inſultibus valde conqueritur, eosque, ut pro ea qua polleret autoritate & in publicam tranquillitatem propenſione irritos reddere gratioſe dignetur, humiliter rogat, 1654. pag. 524

CLXXXVII. Literae credentiales a *Carolo Guſtavo*, Svecorum Rege, Comiti Carolo Chriſtophoro de Schlippenbach, Legato ſuo, ad *Johannem Georgium* I. Saxoniae Electorem traditae, 1654. pag. 528

CLXXXIIX. Literae *Caroli Guſtavi*, Svecorum Regis, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus quantos qualesque motus Civitas Bremenſis in Ducatu Bremenſi concitare ſit aggreſſa, exponit, nec vicinis ex bello indo enato aliquid periculi metuendum eſſe aſſeverat, 1654. pag 529

CLXXXIX. Literae *Oliverii*, Reipublicae Angliae Protectoris, ad *Carolum Guſtavum*, Sveciae Regem, quibus

ſpſi dolorem ſuum de ferveute inter Svecos & Bremenſium Civitatem bello aperit, utque quamprimum conficiatur, optat & ſvaſor eſt, 1654. pag. 538

CXC. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Senatum Bremenſem*, cui ſe Regi Sveciae Pacem concordiamque ſvadendo ſcripſiſſe refert, 1654. pag. 533

(CXXII) Literæ recredentiales, quas *Carolus Guſtavus*, Sveciae Rex, Domino Piques, Reſidenti Gallico, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem tradidit, 1654. pag. 1050

ANNUS MDCLV.

CXCI. Literæ *Senatorum Regni Sveciæ*, ad *Senatores Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ*, quibus Regem ſuum Pacis inter utramque gentem reſtaurandae ſtudioſiſſimum eſſe probant, ac ut Respublica Polona, remotis omnibus ambagibus, ad obtinendum ſalutarem adeo ſcopum majori ſinceritate ſua conferat ſtudia, obnixe contendunt, 1655. p. 534

CXCII. Reſponſoriæ *Senatorum Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ*, ad praeinſertas *Senatorum Regni Sveciæ* literas, 1655. pag. 542

CXCIII. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Carolum Emanuelem* II. Sabaudiæ Ducem, quibus abs eo, ut pulſos patria vallium Pedemontanarum incolas, Reformatorum ſacris deditos, ad lares patrios tuto redire gratioſe permittat, omni ſtudio efflagitat, 1655. p. 547

CXCIV. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae, ad *Georgium Ragoczium* II. Principem Tranſylvaniae, cujus promovendæ & defendendae rei Chriſtianae ſtudium, dignis effert laudibus, Vallenſesque Pedemontanos, Reformatae Religionis dogmata profitentes, a Duce Allobrogum ſedes avitas & bona omnia relinquere coactos eſſe, valde conqueritur, 1655. pag. 550

CXCV. Literæ *Oliverii*, Protectoris Anglicanae Reipublicæ, ad *Carolum Guſtavum*, Sveciae Regem, cui vallium Alpinarum incolas, Reformatae Religionis cul-

Digitized by Google

cultu exoſos, a Duce Sabaudiae patria exterminari juſſos eſſe refert, utque miſeris iſtis exulibus preces ſuas apud eum interponere ſuaque tuendae communi Religioni ſtudia commodare haud gravetur, amice injungit, 1655. pag. 552

CXCVI. Literæ paris cum praecedentibus tenoris, ad *Fridericum* III. Daniae Regem, ab *Oliverio*, Anglicanæ Reipublicae Protectore, ſcriptæ, 1655. p. 554

CXCVII. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus Vallenſes, communibus utrinque ſacris addictos, ſedibus avitis exactos, omnibusque fortunis exutos eſſe docet, ac ut ſecum cæterisque reformatis conſilium capere velint, quo periclitantium iſtorum ſaluti conſuli commodiſſime queat, impenſe precatur, 1655. pag. 556

CXCIIX. Literæ ejusdem cum prioribus argumenti, ab eodem *Oliverio*, ad *Civitates Helvetiorum Evangelicas* exaratae, 1655. pag. 558

(CXXIII) Literæ *Caroli Guſtavi*, Svecorum Regis, ad *Johannem Caſimirum*, quibus ſe ſumma neceſſitate inductum Poloniae bellum intuliſſe, aſt minime juſtae & honeſtae pacis, ſi locus ipſi detur, abſtemium eſſe refert, 1655. p. 1052

CXCIX. Literæ *Caroli Guſtavi*, Svecorum Regis, ad *Jacobum*, Curlandiae Ducem, cui condignam ſe Ducatus ejus, ſive amica conventione, ſive armis lites cum Polonis gliſcentes tandem decidantur, rationem habiturum eſſe promittit, 1655. pag. 560

CC. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Conſules Senatoresque Civitatis Genevenſis*, quibus ut transmiſſa a ſe duo librarum Anglicanarum millia in exules Vallenſes diſtribuere haud graventur, obnixe contendit, ſeque collectum pro eis per Angliam æs proxime miſſurum eſſe aſſerit, 1655. pag. 562

CCI. Literæ *Caroli Guſtavi*, Svecorum Regis, ad *Ferdinandum* III. Romanorum Imperatorem de cauſis, &

& occaſionibus belli, Poloniae inferendi, ac conſtanti Pacis Weſtphalicae ex fide & religione pactorum ſervandae, amicitiaeque ipſorum continuandae propoſito agentes, 1655. pag. 564

CCII. Reſponſoriae *Ferdinandi* III. Rom. Imperatoris, ad praeinſertas *Caroli Guſtabi*, Svecorum Regis literas, 1655. pag. 573

CCIII. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, quibus ab eo, ut Miniſtros & Duces ſuos crudelitatis proprio auſu in perſequendis Vallium Alpinarum exulibus commiſſae, pœnas dare jubeat, dictorumque exulum reſtitutionem apud Allobrogum Ducem inſtantius urgeat, ſollicite contendit, 1655. p. 574

CCIV. Literae fiduciariae ab *Oliverio*, Anglicanae Reipublicae Protectore, nobili cuidam Viro ad *Cardinalem Mazarinum* traditae, 1655. pag. 576

CCV. Literae *Johannis Caſimiri*, Poloniae Regis, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus auxilia eorum, contra infeſta Svecorum arma, & fidem Reſidenti ſuo mentem Regiam clarius expoſituro, adhibendam implorat, 1655. pag. 577

CCVI. Literae *Caroli Emanuelis* II. Ducis Sabaudiae, ad *Johannem Georgium* I. Saxoniae Electorem, quibus pulſis Patria Vallenſibus intercesſionales ipſius egregie profuiſſe, eosque, Chriſtianiſſimo Rege pacificationis autore, ſedibus ſuis reſtitutos eſſe, nuntiat, 1655. pag. 579

CCVII. Breve *Alexandri* VIII. P. P. ad *Clerum Eccleſiæ Gallicanæ*, cui ſerio injungit, ut ardentioribus Deum precibus fatigare contendat, quo gliſcentes ſimultates inter Hiſpaniarum & Galliae Reges clementer aſſopire dignetur, 1655. pag. 580

(CXXIV) Literae *Arfvidi VVittenbergii*, ſupremi ſopiarum Svecicarum Ductoris, ad *Stephanum Czarnecium*, ſummum præſidii Cracovienſis Praefectum, quem ſerio hortatur, ne urbem ad incitas redactam ultimo diſcrimini exponat, ſed eam potius Regi victori dedendo inſtanti tempeſtati ſubtrahat, 1655. p. 1053

(CXXV) Literae *Stephani Czarnecii*, ſummi Praeſidii Cra-

Cracovienſis Praefecti, ad *Carolum Guſtavum*, Sveciae Regem, cui Cracoviam proxime dedendam offert, ſed ea conditione, ut cedendae urbis coarctatas res prius Johanni Caſimiro nuntiare ſit licitum, 1655. p. 1054

CCVIII. Literae *Caroli Guſtavi*, Regis Sveciae, ad *Ferdinandum* III. Rom. Imperatorem, quibus ei ſucceſſus armorum ſuorum per Poloniam proſperos ſignificat, eumque, ut Reſidenti ſuo fidei ſuae commiſſa explicaturo aures benignas fidemque praebeat, blande compellat, 1655. pag. 583

CCIX. Reſponſoriae à *Ferdinando* III. Rom. Imperatore, ad proxime praecedentes, *Caroli Guſtavi*, Svecorum Regis literas, quibus ipſi ſimul operam ſuam componendis inter eum & Poloniae Regem ferventibus diſſidiis dicatam offert, 1655. pag. 585

CCX. Literae *Procerum quorundam Poloniae*, ad *Carolum Guſtavum*, Svecorum Regem, Poloniam victoriis peragrantem, quem ne rebus ſecundis, populoque in occurſum ruenti nimium fidat, ſed juſta honeſtaque pangendi cum Rege ſuo media amplectatur, candide hortantur, 1655. pag. 588

CCXI. Literae *Ferdinandi* III. Rom. Imperatoris, ad *Johannem Caſimirum*, Poloniae Regem, quibus ipſi ſe res ejus in tot talesque anguſtias redactas, aegro percepiſſe animo refert, ſuaque officia, partibus belligerantibus interponenda offert, 1655. pag. 591

(CXXVI) Literae *Johannis Caſimiri*, Poloniae Regis, ad *Georgium Lubomirium*, ſupremum exercitus Polonici Praefectum, cujus magnanimitatem nulla periculorum magnitudine concutiendam eximiis mactat laudibus, 1655. pag. 1055

(CXXVII) Literae *Andreae de Leſzno*, Regni Poloniae Primatis, ad *Georgium Lubomirium*, Regni Poloniae Campi Mareſcallum, quibus ipſum, velut inter egregios Poloniae viros inconcuſſa conſtantia fidei & amori in Patriam tenaciſſime inſiſtentes primarium, ſingulari plane demulcet elogio, 1655. pag. 1056

CCXII. Literae *Caroli Guſtavi*, Svecorum Regis, ad *Fridericum Wilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, quibus ei faciem foederis inter ſemet pangendi, irritosque

que ab utraque parte conatus repraesentat, eumque, ut oblatas fœderis conditiones tandem amplectatur, amice monet, 1655. pag.593

(CXXIIX) Literæ *Johannis Casimiri*, Poloniae Regis, ad *Georgium Lubomirium*, summum exercitus Polonici Imperatorem, quibus ipsi rerum Polonicarum servatoris nomen tribuit, seque quamprimum in Poloniam per Hungariam rediturum esse, significat, 1655. pag.1058

CCXIII. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Venetiarum Ducem*, a quo ut navis, Principis magni nomine insignita, Mercatoribus Anglis infausto casu erepta, restituatur, obnixe contendit, 1655. pag. 605

CCXIV. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, quibus eum, ut mercatoribus Anglis navem, cui unicornu insigne, per naves Gallicas in mari mediterraneo captam, restitui jubeat, impense rogat, 1655. pag. 607

(CXXIX) Literæ *Burchardi Mulleri*, Exercitus Svecici Generalis, ad *Priorem & Praesidium Monasterii Clari Montis Czenstochovienſis*, quibus eos hortatur, ut fortalitium confestim aut dedant, aut pertinaciam suam LXXX. millium Imperialium summa redimant, 1655. pag.1059

ANNUS MDCLVI.

CCXV. Literæ *Johannis Casimiri*, Regis Poloniae, ad *Civitatem Thorunienſem*, quibus se ægerrima mente praecipitem deditionem ejus ferre testatur, utque juratæ sibi fidei memor sit, clementer monet, 1656. pag.609

CCXVI. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicæ Angliae, ad *Civitates Helvetiorum Evangelicas*, quibus res earum non optimo esse loco, acerbe dolet, ac solita ut fortitudine fœderum, libertatis & fidei sanctitatem, laesosque orthodoxæ religionis sectatores strenue defendant ac vindicent, impense hortatur, 1656. pag. 611

CCXVII. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Carolum Gustavum*, Svecorum Regem, de filio Principe recens nato gratulatoriae, 1656. p. 613

(CXXX)

Digitized by Google

(CXXX) Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Fridericum* III. Daniae Regem, quibus navem cum mercimoniis ad Mercatores Londinenses pertinentem, perfidia vero & culpa navarchi, ob portorium Regio telonio subductum, fisco inique adjudicatum, quam primum legitimis possessoribus restitui impense petit, *1656*. pag. 1061

(CXXXI) Literæ recredentiales, ab *Oliverio Cromwellio*, Reipublicae Anglicanae Protectore, Joanni Roderico de Saa Menesses, Oratori Lusitanico, ad *Joannem* IV. Lusitaniae Regem datæ, *1656*. pag. 1063

(CXXXII) Literæ *Arfridi Vittembergii*, supremi copiarum Svecicarum Ductoris, ad *Joannem Zamoiscium*, Regni Poloniae Senatorem, cui serio svadet, ut se, reclusis Zamoiscii portis & praesidio Svecico amice recepto, praesenti discrimini subducat, & res suas in tuto collocet, *1656*. pag. 1065

(CXXXIII) Responsoriæ *Johannis Zamoiscii*, ad praeinsertas *Arfridi Vittembergii* literas, *1656*. pag. 1066

CCXIIX. Literæ *Johannis Matthiæ*, Episcopi Strengnensis, ad *Carolum Gustavum*, Sveciæ Regem, quarum vigore ab eo, ut quibus valeret autoritate & potestate a Deo sibi concessis, Religionis inter Protestantes concordiam & unionem assequi strenue annitatur, submisse contendit, *1656*. pag. 614

CCXIX. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus eos, ut navem variis bonis onustam, Mercatoribus Anglis Flissingae injuste abjudicatam, restitui legitimis possessoribus jubeant, amice rogat, *1656*. pag. 623

CCXX. Literæ *Matthiæ Bioerenklabii*, Secretarii & Consiliarii Svecici, ad *Hieronymum Radzieobium*, Regni Poloniae Vice-Cancellarium, cui statum exercitus Svecici, & quo in loco res Svecorum in Polonia sint, candide exponit, *1656*. pag. 625

CCXXI. Literæ recredentiales Petro Julio Cojeto, Legato Svecico, ab *Oliverio*, Anglicanae Reipublicae Protectore, ad *Carolum Gustavum*, Svecorum Regem, traditæ, *1656*. pag. 634

CCXXII. Literae Intercessionales ab *Oliverio*, Anglicanæ Reipublicae Protectore, ad *Ludov.* XIV. Galliae Regem datæ,

datae, quibus mercatoribus quibusdam Anglis navem per praedatorem Anglum ereptum & Dunckerkam abductam, reddi petit, 1656. pag. 635
CCXXIII. Literae, quibus *Oliverius*, Protector Reipublicae Angliae, apud *Generales fœderati Belgii Ordines*, pro Londinensibus quibusdam mercatoribus, a Belgis nonnullis mercatoribus, de reparatione damnorum istis illatorum in sextum jam annum dilationibus iniquis elusis, intercedit, 1656. pag. 637
(CXXXIV) Literae *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus pro Thoma & Guilielmo Lower, in causa obtinendæ hæreditatis per mortem Nicolai Lower ad eos devolutae sollicite intercedit, 1656. pag. 1067
CCXXIV. Literae *Caroli Gustavi*, Regis Sveciae, ad *Ferdinandum* III. Rom Imperatorem, quibus eum, Regem Poloniae injurias injuriis cumulando, Svecisque tot irritis sua culpa tractatibus ludibrio expositis ansam cruentissimo bello dedisse, & adhucdum a serio pacis studio alienissimum esse docet, 1656. pag. 638
CCXXV. Literae *Friderici VVilhelmi*, Electoris Brandenburgici, ad *Johannem Casimirum*, Poloniae Regem, cui se necessitate coactum fœdus cum Svecorum Rege arctissimum iniisse, neque tamen & sic honestae pacis abstemium esse nuntiat, 1656. pag. 648
CCXXVI. Responsoriae *Johannis Casimiri*, Poloniae Regis, ad praecedentes *Friderici VVilhelmi*, Electoris Brandenburgici, literas, 1656. pag. 650
CCXXVII. Literae Intercessionales *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Anglicae, ad *Johannem* IV. Lusitaniae Regem, quibus mercatoribus quibusdam Anglis pecuniam, a Societate Brasilienst, vecturae commorationisque nomine a nonnullis mercatoribus Lusitanis cum quinquennali fœnore debitam, dari petit, 1656. p. 654
CCXXVIII. Literae recredentiales ab *Oliverio*, Reipublicae Anglicanae Protectore, Domino Christierno Bondo, Legato Svecico, ad *Carolum Gustavum*, Sveciae Regem redditae, 1656. pag. 655
CCXXIX. Literae *Johannis Casimiri*, Regis Poloniae, ad *Civitatem Gedanensem*, cui Varsaviam hosti armata manu

manu ereptum ſeque proxime ejus liberandæ cauſa in Boruſſiam cum exercitu moturum nuntiat, 1656. pag.657

CCXXX. Literæ *Regni Daniæ Senatorum*, ad *Regni Sueciæ Senatores*, quibus eos amice monent, ut Regi ſuo obſidionem, qua Gedanum cingere conaretur, diſſuaderent, 1656. p. 658

CCXXXI. Reſponſoriæ *Senatorum Regni Sueciæ*, ad præinſertas *Senatorum Regni Daniæ* literas, 1656. p. 661

CCXXXII. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad *Ludovicum* XIV. Galliæ Regem, quibus ab eò, ut mercatoribus quibusdam Londinenſibus damna per navem ab Ægydii de la Roche navibus in conſpectu Palmæ Inſulæ prædatorium in modum occupatam illata, a dicto de la Roche reſarciri illumque audaciæ & perfidiæ ſuæ debitas dare pœnas jubeat, obnixe contendit, 1656. p. 664

CCXXXIII. Literæ ejusdem cum proxime præcedentibus argumenti ab *Oliverio*, Anglicanæ Reipublicæ Protectore, ad *Julium Mazarinum*, Cardinalem & Regiminis Gallici moderatorem exaratæ, 1656. p. 666

(CXXXV.) Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicæ Anglicanæ, ad *Comitem Miranum*, primarium Status in Luſitania Miniſtrum, quibus eximia ejus in Rempublicam Anglicanam & pacem inter utramque gentem ſtabiliendam ſtudia effuſe laudat, & ſceleris Philippo Meadovio intentati auctores & miniſtros ſevere puniri cupit, 1656. p. 1068

(CXXXVI.) Literæ *Alexandri Koniecpolskii*, Vexilliferi Regni Poloniæ, ad *Carolum Guſtavum*, Suecorum Regem, quibus ipſi ſuo & aliorum quorundam Procerum Regni Poloniæ nomine ſe, jubente ſic fide Patriæ data, ad caſtra legitimi Regis ſui redire paratos eſſe nuntiat, 1656. p. 1070

CCXXXIV. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus eos, ut gliſcentes inter ſe & Regem Sueciæ animorum motus non augere, ſed pro conſueto ſibi

Digitized by Google

Religionis Orthodoxæ & veræ pietatis amore removere, potius, ſolidæque ac unquam non interrumpendæ amicitiæ operam dare ſtudeant, graviter hortatur, 1656. p. 668
CCXXXV. Reſponſoriæ *Generalium fœderati Belgii Ordinum*, ad præinſertas *Oliverii* Protectoris Reipublicæ Anglicanæ literas, 1656. p. 672
CCXXXVI. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad *Carolum Guſtavum*, Suecorum Regem, quibus eum, ut ad confirmandam priſtinam cum fœderatis Belgii Ordinibus amicitiam propenſum atque benignum animum afferre velit, ſedulo hortatur, eique ſtudia ſua, ſi qua in re uſui eſſe poſſint, defert, 1656. p. 673
CCXXXVII. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Johannem* IV. Luſitaniae Regem, quibus gaudium de pace firmiſſima inter utramque gentem ſancita conceptum teſtatur, ac ea, quae corrigenda reſtarent, peculiari transactione quantocyus emendatum iri promittit, 1656. p. 676
CCXXXIIX. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Johannem* IV. Luſitaniae Regem, quem ut ab autoribus ſociisque caedis, Philippo Meadowes, Internuncio in Aula Luſitanica Anglicano, intentatae, ſupplicium ſcelere dignum repeti jubeat, impenſe rogat, 1656. p. 678
CCXXXIX. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ordines Hollandiæ*, quibus eos, ut Guilielmo Coopero, pactum ſocero ſuo, ob parvi Sigilli inventum, induſtriae praemium, annua penſione ſolvi curarent, blande compellat, 1656. p. 680
CCXL. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, quibus Roberto Bruno, mercatori Londinenſi, pecuniam pro coriis debitam Diepae injuſte retineri queritur, ac ut illam iniquiſſima lite extricari, legitimoque poſſeſſori reſtitui jubeat, amanter eum requirit, 1656. p. 682
CCXLI. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Johannem* IV. Luſitaniae Regem, quibus ei Thomam

mam Magnardum, in ditionibus Lusitaniae negotiatorio Consulis munere functurum commendat, 1656. p. 684

CCXLII. Litetae *Oliverii*, Protectoris Reipubl. Angliae, ad *Carolum Gustavum*, Suecorum Regem, quibus ei Guilielmum Vavasorem, sub Suecicis signis jam diu merentem commendat, ac ut praeterita stipendia ipsi exsolvi curet, amice injungit, 1656. p. 685

CCXLIII. Literae intercessionales ab *Oliverio*, Protectore Reipublicae Angliae, ad *Johannem* IV. Lusitaniae Regem, pro Thoma Evans Nauclero, debitos sibi a societate Brasiliensi nummos exacturo exaratae, 1656. p. 686

CCXLIV. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Civitatis Hamburgensis Senatum*, quibus eum sententiam suam, qua Jacobo & Patricio Hays, fratris ipsorum adjudicata est haereditas, ut ratam tandem esse velit, serio hortatur, 1656. p 688

CCXLV. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ludovicum* XIV. Galliae Regem, quibus navem Jonae vocabulo insignitam, ad quosdam mercatores Londinenses spectantem, a praedone Caroli Regis tunc exulis auspiciis piraticam faciente abreptam & Dunkirkam abductam, ibique a Domino Lestrado, dictae urbis Praefecto, injuste retineri, graviter conqueritur, eamque legitimis possessoribus confestim restitui petit, 1656. p. 690

CCXLVI. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Fridericum* III. Daniae Regem, cui, ut pacem cum Rege Sueciae nullis suspicionibus sinistris interrumpendam, sancte colat, sollicite suadet, 1656. p. 692

CCXLVII. Breve *Alexandri* VII. P. P. ad *Bertuccium Valerium*, *Venetiarum Ducem ejusdemque Reipublicae Senatum*, quo ab eis, ne viros societatis Jesu religiosos in ditiones suas recipere graventur, paterne contendit, 1656. p. 696

CCXLIIX. Literae *Caroli Ludovici*, Electoris Palatini, ad

Digitized by Google

Dn. *Mariam Suſannam* a *Degenfeld*, quibus ſe eam tenere ardenterque amare ſignificat, rurſusque amari ab illa cupit, 1656. p. 699

CCXLIX. Literæ *Caroli Ludovici*, Electoris Palatini, ad *Mariam Suſannam Baroniſſam* a *Degenfeld*, a qua redamari ſollicite deſiderat, 1656. p. 701

CCL. Literæ *Caroli Ludovici*, Electoris Palatini, ad *Mariam Suſannam*, *Baroniſſam* a *Degenfeld*, quibus quo ſe deſiderii ſui tandem facere compotem dignetur, inſtanter urget, 1656. p. 702

CCLI. Reſponſoriæ *Mariæ Suſannæ*, *Baroniſſæ* a *Degenfeld*, ad præinſertas *Caroli Ludovici*, Electoris Palatini literas, 1656. p. 703

ANNUS MDCLVII.

CCLII. Literæ *Commiſſariorum* ad tractatus Pacis cum Moſcovitis inſtituendos Vilnam a Rege Poloniæ miſſorum, ad *Johannem Caſimirum*, Poloniarum Regem, cui, quo in loco ipſi tractatus & quæ porro facienda ſint, ſignificant, 1657. p. 704

CCLIII. Literæ *Georgii Lubomierskii*, ad *Georgium Ragotzium* II. Principem Tranſylvaniæ, cui bellum in Polonos decretum ſerio diſſuadet, 1657. p. 708

CCLIV. Literæ *Georgii Ragoczii* II. Principis Tranſylvaniæ, ad *Carolum Guſtavum*, Suecorum Regem, cui ſe cum exercitu ſuo Coſacorum copiis juncto ad Jaroslaviam usque feliciter penetraſſe, refert, 1657. p. 711

CCLV. Literæ *Georgii Ragoczii* II. Principis Tranſylvaniæ, ad *Fridericum VVilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, quibus ipſi amicitiam & ſtudia ſua offert, 1657. p. 712

CCLVI. Literæ *Georgii Ragoczii* II. ad *Carolum Guſtavum*, Svecorum Regem, cui, quo in loco ſint res ſuæ, exponit, 1657. pag. 713

CCLVII. Literæ *Oliverii Cromwellii*, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad *Gvilielmum* VI. Haſſiæ Landgravium, cui

Digitized by Google

cui omnem laborem de concordia inter Augustanae Confessioni & Reformatorum Sacris addictos stabilienda susceptum incassum iturum, praesaga mente refert, 1657. pag. 715

CCLVIII. Literæ Intercessionales ab *Oliverio Cromwellio*, Reipublicæ Angliæ Protectore, pro Joanne Jamesono Naucleri munere functo, sed naufragium aliena imperitia & culpa bis passo, ad *Jacobum*, Curlandiæ Ducem scriptæ, 1657. pag. 717

CCLIX. Literæ a *S. R. Imperii Electorum, Principum ac Statuum Legatis*, ad *Carolum Gustavum*, Svecorum Regem, e Diæta Francofurtensi exaratæ, a quo, ut mediationis curam a Cæsarea Majestate utrique parti oblatam amplecti haud gravetur, officiose contendunt, 1657. pag. 719

CCLX. Literæ *Legatorum S. R. Imperii Electorum, Principum & Statuum*, ad *Johannem Casimirum*, Poloniae Regem, e Diæta Francofurtensi datæ, quibus eum, ut pacifica studia amplecti & Polonos ab infestis in Germaniam irruptionibus justa severitate arcere dignetur, impense rogant, 1657. pag. 728

CCLXI. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Anglicanae, ad *Consules & Senatores Reipublica Gedanenses*, quibus Königsmarckium inter primos Svecorum Duces insignem, suorum proditione in portu Gedanensi interceptum, vel plane dimittendum, vel liberiore saltem custodia habendum cupit, 1657. pag. 724

CCLXII. Literae fiduciariae ab *Oliverio*, Anglicanæ Reipublicae Protectore, Richardo Bradshaw, Oratori suo ad *Alexium Michaelowitzium*, Magnum Russiæ Ducem, traditæ, 1657. pag. 726

CCLXIII. Literæ a *Johanne Georgio* II. Saxonum Electore, ad *Philippum* IV. Hispaniarum Regem exaratæ, cui mœrorem animi sui ex præmatura Ferdinandi III. Rom. Imperatoris morte conceptum compatiens declarat, 1657. pag. 728

CCLXIV. Literæ *Caroli Gustavi*, Sveciæ Regis, ad *Johannem*

nem Philippum, Electorem Moguntinum, quibus ipſi cauſas belli in Sveciam deſtinati, a Friderico III. Daniæ Rege allegatas inſufficientes & quodam juris fuco ſaltem illitas eſſe demonſtrat, & S. R. Imperii auxilia Provinciis ſuis per Germaniam defendendis impendenda ex præſcripto Pacis Weſtphalicae expoſcit, 1657. pag. 736

CCLXV. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad *Carolum Guſtavum*, Svecorum Regem, quibus Gvilielmo Jepſono, Internuntio ſuo extraordinario, ſummam fidem adhiberi rogat, 1657. pag. 745

CCLXVI. Literæ fiduciariae, Gvilielmo Jepſono Legato ſuo Extraordinario, ab *Oliverio*, Anglicanae Reipublicae Protectore, ad *Fridericum Vilhelmum*, Electorem Brandenburgicum datae, 1657. pag. 746

CCLXVII. Literæ commendatitiae ob *Oliverio*, Protectore Reipublicae Angliae, pro Guilielmo Jepſono Internuntio ſuo ad Svecicae Regem Extraordinario, ad *Civitatis Bremenſis Conſules & Senatum* ſcriptae, 1657. pag. 748

CCLXIIX. Literae ejusdem cum proxime praeinſertis argumenti, ab eodem *Oliverio*, Anglicanae Reipublicae Protectore, ad *Senatum Hamburgenſem* exaratae, 1657. pag. 749

CCLXIX. Literae paris cum immediate praecedentibus commatis, ab *Oliverio*, Angliae Reipublicae Protectore, ad *Conſules ac Senatores Lubecenſes* traditae, 1657. pag. 750

CCLXX. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Anglicanae, ad *Conſules & Senatores Hamburgenſes*, quibus eos, ut Philippum Meadowe, Oratoris a ſe ad Regem Daniae munere inſtructum, ſibi magnopere commendatum habeant, blande compellat, 1657. pag. 752

CCLXXI. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Fridericum* III. Ducem Holſatiae Gottorpienſem, a quo, ut Gvilielmum Jepſonum, Internuntium ſuum ad Sveciae Regem extraordinarium, tuti per diti-

ones

Digitized by Google

ones ſuas commeatus beneficio dignari velit, obnixe contendit, 1657. pag. 753

CCLXXII. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ferdinandum* II. Magnum Hetruriae Ducem, quibus eum, ut Gvilielmum Ellum, ob facinus in Turcas patratum in cuſtodiam tradi & navem iſtis ſubductam reſtitui quantocyus curet, amice requirit, 1657. pag. 754

CCLXXIII. Literæ *Oliverii*, Protectoris Reipubl. Angliae, ad *Fridericum V Vilhelmum*, Electorem Brandenburgicum, cujus in ſervando foedere cum Svecorum Rege inito conſtantiam, nullis technis labefactari gnaram, dignisſimis laudibus depraedicat, 1657. pag. 755

CCLXXIV. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ducem Senatumque Reipublicæ Venetæ*, a quibus Thomam Galileurae, ſtrenuam ipſis operam navando per Turcas captum, ut e graviſſima ſervitute redimi & debitum ipſi quocunque nomine aes confeſtim exſolvi curent, impenſe efflagitat, 1657. pag. pag. 757

CCLXXV. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, quibus Gvilielmum Nuport, Oratorem eorum, omni praeconiorum genere dignisſimum, muneri ſibi injuncto plene ſatisfeciſſe teſtatur, 1657. pag. 759

CCLXXVI. Literae fiduciariae ab *Oliverio*, Protectore Reipublicae Angliae, ad *Generales fœderati Belgii Ordines*, Georgio Duningio, apud eosdem Oratoris functionem obituro, traditae, 1657. pag. 761

CCLXXVII. Literae ejusdem cum proxime praeinſertis argumenti, ab eodem *Oliverio*, Anglicanae Reipublicae Protectore, ad *Ordines Hollandiæ* datae, 1657. pag. 762

CCLXXIIX. Literae *Oliverii*, Protectoris Reipublicae Angliae, ad *Ferdinandum* II. Magnum Hetruriae Ducem, cui cumulatisſimas perfert grates, quod poſtulatis ſuis de captivando Gvilielmo Ello agentibus tam facile

Digitized by Google

facile annuerit, ac ut Turcis navem furto ereptam, dicto autem Ello quo voluerit abeundi libertatem restitui jubeat, peramanter ab eo contendit, 1657. pag. 763

CCLXXIX. Literae *Leopoldi*, Rom. Imperatoris, ad *Philippum* IV. Hispaniarum Regem, quibus Parentem suum, glorioſisſimae memoriae, iam olim ſedandis bellorum per Regna borealia enatis motibus avide intentum fuiſſe, nec jam dum alieno mediatore opus eſſe, modo Svecorum Regi pacis negotium vere curae cordique ſit, demonſtrat, 1659. pag. 765

LITERÆ

Digitized by Google

LITERÆ PROCERUM EUROPÆ.

I.

Literæ MAURITII, *Electoris Saxoniæ, ad* EMANUELEM PHILIBERTUM, *Sabaudiæ Ducem, quarum vigore ipsi causas, quibus inductus cum Galliæ Rege fœdus inierit & arma contra Imperatorem sumserit, recenset, proque oblata ab ipso mediatione, grates persolvit, Anno 1552.*

Illustrissime Princeps & Consanguinee Charissime.

REddidit Nobis hic Colonellus Insulanus literas Celsitudinis Vestræ, & simul adjecit literis Orationem, qua Nobis Celsitudinis Vestræ erga Nos animum uberius atque prolixius declaravit. Quorum sane utrumque Nobis gratissimum accidit. Nam & commemoratio ipsa Veteris communionis, quæ Domui Nostræ, cum Vestra Nobilissima Sabaudiæ Ducum familia, intercedit, Nobis perjucunda fuit, (qui hoc semper animo fuimus, ut Nobis Domuique Nostræ, hanc tam illustrium Principum conjunctionem non vulgari honori atque ornamento esse duceremus) & significatio studii, & benevolentiæ, qua Celsitudo

Veſtra, pro humanitate ſua, Nos tam conſtanter perſequitur, non potuit Nobis non gratiſſima eſſe. Neque ſane quicquam æque Nobis in votis eſt, quam ut Celſitudini Veſtræ mutua benevolentia, mutuisque officiis cumulate aliquando reſpondere poſſimus. Quod quidem rebus potius ac factis præſtare, quam verbis promittere malumus. Cæterum quod Celſitudo Veſtra ſcribit, ad ſe eſſe delatum, Nos in Regis Francorum partes tranſiiſſe, eaque ex re magnum ſe dolorem cepiſſe, non ſolum quod vires ejusdem Regis, qui Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ Patrem ac conſanguineum Noſtrum Chariſſimum continuis damnis atque injuriis afficere non deſinat, ex acceſſione auxiliorum Noſtrorum augeri, ſeque ea ſpe, quam ſemper in Nobis repoſitam habuerit, ſic tandem deſtitui, ſibi merito grave ſit: Verum etiam quod certam inde Domus Noſtræ ruinam ſecuturam eſſe vereatur, ideoque pollicetur, ſeſe pro veteri cognationis vinculo, ſuaque in Nos benevolentia, relictis negotiis bellicis, quibus nunc iſthic diſtineatur, relicto etiam grandævo inter bellicos tumultus Parente, Ipſammet ad Cæſaream Majeſtatem profecturam, ad hosque tantos motus componendos tantaque pericula avertenda, omne ſuum ſtudium, operam, curam, fidem adhibituram eſſe. Nos quidem omnis humanitatis atque officii prorſus expertes eſſemus, niſi hanc Celſitudinis Veſtræ tam præclaram erga Nos, Noſtramque Domum voluntatem & ſollicitudinem, omni ſumma animi gratitudine amplecteremur: Nec vero leviter dolemus, ſemperque doluimus, ſi quid Celſitudinis Veſtræ

Digitized by Google

Veſtræ Patri Ipſive damnorum, aut injuriarum, hactenus illatum eſt, aut adhuc infertur: Quos potius pro jure mutuæ neceſſitudinis, meoque ſummo ac ſingulari erga Celſitudinem Veſtram amore, omnibus fortunæ bonis quam florentisſimos, nec non ab omnibus malis, quam maxime ſartos tectosque ſemper eſſe mallemus. Tantum abeſt, ut unquam Nobis in mentem venerit, Noſtra auxilia ad oppugnandas fortunas Veſtras, cuiquam mortalium accommodare velle. Quod vero ad ipſum Francorum Regem attinet, ſic ſeſe res habet, ut Nos non tam in illius partes tranſiiſſe, quam rebus ita poſtulantibus, opes & auxilia illius, partibus Noſtris adjunxiſſe videri debeamus. Cum enim fidei Noſtræ, quam infauſtisſimo illo tempore, quo ſocer & conſanguineus Noſter Landgravius Haſſiæ, præter formulam transactionis cum Cæſarea Majeſtate tum initæ, cuſtodiæ mancipatus fuit, illi filiisque illius dedimus, liberandæ, infamiæque ac ignominiæ, quam eo nomine totum jam fere quinquennium ſuſtinuimus, a Nobis amoliendæ, nec non communis Germaniæ libertatis, multis partibus jam imminutæ atque oppreſſæ, utcumque vindicandæ cauſa, inviti prorſus & diu reluctantes ad ea arma capienda compulſi ſumus, quæ antea ſæpe pro ipſo Cæſare ferre conſuevimus; facile exiſtimari poteſt, Nos tanto oneri minime pares futuros, niſi dicti Regis Francorum & nonnullorum aliorum Principum ſocietate atque auxiliis ſublevaremur. Neque tamen ii ſumus, qui, ubi, quæ æqua ſunt, impetraverimus, & tam honoris Noſtri quam communis libertatis ratio habita

bita fuerit, non facile ad priſtinum erga Cæſaream Majeſtatem (cujus cauſa Nos ante hac toties vitam fortunasque Noſtras periculis expoſuiſſe, Celſitudo Veſtra non ignorat) obſequium redire, & hæc ipſa arma, quæ nunc cepimus, aut rurſus deponere, aut etiam recta adverſus communem Religionis Noſtræ hoſtem, Turcam, convertere poſſimus. Qua quidem de re hac meliore ſpe ſumus, quod ſereniſſimus Rex, cujus literis huc ad res diſceptandas evocati ſumus, jam pridem totus in hoc ſit, ut cauſis armorum ſublatis, res ex æquo & bono componantur, & ad optatam rurſus pacem & quietem deducantur. Quod cum ita ſit, officium & operam, quam hoc eodem nomine offert Celſitudo Veſtra, libenter remittimus, & nihilo ſecius illi, de ſua tam amica erga Nos voluntate, gratiam habemus, ac quibuscunque ſtudiis, officiis atque obſequiis, Noſtram illi benevolentiam vicisſim declarare potuerimus, ad ea ipſa, pro veteri utriusque Domus conjunctione, mutuaque Noſtra neceſsitudine, Nos nunquam non paratiſſimos fore recipimus. Quam Eandem, una cum Illuſtriſſimo Ipſius Patre, quam rectiſſime valere, omnibusque proſperis ſucceſsibus frui exoptamus. Datum Lintii die 29. Aprilis, Anno 1552.

Ejusdem Celſitudinis Veſtræ,

ſemper amiciſſimus

Mauritius, Saxoniæ Dux
Elector.

II. *Lite-*

Digitized by Google

II.

Literæ SIGISMUNDI AUGUSTI, Poloniarum Regis, ad FERDINANDUM I. Rom. Imp. exaratæ; quibus commendat Legatum Cæsareum, seque de pacanda Hungaria anxie sollicitum profitetur, ac omni cura effecturum promittit, ut Nepos JOHANNES SIGISMUNDUS se in officio contineat, 1562.

SErenissimo ac Excellentissimo Principi ac Domino Ferdinando Regi, Principi Nostro charissimo ac honoratissimo, Sigismundus Rex salutem. Revertitur ex aula Nostra ad Majestatem Vestram Generosus Valentinus Saurman, Orator Majestatis Vestræ. Qui quoniam toto eo tempore, quo legatione Majestatis Vestræ apud Nos functus est, & fidem Nobis & industriam & diligentiam in rebus Majestatis Vestræ magnopere probavit, facere recte non potuimus, quin has ipsius virtutes Majestati Vestræ commendaremus. Rogamus itaque Majestatem Vestram, ut eum ad se revertentem clementer complectatur. Jussimus autem in ipso fere ejus discessu exhiberi illi literas Sereniſſimi Nepotis Nostri, ex quibus intelligeret Serenitatem ejus optima fide cum Majestate Vestra agere. Cum enim ad Nos de judiciis Aprilibus, deque postulatis quibusdam suis a Majestate Vestra recentibus perscripsisset, petit, ut postulata Serenitatis ipsius apud Majestatem Vestram adjuvemus, & de pacificanda Hungaria cogitemus. Ac de postulatis quidem alias videbimus. Allatum enim ad Nos est, Secretarium Majestatis ejus cum Responso ad ea Majestatis Vestræ jam inde discessisse.

Digitized by Google

ſiſſe. Nunc a Majeſtate Veſtra magnopere petimus, ut ſalute, pace ac tranquillitate Regni illius Hungariæ nihil apud ſe prius eſſe patiatur. Nos quidem recte, quod in Nobis erit, daturi ſumus per id inducíarum tempus operam, ut Sereniſſimus Nepos Noſter ſeſe in officio adverſus Majeſtatem Veſtram contineat: Ac denique ſuæ dominorumque ſuorum paci & ſaluti in omne futurum tempus & conſulat ipſe & ab aliis conſuli patiatur. Quamobrem ſi Majeſtati Veſtræ communibus Commiſſariis ejus rei ſummam committere viſum fuerit, noſtrosque item Commiſſarios una adeſſe placuerit, perficiemus, ut ſi modo de tempore & loco cognitum habuerimus, nihil in Nobis ad tantarum rerum tamque ſalutarium conficiendarum curam atque ſtudium deſiderari videatur. Bene valere Majeſtatem Veſtram cupimus, eique ſtudium & amorem Noſtrum iterum atque iterum commendamus. Dabantur Vilnæ 8. Auguſti, Anno 1562.

III.

Literæ SIGISMUNDI AUGUSTI, Polonorum Regis ad MAXIMILIANUM II. Romanorum & Bohemiæ Regem, de conſtantia in pacandi cum Nepote ſuo propoſito, & modis, quibus pax fieri poſſit, adinveniendis, agentes, 1562.

SEreniſſimus Auguſtus Rex, Sereniſſimo Principi, Domino Maximiliano Regi. Sereniſſime, Princeps, Domine Frater & Conſanguinee Noſter chariſſime. Accepimus inter Cæſa[illegible]m Majeſtatem, Noſtrum & Serenitatis Veſtræ Parentem chariſſimum

riſſimum, ac Sereniſſimum Dominum Nepotem Noſtrum, inducias ſummo Serenitatis Veſtræ ſtudio pactas eſſe proximo Aprili annuas. Quæ res Nobis, cum ſua ſponte, tum nomine etiam Serenitatis Veſtræ, quæ ex eo facto magnam optimæ ſuæ voluntatis in Rempublicam Chriſtianam laudem cepit, jucundiſſima extitit. Verum quoniam earum induciarum ille demum maximus fructus erit, ſi unquam inter eos Principes ulla ſtabilis & æterna Pax coierit, ob cujus imprimis rei tractandæ facultatem, tantopere induciæ iſtæ ſermonibus hominum celebrantur, Serenitatem Veſtram fraterne hortandam eſſe duximus, ne in hoc quaſi primo ejus laudis gradu conſiſtendum ſibi eſſe exiſtimet, ut obtentis induciis conquieſcat, ſed pergat porro, & hac ſemel bene geſtæ rei facultate inſtructa, etiam reliqua adgrediatur, deque pacis perpetuo conſtituendæ conditionibus ipſum Cæſareæ Majeſtatis animum oportune pertentet, nobiſcumque communicet. Erit id Serenitati Veſtræ tum apud Nos, tum ubique gentium glorioſum. Nos autem quoque inclinatum jam ad pacem Sereniſſimi Nepotis Noſtri animum in eodem ſtudio retinebimus, illique honeſtæ tranquillitatis autores erimus. Meminerit modo Serenitas Veſtra aliquando maturandum id negotium eſſe, ut quatuor jam menſes a conſtitutis induciis præterlapſi diligentia Noſtra in reliquum ſarciantur. Bene valere Serenitatem Veſtram cupimus, eique fraternum noſtrum amorem commendamus. Dat. Vilnæ die 8. Auguſti Anno 1562.

IV.

Literæ SIGISMUNDI AUGUSTI, Polonorum Regis, ad MAXIMILIANUM II. Romanorum & Bohemiæ Regem, quibus cauſam Bernhardi Fogliolæ commendat, 1562.

SEreniſſimo Principi Domino Maximiliano, Divina favente clementia Romanorum & Bohemiæ Regi, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Comiti Tirolis, Fratri & Conſanguineo Noſtro chariſſimo & honorando, ſalutem & fraterni amoris continuum incrementum. Sereniſſime Princeps, Domine frater & conſanguinee Noſter chariſſime & honorande. Etſi decreto Magiſtratus Goritienſis ſublata ſit pridem controverſia de poſſeſſione quorundam bonorum in territorio Proſevienſi inter Venerabilem Alphonſum Mercadum & Bernhardum Fogliolam, mercatorem Venetum, Agentem Noſtrum, ita, ut Agenti Noſtro & poſſeſſio pacata eorum bonorum adjudicata ſit, & damna, quæ illata erant, ab adverſario juſſa reſarciri. Tamen quoniam veretur homo pacis & quietis ſtudioſus, ne non ſatis ſit ad pacem & quietem perpetuo conſtituendam in illis poſſeſſionibus, decretum Magiſtratus minoris interpoſitum eſſe, ſupplicavit Nobis, ut a Majeſtate Veſtra peteremus, ut ipſa, pro Regia & in illis ditionibus ſumma autoritate ſua, edicat per Literas Mercado ipſi, atque adeo ejus ſucceſſoribus omnibus, ne quas deinceps in illis poſſeſſionibus turbas ejusmodi dare aut difficultates movere audeant, quæ in damnum aut præjudicium ipſius Fogliolæ, Agen-

Digitized by Go

Agentis Noſtri, vergere videantur. Magiſtratui autem Comitatus illius injungat Majeſtas Veſtra, ut præfatum Fogliolam, dum is tranquille ſub ditione Majeſtatis Veſtræ vixerit, vectigalia ſolverit, & reliqua onera æque cum aliis obierit, a vi & impreſſione cujuslibet tueantur & defendant. Quod Majeſtatem Veſtram vel æquitatis ſuæ, vel Noſtra etiam cauſa facturam eſſe, uti Nobis perſuademus, ita ab illa etiam atque etiam petimus. Erit id Nobis ab illa gratiſſimum. Bene valere Majeſtatem Veſtram cupimus, ejusque Nos fraterno amori commendamus. Datum Petricoviæ die 14. Aprilis, Anno 1563.

V.

Literæ SIGISMUNDI AUGUSTI Poloniæ Regis, quibus FRIDERICO II. Daniæ Regi, victoriam ex Svecis reportatam gratulatur, eumque de armorum ſuorum ſucceſſu, futuro belli apparatu, rebusque aliis certiorem reddit 1563.

Sereniſſime Princeps &c.

ETſi antea quoque intellexeramus de victoria Serenitatis Veſtræ, quam ex Svecis recens eſt conſecuta, tamen e literis Serenitatis Veſtræ jucundum fuit Nobis eam cognoſcere. Ac miſimus Nos jam quidem his diebus ad Serenitatem Veſtram internuntios Noſtros, quibus mandavimus inter cætera eam victoriam Serenitati Veſtræ, noſtro nomine, gratulari, quam nunc etiam per literas vere atque ex animo gratulamur, Deumque precamur, ut hos ſucceſſus Serenitati Veſtræ perpetuo fortunet. Noſtri quoque, quod ſe Serenitas Veſtra ſcribit accepiſſe, bene in Livonia rem

Digitized by Google

gesserunt, arcem Lodensem obsidione liberarunt, tormenta aliquot acceperunt, hostem denique ipsum intra muros coegerunt; socios autem, qui illic sub auspiciis Serenitatis Vestræ militant, magnopere recrearunt ac confirmarunt, quemadmodum de eo quoque per eosdem Internuntios Nostros Serenitati Vestræ significavimus. Quod cum ita sit, ut societas Nostra hæc non solum animorum consensione, sed etiam successibus ejusmodi divinitus confirmetur, debemus sane consiliorum Nostrorum fructum hunc capientes, Deo optimo maximo gratias agere, & Nos ad reliqua, quæ supersunt, tanto fidentius præparare. Nos quod attinet, exercitum nostrum Livonicum in hyberna jam deduximus, impositis per oportuna loca præsidiis; Svecos enim quoque ipsos campis fugatos ad arcium aliquot præsidia accepimus confugisse. Vere novum bellum majoribus viribus redintegrare, exercitumque Polonici Nominis conscribere constitutum Nobis est, nisi quid aliud intervenerit; neque enim adhuc rumor ille conquiescit de studiis Principum Germaniæ ad Pacificationem tentandam excitatis, a qua Nos neque unquam abhorruimus, si modo id, quod Nostrum est, tenere quiete potuissemus, neque nunc etiam pro Nostro Christiani Regis more atque instituto abhorremus, si Nobis liceat, quæ bello repetimus, per pacem obtinere. Equidem, si eo ventum fuerit, neque Nos quidem quicquam inconsulta Serenitate Vestra tentabimus, neque a Serenitate Vestra præter voluntatem atque scientiam Nostram tentatum iri arbitramur; quemadmodum in conditionibus societatis

nostræ

Digitized by Google

noſtræ præſcriptum extat. Quod attinet naves ab illuſtri Domino Pruſſiæ Duce Serenitati Veſtræ ſubminiſtrandas, meminimus nos quoque jam pridem cum Illuſtritate ejus ea de re egiſſe. Videbatur autem Illuſtritas ejus difficultatem allegare. Agemus tamen nunc etiam iterum; quicquid vero reſponſi retulerimus, faciemus Serenitatem Veſtram certiorem. Nuper allatum ad Nos eſt, proditionem in Livonia eorum, qui ab Illuſtri Domino Finlandiæ Duce arcibus nonnullis præfecti illic fuerunt, detectam eſſe. Fere fit enim, ut in Provincia illa Livonia magnæ ſuſpiciones proditionis a Germanica Natione oriantur, ſicuti & in multorum aliorum, & in Furſtenbergii negotio cognitum eſt, qui in Livonia Magiſtrum gerens a ſuis Germanis deſertus ac Moſcovitis proditus eſt. Itaque de nonnullis arcium iſtarum proditoribus & proditionis conſciis nuper Rigæ ſupplicium ſumptum eſt; de autore ipſo proditionis Comite ab Arcz ſententia Noſtra expectatur. Equidem videndum Nobis exiſtimamus, quatenus cuique deinceps fidendum ſit, eaque res commovit Nos, ut vere ipſum militem Noſtrum potius, quam externum in Livoniam adducamus. De Duce Chriſtophoro Megalopolenſi, præter id, quod nuper etiam Serenitati Veſtræ ſignificavimus, nihil accidit novi; laboratur pro eo a quibusdam Germaniæ Principibus. Inter cæteros autem affuturus eſt hic propediem Illuſtris Dominus Joannes Albertus Frater ipſius. Cum Nobiscum de conditionibus dimittendi ipſius actum fuerit, certius aliquid Serenitati Veſtræ ſignificare poterimus. De illu-

illuſtri Domino Duce Finlandiæ, Affine Noſtro chariſſimo, præter id, quod Nobis ſtipendiarius Noſter Swarcynski e Serenitate Veſtra retulit, interemptum illum eſſe, nihil certi cognoſcere poſſumus. Si quid Serenitas Veſtra habuerit, ad Nos perſcribi jubebit; Quam bene valere cupimus. Datum Varſaviæ 24. Decembris, Anno 1563.

VI.

Literæ MAXIMILIANI II. Rom. Imperatoris, ad CAROLUM IX. Galliæ Regem ſcriptæ, quibus declarat, ſe ejus Oratoris deſiderio, ut priorem locum ante Hiſpaniarum Regis Oratorem conſequatur, ſatisfacere non poſſe. 1564.

Sereniſſime & Chriſtianiſſime Rex.

EGit hucusque multoties Nobiscum ſummo ſtudio Serenitatis Veſtræ Orator, Reverendus, devotus, Nobis dilectus, Epiſcopus Rhedonenſis, ut ſibi, tanquam Oratori Serenitatis Veſtræ, priorem locum ante Oratorem Sereniſſimi Catholici Hiſpaniarum Regis, patruelis & fratris Noſtri chariſſimi, in aula Noſtra Cæſarea aſſignare vellemus, eamque rem ab aliquo tempore, majore cum inſtantia, quam antehac unquam, urgere cœpit. Etſi autem Nos Serenitati Veſtræ, uti Fratri chariſſimo, quoad ejus unquam fieri poteſt, omni loco & tempore cupimus gratificari, in hac tamen re Nobis tot & tam graves occurrunt difficultates, ut nihil iis moleſtius aut gravius accidere poſſit: ſiquidem non videamus, qua ratione deſiderio præfati Epiſcopi Rhedonenſis, Serenitatis Veſtræ Oratoris, in hac parte ſatisfacere poſſimus. Etenim recordamur, eandem rem a ſereniſſimo & potentiſſimo quon-

Digitized by Google

quondam Principe, Domino Ferdinando, Electo Romanorum Imperatore, auguſtæ memoriæ, Domino ac Genitore Noſtro obſervandiſſimo, non ſolum ob prædictum Epiſcopum Rhedonenſem ex parte Serenitatis Veſtræ, verum etiam per præfati Sereniſſimi patruelis & fratris Noſtri Regis Catholici Oratorem, qui tunc in Aula Majeſtatis ſuæ reſidebat, Comitem a Luna, vehementer petitam fuiſſe, verum Majeſtatem ſuam Cæſaream præclariſſimæ memoriæ, neque potuiſſe neque voluiſſe judicium tam acris controverſiæ ſuſcipere: Quoniam non abs re dubitabat Majeſtas Sua, ſi ipſa hunc laborem ſubire & operam dare vellet, ut hujusmodi differentia, aut amicabili compoſitione tranſigeretur, vel jure decideretur, utrum Serenitas Veſtra Majeſtatem ſuam Cæſaream judicem vel arbitrum eſſe vellet, nec ne: eamque ob rem Majeſtas ſua Cæſarea, adhibita matura deliberatione, conſtituerat, ſeſe ejusmodi controverſiæ nullo modo immiſcere, ſed omnibus præcavere modis, ne alterutrius partis juribus, de quibus illa nullam haberet judicandi vel decernendi facultatem, quippiam præjudicii attuliſſe, aut alterum eorum offendiſſe, videretur. Neque Majeſtas Sua Cæſarea eam viam ac rationem, tanquam commodiſſimam & tutiſſimam ſibi ineundam cenſuit, de qua haud dubie Serenitas Veſtra tum temporis ab Oratore ſuo certior reddita fuit, quam nimirum Majeſtas ſua Cæſarea tunc inter alios quoque inferioris Ordinis Principum Oratores obſervabat. Et licet tunc temporis ambo Oratores, de ratione & ordine illo Divi Imperatoris, Genitoris Noſtri, & præcipue multo vehemen-

mentius Comes a Luna, pro parte Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum, conqueſti fuerint, prætendente ipſo Oratore Sereniſſimi Regis Hiſpaniarum, majorem debuiſſe haberi rationem Regis ſui, quam Serenitatis Veſtræ, propter mutuam & arctiſſimam ſanguinis conjunctionem, quæ Majeſtati ſuæ Cæſareæ ipſique Regi intercederet: tamen poſtquam Divus quondam Genitor Noſter, in ſententia ſua permanſit firmiter, ipſique Oratores tunc acquieverunt, atque interdum etiam apud Majeſtatem ſuam in Templo comparuerunt, in eoque ſtatu res in hunc diem fuit valida, ita ut nihil difficultatis, aut moleſtiæ in hoc negotio amplius, & præſertim hoc tempore ſuborituram crediderimus. Sed cum res, uti dictum eſt, aliter ſe habeat, prætermittere non poſſumus, quin Serenitati Veſtræ per præſentes benevole oſtendamus, Nos hunc Ordinem, de quo diximus, a prælibato quondam Domino Genitore Noſtro, felicis recordationis, quaſi per manus traditum accepiſſe, atque Nos ea, quæ per Majeſtatem Suam in aliis quoque rebus ordinata & conſtituta ſunt, haud facile mutare: ſed ea, ut pie & prudenter deliberata & conſtituta, lubenter ſequi: Ideoque non poſſe neque debere etiam in hoc negotio Nos diverſum quippiam ab eo, quod Divus Genitor Noſter ordinavit, absque ulla cauſa, & poſt tot annorum intervallum, ſtatuere, quemadmodum & Serenitas Veſtra, pro ſua prudentia, ipſamet facile conſiderare poteſt, id Nobis, ſi faceremus, non immerito vitio verti poſſe. Ad hæc Sereniſſimus Rex Hiſpaniarum, ſi tam facile ab inſtituto & exemplo Sereniſſimi Potentiſſimique quon-

quondam Domini Genitoris Noſtri, diſcederemus, eam rem haud dubie moleſtiſſime laturus, & ſuſpicaturus eſſet, Nos paternam concordiam, benevolentiam & unanimitatem, atque arctiſſima ſanguinis vincula, quibus Deus Optimus Maximus Nos cum Serenitate Ejus conjunxit, parvi pendere, imo prorſus negligere, atque de induſtria, anſam & occaſionem hujusmodi antiquam neceſſitudinem & concordiam disrumpendi, nulla prorſus a Serenitate ſua cauſa vel injuria accepta, quærere. Etſi enim ad Nos antehac ex Urbe perlatum & nunciatum fuit, ſanctiſſimum Dominum ſuper iſta controverſia decretum quoddam promulgaſſe, quod Nos ſuo loco relinquimus, neque id hoc tempore probare vel improbare cogitamus: Novit tamen Serenitas Veſtra, ea, quæ Sanctitas Sua in Curia ſua de rebus ejusmodi profanis ſtatuere & præſcribere ſolet, ad Nos nihil pertinere: Neque enim credimus, animum Sanctitatis Suæ unquam fuiſſe, vel adhuc eſſe, quod Nos, inſtar nudi Executoris, debeamus ejusmodi decreta & conſtitutiones Sanctitatis Suæ executioni mandare. Nam, quemadmodum Nobis videtur, non æquum eſt, Nos indifferenter in omnibus rebus, in quibus Sanctitas Sua ſe judicem conſtituit, ſimpliciter & absque omni, ſive judiciali, ſive extrajudiciali cognitione, judicium & voluntatem Sanctitatis ſuæ ſequi. Hæc ſane omnia antedicto Serenitatis Veſtræ Oratori, Reverendo Epiſcopo Rhedonenſi, ſedulo ac diligenter inculcavimus, & fuiſſet Nobis longe gratiſſimum, quod hoc negotium in priſtino ſtatu reliquiſſet, eo ſcilicet, quo ad Nos poſt mortem Se-

renis-

Digitized by Google

reniſſimi & obſervandisſimi Domini Genitoris Noſtri, præclariſſimæ memoriæ, pervenit: ſed ipſe non ſolum videtur ſe excuſare mandatis Serenitatis Veſtræ, ſed cogitat etiam ex aula Noſtra omnino discedere: quod Nobis quidem, ut verum fateamur, moleſtum accidit, quia Negotia Serenitatis Veſtræ ea prudentia, eaque modeſtia tractavit, & in aliis quoque rebus ſe ita geſſit, ut hoc nomine devòtionem ejus ſingulari benignitate complectamur, ejusque præſentia & converſatione libenter diutius frueremur: Sed quoniam res hoc loci redacta eſt, non poſſumus, niſi quod Serenitatem Veſtram amanter & fraterne rogamus, ut hæc quæ acta ſunt animo certe ſincero & Serenitatis Veſtræ amantisſimo, cum aliud facere nullo modo potuerimus, in meliorem partem interpretari, atque Nos hoc Nomine excuſatos habere velit. Neque dubitet, ſi Serenitati Veſtræ videbitur vel hunc ipſum Epiſcopum Rhedonenſem, vel alium etiam ipſius loco Oratorem ad Nos ablegare, eum Nobis fore gratiſſimum, eandemque illi benevolentiam & favorem expectandum fore, quo hunc Reverendum Epiſcopum Rhedonenſem complexi fuimus, ac etiamſi Serenitati Veſtræ non fuerit commodum, poſthac Oratorem aliquem in Aula Noſtra tenere: Nos tamen nihilominus Serenitati Veſtræ fraternum & ſincerum animum Noſtrum quovis loco & tempore declarare, & mutuis fraterni amoris officiis conteſtari ſtudebimus. Id quod Serenitati Veſtræ ingenue pollicemur, Eandem, quod reliquum eſt, rectisſime valere optantes. Datum Viennæ 14. Decembris, Anno 1564.

VII.

Digitized by Google

VII.

Literæ EMANUELIS PHILIBERTI Ducis Sabaudiæ, ad AUGUSTUM Electorem Saxoniæ, quibus Ipſi pro humanitate in Balthaſarem a Rauoyra, Oratorem ſuum, collata gratias agit, nec non Baltaſarem ac Chriſtophorum Hallerum ab Hallerſtain, ſuum ad Maximilianum II. Rom. Imperatorem Legatum, ipſorumque fidei commiſſa, porro commendat, 1566.

Illuſtriſsime & Amplisſime Princeps, Elector, Agnate & Domine obſervantiſſime.

BAltaſar a Rauoyra, Dominus Crucis, Orator meus, ad me ſcripſit, quanta Celſitudinis veſtræ fuerit in ſe benigne & honorifice accipiendo humanitas, quanta egregiæ voluntatis in Nos ſuæ ſignificatio, quam amanter Illa in omnibus rebus, quæ ad commoda & dignitatem noſtram pertinerent, ſtudium, operam, officium ſuum ſibi detulerit. Quæ res, ut mihi minime mira ſane fuit, cum ob generis & ſanguinis neceſſitudinem, tum ob ſingulatem virtutem & humanitatem Celſitudinis veſtræ; Ita ad eam voluntatem & obſervantiam, quam erga Celſitudinem veſtram ſemper habui, mirificum cumulum attulit. Neque dubito, quin, quæ Baltaſar & Chriſtophorus Hallerus ab Hallerſtain, Conſiliarius & Orator Noſter Ordinarius apud Cæſarem & conventum iſtum, meo nomine ſunt acturi, ea Celſitudo Veſtra gratia autoritateque ſua ſit complexura. Ita quicquid a Statibus & a Cæſare Ipſo ſint impetraturi, id mu-

nere Celſitudinis Veſtræ acceſſurum exiſtimem. Ego me, omnia mea ſumma ſtudia & officia Celſitudini Veſtræ, & debere intelligo, & omni loco ſum præſtaturus, nihilque mihi Celſitudo veſtra gratius facere poterit, quam ſi omnibus in rebus, quæ ad Amplitudinem ſuam pertinebunt, mea hac propenſa voluntate uſa fuerit. Quæ præterea eisdem Oratoribus mandavi, ut cum Celſitudine Veſtra agant, ea ex illis plane cognoſcet, & a quibus etiam intelliget, quo ardentiſſimo teneor deſiderio, Celſitudinem Veſtram viſendi. Idque, ſi commodo ſuo fieri poterit, Celſitudo Veſtra mihi gratificabitur, ut nihil gratius mihi fecerit. Deus O. M. Celſitudinem Veſtram ſalvam & incolumem diutius vivere faciat! Dabantur Auguſtæ Taurinorum IX. Calend. Maji, MDLXVI.

Ejusdem Celſitudinis Veſtræ

Addictiſſimus Agnatus & ſervus

Dux Sabaudiæ.

IIX.

Litera AUGUSTI Electoris Saxoniæ, ad Magiſtrum Hoſpitalis Hieroſolymitani, Fratrem Johannem de Valetto, exaratæ, quibus fortitudinis ab ipſo, in defendenda Inſula Melite, exhibita ſpecimina ſumma laude extollit. Anno 1568.

P. P.

QUantum apud Nos ponderis, Vir illuſtris, & generoſe, literæ tuæ habuerint, ex Nobilis Johannis Georgii Schœnborn benigne a Nobis clementerque in rebus, ad commendam de Weiſſenſee pertinentibus, habiti, commemoratione cognoſces.

Digitized by Google

gnoſces. Cum enim non tantum de Ordinis Veſtri antiquitate, nobilitate ac rebus terra marique fortiſſime, pro Chriſtiano orbe, geſtis præclare ſentiamus, ſed & de inſigni virtutis & fortitudinis Tuæ ſplendore omnia ſumma prædicare audiamus; gaviſi ſumus, occaſionem Nobis declarandæ erga Te benevolentiæ noſtræ dari, tametſi tenuior eſt commendæ illius fortuna, quam Noſtri erga Ordinem Veſtrum animi favor & propenſio. Magnum omnino decus & gloria, præconio major eſt, vitam & fortunas omnes Patriæ impendere, & pro focis & aris contra crudeliſſimum Chriſtiani nominis hoſtem Turcam fortiter pugnare. Qua laude cum Ordo Veſter alios longe antecellat & vincat, fieri non poteſt, quin magnum ſibi apud omnes orbis terrarum Principes admirationem & benevolentiam conciliet. Tua vero etiam fortitudine, qua Melite Inſula anno ſuperiore adverſus Barbarorum incurſiones & oppugnationes defenſa ac ſervata eſt, nominis Tibi ſempiternam gloriam peperiſti. Cum enim plurimum in bello pollere videantur, militum cōpia & virtus, ingenia Imperatorum, & per omnia humana maxime in res bellicas potens fortuna; Tu prioribus quidem, quantum intelleximus, propter inopinatam incurſionem non ſatis inſtructus, eam jacturam ingenio & virtute tua, adeoque fortuna ſive divino Numine annuente, ita compenſaſti, ut plurimum Tibi Orbis Chriſtianus hoc nomine debere fateatur. Reliquum eſt, ut quam de Fortitudine Tua opinionem multis jam populis concitaſti, eam infracto animi robore, virtute & rerum fortiter gerendarum

darum animoſa cupiditate conſtanter tueare. De Noſtra vero erga Te benevolentia tantum tibi polliceberis, quantum & Dignitas Tua multis præconiis ampliſſima meretur, & Noſtrum erga Ordinem Veſtrum promptiſſimum ſtudium poſtulat. Datæ 18. Kalendarum Maji, 1568.

IX.

Literæ STEPHANI BATHORII, Poloniæ Regis, ad STANISLAUM CARNCOVIUM, Epiſcopum Vladislavienſem, exaratæ, quibus ipſi victoriam e Gedanenſibus reportatam, nihilque Poloniæ a Tartaris metuendum eſſe, nunciat 1576.

Stephanus Rex Poloniæ Stanislao Carncovio, Epiſcopo Vladislavienſi.

PLenius & certius jam cognovimus de prælio a Noſtris cum Gedanenſibus commiſſo; victoria Divina benignitate a Noſtris eſt parta, ſummo tamen labore & virtute militum Noſtrorum, quibus paucis cum majori quam quadruplo hoſtium numero res fuit, & cum bene armato & tormentis majoribus inſtructo. Si tardabimus, putamus eos ſibi ſupplementa a civitatibus Anſeaticis & aliunde comparaturos, unde de novo quaſi rem gerendam, ſi vero celeritate utamur, brevi Nos iſtius rei reliquias conficere poſſe. De Tartarico periculo cum cogitamus, videmus eos, cum habeant equos ſtrigoſos, non poſſe ditiones Noſtras, niſi ſub meſſem aut paulo ante invadere. Præterea etiam credimus jam a Turcarum Imperatore mandata ad illos de pace ex pactis ſervanda data, cujus injuſſu id factum apparet ex eo, quod nullus Bialogroden-

Digitized by Google

denſium & aliorum Tartarorum Cæſaris Turcarum in hac excurſione adfuerit. Præterea ſignificatum Nobis eſt, venire ad Nos a Tartaro Legatum. Ita ut ex dilato hoc Gedanenſi negotio, propter incertos de Tartaris nuntios, tunc cum verum periculum aderit, ita ut nunc diſtineremur ancipiti periculo, nec Ruſſiæ Terris auxilium juſtum ferre poſſemus. Perfecto autem hoc negotio paucis, ut credimus, diebus illuc cum numeroſiore exercitu venire poſſemus. Id quod certe Deo volente faciemus, eoque recta contendemus ac efficiemus, ne is perfidus hoſtis impoſterum Noſtris nocere poſsit; ac ſi Deus juverit, fortaſſe etiam vindictam perfidiæ de illo ſumemus, facere ſane id enitemur. Nunc vero verſus Gedanium XXIIX. die hujus Menſis contendemus. Hortamur igitur Sinceritatem Veſtram, ut copias, quas Nobis promiſit, quamprimum mittat. Facturam id Sinceritatem Veſtram pro ſua ſingulari erga Nos obſervantia confidimus. Quam bene valere cupimus. Datum Varſaviæ die 23. Aprilis, Anno 1576.

X.

STEPHANI BATHORII, Regis Poloniæ, Literæ ad STANISLAUM CARNCOVIUM, Epiſcopum Vladislavienſem, ſcriptæ, quibus eum hortatur, ut conſilia adverſariorum ſecum communicet. 1576.

Stephanus Rex Poloniæ Stanislao Carncovio, Epiſcopo Vladislavienſi.

TArdius quam conſtitueramus Cracovia diſceſſimus,

simus, quod post discessum Sinceritatis Vestræ novæ Nos difficultates excepissent: qua de causa conventus Regni paulo diutius extractus est. Verum omnia demum cum nuntiis terrestribus concluſa & constituta sunt. Cum vero jam in itinere simus, & perendie Petricoviam venire constituerimus, hortamur Sinceritatem Vestram, ut Nos de rebus & consiliis eorum, qui adhuc a Nobis dissentiebant, certiores reddat: nam sinceritatem Vestram sedulo curasse, pro sua erga Nos & Rempublicam fide ac prudentia, ut ea perspecta & explorata haberet, plane confidimus. Deinde vero a Sinceritate Vestra postulamus, ut sine ulla mora ad nos Petricoviam veniat, ut ejus consiliis de rebus, quas prius quam proficiscamur. Petricovia Varsaviam, perficere in animum induximus, uti possemus; nec vero diu illic subsistere volumus. Itaque non dubitamus Sinceritatem Vestram cunctatione sua negotia Nostra & Reipublicæ ac institutum iter Nostrum non moraturam. Bene valere Sinceritatem Vestram cupimus. Dabantur Predbory die 3. Junii MDLXXVI. Regni I.

XI.

Literæ STEPHANI BATHORII, Poloniarum Regis, ad STANISLAUM CARNCOVIUM, Episcopum Vladislavienſem, quibus eum hortatur, ut in negotio, quo cura ALBERTI FRIDERICI, Borussiæ Ducis, Georgio Friderico, Marchioni ab Anspach, committenda sit, Commissarii partibus fungatur. 1577.

Stepha-

Digitized by Google

Stephanus Rex Poloniæ Stanislao Carncovio, Episcopo Vladislavienſi.

LAtere Sinceritatem Veſtram nolumus, Nos jam poſt tractatus iſtos, quos nunc cum Oratoribus Germanicis habuimus, in eo eſſe, ut juxta deliberationem & concluſionem Vladislavienſem, cura Ducis Pruſiæ & ditionum illius Illuſtriſſimo Domino Marchioni ab Anſpach committatur, & ut jam ea in re Commiſſarii Noſtri in terras illas mittantur, qui cum Ordinibus terrarum illarum conferant, & rem ac negotium totum perficiant & ad debitum effectum deducant. Inter quos Commiſſarios, cum Sinceritatem Veſtram adeſſe quoque cuperemus, non quod illam non ſciamus Noſtri & Reipublicæ cauſa multa hoc tempore non ſuſtinuiſſe, ac majoribus curis ac impenſis illam onerari vellemus: ſed quod neminem alium melius ac utilius negotium hoc obire exiſtimemus, pro illius prudentia ac negotiorum Noſtrorum experientia, qua illam Deus inter alios præcellere voluit. Itaque, ſi hoc commode ſine magno diſpendio & jactura rerum Sinceritatis Veſtræ fieri poteſt, hortamur Sinceritatem Veſtram, noſtri & Reipublicæ cauſa hoc munus commiſſoriale in ſe ſuſcipiat, & in terras illas una cum aliis ſub finem Octobris deſcendere non gravetur. Numeroſo comitatu non opus eſſe Sinceritati Veſtræ ad iter illud perficiendum exiſtimamus: imo quanto minori ſuorum numero illud abſolvere poterit, vellemus, ut id perficiat, ut etiam poſthac eo celerius ad Nos in conventum Regni, qui fortaſſe ſub illud

Digitized by Google

tempus quoque celebrabitur, redire, ac relationem omnium facere posſit. Rem ut neceſſariam, ita Nobis gratam & toti Reipublicæ huic perutilem Sinceritas Veſtra faciet. Quam bene valere cupimus. Datum Marienburgi 26. Septembris Anno 1577.

XII.

Breve GREGORII P.P. XIII. ad GEBHARDUM Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem, quo eum, ut in fide catholica perſiſtat, nec quicquam huic ſedique Apoſtolicæ adverſum committat, graviter hortatur, 1582.

Gregorius Papa XIII.

VEnerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Truchſiorum Domum non minus generis nobilitate, quam fidei Catholicæ ſtudio & conſtantia ante hac floruiſſe, teſtis eſt inſignium virorum, qui ex ea prodierunt, tum antiqua, tum recens memoria, præcipue vero Cardinalis Auguſtani, qui principem in ea locum obtinuit: apud quem tu pie & religioſe, & quaſi in conſpectu & gremio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ educatus, non parvam olim præbuiſti ſpem, fore, ut dignus tali genere ac diſciplina evaderes. Hinc Noſtra erga te propenſio, noſterque paternus amor initium habuit, qui poſtea ex gravium virorum teſtimonio non ſolum confirmatus, ſed etiam auctus fecit, ut de Te Nobis vicisſim optima & rectisſima quæque polliceremur. Succesſit tempus iſtud, cum electus fuiſti a Capitulo Colonienſi in Archiepiſcopum illius Eccleſiæ, quæ electio cum ma-

maximis implicaretur difficultatibus & vehementisſime oppugnaretur & quaſi expugnaretur, tamen ea erga te uſi ſumus benignitate, ut, ſublatis omnibus impedimentis, Capituli judicium, & electionem de te factam approbaverimus, confirmationisque Apoſtolicæ robur adjecerimus, Ex his putabamus, neminem te, aut religionis orthodoxæ, aut ſanctæ hujus ſedis, aut etiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſiorem vel obſervantiorem fore, ſperabamusque in tua fide, conſtantia & probitate vel maxime debere Nos conquieſcere: ſed dolemus, & quidem graviter dolemus, noſtram hanc expectationem ex his, quæ de multorum literis, ſermonibus & fama ipſa quotidie ad Nos perferuntur, non ſolum labefactatam & imminutam, ſed pene deletam, ac illa, quæ circumferuntur, talia eſſe, & loco munereque tuo adeo indigna, ut ſine magno pudore exprimi non poſſint. Suſtinuimus Nos certe, quoad potuimus, ne quidquam, quod te indignum eſſet, crederemus, ſed cum rumor quotidie ingraveſceret, coacti ſumus ſuſpenſo ac ſollicito de te animo eſſe, nec id diutius diſſimulare voluimus. Monemus igitur te, ut famæ & ſaluti tuæ in tempore conſulas, & ſi fortaſſe longius, quam oportuit, progreſſus es, te revoces: Sin vero falſa ſunt, quæ objiciuntur (quod potius vellemus) animum & ſenſum tuum aperias & declares, nec patiaris ex malevolorum ſermonibus perpetuam notam & ignominiam tibi tuæque agnationi & Ordini Eccleſiaſtico inuri, cogitesque, quid Deo, qui te ad iſtum ſublimem gra-

dum evexit: quid ſedi Apoſtolicæ, quæ te ſingulari quodam amore & gratia complexa eſt; quid patriæ, quid generi, quid Chriſtiano nomini, quid publicæ utilitati, quid denique tibi ipſi debeas: Qui cum honorificentiſſimum locum teneas, non alii magis, quam tibi ipſi inimicus fueris, ſi ita te geſſeris, ut merito inde exturbandus ſis, cum tamen nullo negotio cum tibi conſervare, & magnus in Eccleſia Dei, ac ſumma cum autoritate inter Imperii Principes eſſe poſſis. Memineris, quam difficiles & periculoſi ſint novarum rerum exitus, quantopere cavendum ſit prudenti & pio viro, ne temere famam, ſtatum, dignitatem, animam denique ipſam in extremum diſcrimen abducat: Cujus rei non deſunt Noſtra ætate exempla, quibus doceri poſſis. At ſi longius fortaſſis provecti ſumus, amori Noſtro, dignitatisque ac ſalutis tuæ deſiderio id aſſignabis: Non enim dubitamus, quin paterna hæc monita Noſtra id apud te pondus habitura ſint, quod omnibus nominibus & juſtiſſimis de cauſis debent, atque reipſa eam pietatem ac reverentiam erga ſanctam hanc ſedem ſis oſtenſurus, qua nos recreati, te in dilectiſſimi filii loco, ſicut antea, ita & poſthac habere, & ea re magnopere lætari poſſimus, ſed hoc literarum officio non contenti, mandavimus venerabili fratri Archiepiſcopo Trevirenſi, ut ad te proficiſcatur, tecumque fuſius eadem de re quam diligentiſſime agat, ac conſilium deliberationemque Noſtram clarius patefaciat, cui plenam fidem te habiturum non dubitamus. Datæ Romæ apud ſanctum Petrum,

ſub

Digitized by Google

ſub annulo Piſcatoris, die 17. Dec. MD LXXXII. Pontificatus Noſtri anno undecimo.

Johannes Bapt. Canobius.

Et a tergo: Venerabili fratri Gebhardo, Archiepiſcopo Colonienſi, S.R. Imperii Principi Electori.

XIII.

Reſponſoria GEBHARDI, Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis, ad GREGORIUM XIII. Pontificem Romanum data, quibus mentem ſuam de vera fide, & legitimo, quod initurus erat, conjugio, clare exponit, 1582.

PAternum omnino tuum animum, Pontifex Gregori, & tali Præſule dignum, ex epiſtola tua cognovi: Primum quod ſuſpicionibus non temere locum dare, neque ſiniſtris rumoribus, de meis inſtitutis ſparſis, fidem adhibere voluiſti. Si enim accuſare ſufficeret, quisnam malevolorum inſidias, fœcundiſſimo hoc præſertim culpæ ſeculo, quo optimi quique ab omnibus invidiæ ventis circumflantur, effugere poſſet? Deinde vero Patrium vereque Apoſtolicum illud eſt, ad conſtantiam, in fide integritatem, & diſciplinam in moribus, deniq; ad Eccleſiæ Apoſtolicæ, Catholicæ & orthodoxæ obſervantiam hortari, & de ingentibus ac inevitabilibus periculis præmonere, qui eos manent, qui rebus novis, aut ſuis libidinibus ſervientes, ex Eccleſiæ Apoſtolicæ ſocietate ſe ſubducunt. Meas igitur partes eſſe video, ut tam paternæ & tam ſanctæ admonitioni obtemperem, juxta illud Salomonis Proverb. 15. *Qui abjicit diſciplinam, deſpicit animam*

mam ſuam: Qui autem acquieſcit admonitioni, poſſeſſor eſt cordis. Et fateor ego quidem, me remiſſius fortaſſis & languidius ea agentem, quæ ad animæ meæ ſalutem, conſcientiæ tranquillitatem, Apoſtolicæ Catholicæ Eccleſiæ dignitatem & Dei gloriam pertinent, non parum tuis literis excitatum & expergefactum fuiſſe, ut omnibus diſſimulationis integumentis evolutus, ſicut tua epiſtola pie monet, animum & ſenſum meum aperiam, & declarem, cogitemque quid Deo, qui me ad ſublimem iſtum gradum evexit, quid Eccleſiæ Apoſtolicæ, quid Patriæ, quid publicæ utilitati, quid mihi ipſi debeam. Veriſſima quippe & memorabilis eſt magni illius Aurelii Auguſtini commonefactio, quæ citatur *diſtinctione 83. can. 2. Neminem* videlicet *in Eccleſia Dei plus nocere, quam qui perverſe agens, nomen vel ordinem ſanctitatis & ſacerdotis habet.* Poſtquam igitur eam ætatem ſum ingreſſus, quæ non tam ſuo, quam alieno regitur arbitrio & ad arduum illud Archiepiſcopi munus a Domino Jeſu Chriſto ſum vocatus, (ut hominis propria eſt veri inquiſitio atque inveſtigatio) nulli vel conſuetudini, vel autoritati humanæ addictus, reputare apud me, & ex ſcripturis & eccleſiaſticis hiſtoriis indagare cœpi, quidnam is, qui ante omnes eſt, filius Dei faciendum præceperit, quid muneris epiſcopalis ratio poſtulet, quid in Baptiſmate ſacro Deo, quid Eccleſiæ poſtea voverim, quid denique & ſacri Apoſtolici canones, & ratio ipſa Nobis imperent: Id dum facio, dici non poteſt, quantopere animus, qui a ſeipſo diſſidens nullam partem liquidæ & liberæ voluptatis guſtare poteſt,

Digitized by Google

poteſt, æſtuarit, & me conquieſcere non ſiverit, donec de mea ad Chriſti præſcriptum & Apoſtolicæ Eccleſiæ exemplum, confirmatione cogitationes & deliberationes ſuſciperem. Pudebat enim me nomine tantum, non autem reipſa eſſe Epiſcopum: pudebat ſub virgineæ caſtitatis titulo pectus gerere tetris ardens libidinibus: pudebat Chriſti ſervum mancipium eſſe humanarum traditionum: pudebat nobilem & generoſam ſtirpem meam dedecorari, ſi ad fœdas quasvis & turpes voluptates hujus ſeculi, quibus totus immerſus eram, me diutius projeciſſem. Vellicabant mihi etiam autem tam multi integritate ſpectati, eruditione celebres, dignitate præcellentes & ſedis apoſtolicæ obſervantiſſimi viri, qui ſalva debita reverentia Eccleſiæ Catholicæ de magna aberratione nonnullorum Pontificum & Eccleſiaſticorum ab Apoſtolicis decretis & exemplis palam ſæpe & graviter conqueſti ſunt, quales fuêre ante annos 700. Sanctus Uldaricus Religioſiſſimus Epiſcopus Auguſtanus, divus Bernhardus Abbas Clarovallenſis, Cardinalis Cuſanus & alii quamplurimi hujus notæ, & ſimilis ordinis Viri, ita ut non ſolum contra juramentum meum nihil me tentare aut peccare, ſed illi demum me ſatisfacere, dum me totum meaq; inſtituta ad Apoſtolicæ & ſanctæ illius Eccleſiæ normam compono, demonſtrare ſit facillimum. Primum enim & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Apoſtolicæ doctrinæ virorum conſtans hæc ſemper & concors ſententia fuit, fundamentum aliud poni non poſſe, quam id, quod a Deo poſitum eſt, Jeſum Chriſtum, qui ſolus eſt via, veritas & vita, in cujus ſolius Nomen,

Digitized by Google

men, ſicut & Patris & Spiritus ſancti baptizati ſumus, cujus deniq; eſt Catholica eccleſia, quam ſanguine ſuo redemit. Huic fundamento, dum nititur Eccleſia, tunc vere magnificis titulis illis digna eſt, quos ei D. Paulus *1. ad Tim. III.* tribuit: *Domum Dei viventis, veritatis columnam & ſtabilimentum* eam appellans. Sicut Romana Eccleſia D. Pauli temporibus, & iis, quæ ad aliquot annos conſecuta ſunt, laudem illam habebat, ut fides ejus in Chriſtum in toto terrarum orbe celebraretur, quam fidem unicum fuiſſe illius Eccleſiæ decus, ipſi Romanæ Eccleſiæ Presbyteri & Diaconi, Divo Cypriano ſcribentes *Epiſt. 7. libro ſecundo* fatentur, diſerte hæc verba ſubjicientes: *harum laudum & gloriæ, quam D. Paulus Romanis tribuit, degenerem fuiſſe, crimen eſt ſummum.* Minus quippe eſt dedecoris, nunquam ad laudis præconium acceſſiſſe, quam de faſtigio laudis ruiſſe. Quotiescunque igitur de vera, germana, Apoſtolica Eccleſia agitur, video & rationem ipſam velle, & id ſapientes perpetuo monuiſſe, ut inter eam, quæ vere talis eſt, & Chriſto Petræ ejusque Evangelio innititur, cujus ſemper honos nomenque bonum, laudesque manebunt, & eam, quæ degeneraverit, fruſtra, teſte Chriſto, Deum colentem, juxta mandata hominum, diſcrimen ponatur: Sicut & aurea illa Tertulliani in Praxeam regula, omnibus bonis ſemper placuit: *Rectum eſſe quodtunque primum, adulterinum, quod poſterius.* Et eo me quoque juramentum deducit, talemque me Eccleſiam Apoſtolicam agnoſcere jubet atque obſtringit, quæ nimirum vetus illud Romanæ Eccleſiæ

Digitized by Google

ſiæ Symbolum, ex Apoſtolico, Nicæno & Conſtantinopolitano conflatum, mordicus retineat, quæ unum Baptisma in remiſſionem peccatorum, videlicet per ſanguinem Jeſu Chriſti, qui ſolus mundat ab omni peccato, agnoſcat & credat, quæ non alias, quam apoſtolicas traditiones, qui id certe, quod a Chriſto Jeſu acceperunt, bona fide tradiderunt, admittat, ita etiam expreſſe me meum juramentum obligat, ut ſacram ſcripturam non juxta cujuslibet Pontificis aut Concilii ſenſum, ſed juxta eum ſenſum, quem Apoſtolica olim tenuit & Apoſtolorum veſtigiis inſiſtens, vera & ſancta mater eccleſia tenet, & juxta Patrum & piæ vetuſtatis unanimem ſenſum accipiam, intelligam atque interpreter. Ad illam, inquam, normam, ad illud fundamentum, cum me meum revocet juramentum, nihil vel credere vel amplecti teneor, quod cum illo fundamento non congruat, ſive ſit Arimini, ſive Romæ, ſive Tridenti decretum: vetera enim recentibus, vera adulterinis, Apoſtolica humanis placitis, merito ſunt anteponenda. Nam & Noſtri Canones, ut apparet *Diſtinct. 15. Canon. 3.* ipſis illis œcumenicis, nobiliſſimisque & vetuſtiſſimis conciliis, eam autoritatem non tribuunt, quam ſcripturis vel Apoſtolicis ſcriptis. Ibi enim in hunc modum ſcribitur: *Sancta Romana Eccleſia poſt illas veteris Teſtamenti & novi ſcripturas, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet, Synodum Nycænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam & Chalcedonenſem &c.* Hactenus oſtendi, quod ſit juramenti mei fundamentum, & quatenus me conſtrictum teneat: Sic, ut ſancte profi-

teor,

teor, me nec a vera fide in Jesum Christum, neque ab illa Apostolicæ Ecclesiæ societate, cui omnem reverentiam me debere profiteor, unquam per Dei gratiam esse sejunctarum, semperque memorem futurum, quid Deo in Baptismo, quid Ecclesiæ voverim. Ceterum & istud quoque apud omnes bonos & intelligentes dubitatione vacat, ut maximè res illicitas, & cum prima fide in Baptismo data pugnantes juratemus, talibus juramentis Nos neque teneri neque obligari: Id, inquam, trita illa juris Pontificii regula docet: *Non esse* videlicet *obligatorium, contra mores bonos præstitum juramentum.* Contra bonos mores autem secundum jus Canonicum ea juramenta esse dicuntur, quibus inducitur peccatum. Sic etiam sapientissime Magister sententiarum ex D. Hieronymi sententia monet: *Jusjurandum tres habere comites, veritatem, judicium & justitiam, qui, si defuerint, non tam esse juramentum, quam perjurium.* Sed expressissima & copiosa de hujusmodi juramentis commonefactio extat apud Gratianum *in 2. parte Decreti: In malis promissis restinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incaute vovisti, ne facias: impia est promissio, que scelere adimpletur: non solum in jurando, sed in omni quod agimus, hæc est moderatio sollicite observanda, ut si in talem forte lapsum versuti hostis incidimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio surgere non possumus, illum potius evadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpessuros esse cernimus;* Ita etiam ibidem temeraria & incauta juramenta non esse servanda, definiunt patres: *& tolerabi-*

lius

lius esse non implere juramentum, quam permanere in stupri flagitio: Item ex Augustino ibidem demonstratur: *Si propterea fides non servatur, ut ad bonum redeatur, non ideo violari fidem, cum non sit appellanda fides, quæ ad peccatum faciendum admittitur.* Non autem difficile esset demonstrare, & id luculentis rationibus ex scripturis & tota vetustate a multis summis viris demonstratum est, partim inertissima segnitia, partim avaritia & malitia multorum Pontificum, quod Platina ipse, alias Romanæ sedis observantissimus, dissimulare non potuit, multa in Romanam Ecclesiam irrepsisse, quæ non solum cum illa Apostolica & Catholica non congruant, verum etiam in Christum ipsum, quem solum proposuit Deus, ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius, contumeliosissima sint & plane idololatria, quæ si quis retinere velit, næ is & in Deum, *cujus*, inquit Arnobius *lib. 7. contra Gentes, proprium est liberales venias & concessiones habere gratuitas*, & in Ecclesiam, & in Conscientiam suam peccet. De his autem, quia tu, Pontifex Gregori, mihi litem adhuc non moves, & magnis ac præclaris viris jam sæpe occasionem dederunt sese sejungendi, non ab Ecclesia Apostolica catholica, sed ab iis abusibus & corruptelis, quæ illius Ecclesiæ fundamentum evertunt, nolo in præsentia longam orationem instituere: sed ad illud crimen diluendum sermonem converto, quod paulo expressius a te mihi objici video. Video autem, video inquam, aut saltem subodorari me existimo, quodnam sit grande illud nefas & vel morte, vel exturbatione a munere

meo piandum, propter quod apud te ſum delatus, & in magnam illam invidiam & ſuſpicionem vocatus, quod nimirum omnis diſciplinæ quod officii, quod famæ immemor, cujus te ſuppudeat, de matrimonio, quod Divus Paulus ad Hebræos alias honorabile inter quosvis vocare non eſt veritus, & Eccleſia Romana inter ſacramenta numerat, cogitare videas. Id autem ſi facio, aut dum facio, quid ego quæſo vel a ſanctiſſimorum Apoſtolorum exemplo, vel ab eorum canonibus & decretis alienum inſtituo? Quid a vetuſtiſſimi Clementis Alexandrini judicio? Quid a Noſtris Canonibus, in quibus *Diſt. 28. Can. 11. & 12.* mentio fit uxorum Presbyterorum & Diaconorum: & *Canon. 17.* ex conſilio Gangrenſi hæc deſcribuntur: *Si quis diſcernit Presbyterum conjugatum, tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abſtineat, anathema ſit.* Laudatur etiam *in ſecunda parte Decreti*, graviſſima vox Paphnutii, qui in Concilio Nicæno aſſerere non dubitavit, *in conjugio etiam eſſe caſtitatem.* Cum igitur vel Siricii vel Pelagii autoritas apud Nos plus valeat, quam Apoſtolorum, quam nunc memoratorum Conciliorum & Patrum, quam Dei ipſius, pronuntiantis, non eſſe bonum, hominem eſſe ſolum? Quæ vero amentia, quis furor ſcortatores, adulteros, maſculorum concubitores in miniſteriis Eccleſiaſticis potius vult ferre, quam legitimo conjugio juxta mandatum Dei copulatos? Ex quo fonte, ex quo ore manet Dogma illud, quod conjugia diffamat, prohibet, videre eſt apud *Danielem cap. 12. 1. Tim.*

cap.

Digitized by Google

cap. 4. Teſtatur certe ipſe Æneas Sylvius *in Germaniæ deſcriptione*, ſanctum illum Udalricum Epiſcopum Auguſtanum, leges illas de cœlibatu contra Pontifices ſui temporis oppugnaſſe. Imo extat Udalrici illius Epiſtola ad Papam Nicolaum, in qua conqueritur, ſacerdotes & Magnos Prælatos, præſertim in Italia adeo libidinoſos, ut non tantum a virginibus & conjugatis non abſtineant, ſed etiam cum conſanguineis, cum maſculis, cum brutis ſe commiſceant. Et narrat memorabilem Hiſtoriam, quod Divus Gregorius Papa, primum quidem mandaverit cœlibatum ſacerdotibus, poſtea autem, cum forte in piſcinam piſcatum miſiſſet, ibique ad 6000. capitum ſubmerſorum infantium inventa fuiſſent, videns id ex ſuo violento cœlibatu prodiiſſe, ingemiſcens abrogarit decretum, recitataque Pauli ſententia: *Melius eſt nubere, quam uri*, adjecerit: *Melius eſt nubere, quam cadis cauſam dare.* Recenſet etiam Abbas Urſpergenſis *in ſuo Chronico* Epiſtolam celebris Synodi Eccleſiaſticorum & Politicorum Procerum, Brixiæ Noricæ, contra Hildebrandum Papam, congregatæ, in qua inter alia queruntur, quod inter conjugatos Sacerdotes divortia poneret, & cum fœdo illo Pontifice Eccleſia periclitaretur, teſtantur illi, Papæ nullam obedientiam promiſſam deberi. Longe quippe aliud eſt, CHRISTO & Eccleſiæ Apoſtolicæ obedientiam vovere, quam ſingulorum Pontificum placitis obtemperare. Memor ego itaque, quid Chriſto, quid Eccleſiæ debeam, & ut Epiſcopum, ut virum generoſo & nobili loco

natum, caſtam & ab illecebris carnis & pravis libidinibus tutam cupiens ſervare mentem, de remedio libidinum legitimo, & omnibus ordinibus ſine exceptione conceſſo, cogitare volui, nulla levitate contumaciave adductus. Sed poſtquam me diu excuſſi, & ad cœlibatum, cujus donum nec omnibus, nec ſemper datur, me minus idoneum ſenſi, juxta Canones Eccleſiæ ſupra memoratos, a temerario, quod in poteſtate mea non fuit, cœlibatus voto, diſcedere. ad majus malum evitandum & Votum Caſtitatis Chriſto factum, ſervandum & explendum fas eſſe duxi. Denique ſemotis & contemtis hominum profanorum judiciis, minis, periculis, aliisve conſiderationibus, divinæ ordinationi, Providentiæ, Protectioni acquieſcere decrevi, illud ſubinde memoria repetens, quod Theodoretus *libro 4. cap. 20. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* de veteribus illis Chriſtianis memorat, eos nullum majus tormentum eſſe arbitratos abnegatione pietatis. Ideo licet Tyranni undabundi ſpumarent, & inſtar venti vehementis irruerent, a pietate non paſſos ſeſe depelli. Extremum autem hoc erit, ut Juſtini Martyris exemplo *in apologetico pro Chriſtianis*, ad judicia omnium recte ſentientium provocem, quæ ſubmiſſio, Juſtino teſte, ideo æquiſſima eſt, quod pii veritatem ſolam honore dignantur, & ad eam omnia merito referre debent. Te vero, Gregori Pontifex, nunc appello, ut in propoſito meo vere Apoſtolico, vere caſto, veræ diſciplinæ veteris Eccleſiæ Catholicæ conformi, apud Te mihi ſit aliquid præſidii. Te, inquam, oro

& ob-

Digitized by Google

& obteſtor, ut quo animo ad me monendum accedere dignatus es, eodem meam juſtiſſimam defenſionem accipias, & memineris, eos tui & Eccleſiæ obſervantiſſimos eſſe, non qui adulantur, palpant, paraſitos agunt, vulnera gravia molli & indulgenti manu tractant aut tegunt: ſed ut pulcerrime Plutarchus docet de diſcrimine adulatoris & amici, qui ingenue, qui libere loquuntur, agunt, monent, arguunt; ſed non pro animi libidine & arbitrio, quis enim alias eſſem, qui ſummo Pontifici obloquerer & obſtreperem? Verum ex Dei omnipotentis, cujus in Reges ipſos & Pontifices Imperium eſt, verbo, ſtatutis, mandatis, Propheticis, inquam, & Apoſtolicis libris, ſuper quorum doctrina Eccleſiam & Pontifices fundari & ædificari decet, omnia depromunt. Atque utinam diem illum videre liceat, qua tu Pontifex non de me, & Apoſtolicæ Doctrinæ & vitæ ſtudioſisſimis hominibus opprimendis, ſed de Eccleſia a tot ſtipulis, tot idololatriis repurganda, de Simoniacis, de ſacrilegis, de mollibus, de adulteris & mœchis, de ſcortatoribus, aleatoribus, ebrioſis, quos Canones Noſtri a ſacris arceri jubent, coercendis, exturbandis, ſeriam ſuſcipies & non nimis ſeram deliberationem, ut Eccleſiæ tandem Romanæ vetus dignitas, Orbi Chriſtiano pax & tranquillitas, vulneratis tot conſcientiis quies & ſolatium reſtituatur. Quam meam cohortationem, cum vel olitor nonnunquam opportuna ſit locutus, ab homine & Epiſcopo Germano, qui nihil minus, quam diſſimulare novit, te, quem Dei Tutelæ com-

mendo, paterno, pio & æquo animo acceptu-rum esse, confido.

Gebhardus Dei gratia Archiepiscopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii Princeps Elector.

XIV.

Literæ fiduciariæ seu credentiales, quas HENRICUS, Rex Navarræ, Jacobo Segurio Pardeliano, Suo ad Status S. R. Imperii Protestantes Ablegato, ad JOACHIMUM ERNESTUM, Principem Anhaltinum, dedit, 1583.

Henricus Dei Gratia Navarrorum Rex, Princeps Bearniæ, Dux Vindocenensis, Belmontensis, Albretensis &c. Comes Toxensis, Armeniacus, Ruthenensis, Bigerronensis, Marlensis, Petragoriensis &c. Vice-Comes Lemovicensis &c. Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Joachimo Ernesto Principi Anhaldino, Comiti Ascanensi &c. Consanguineo suo charissimo S. P. D.

CUm Nos ab ineunte ætate purioris Doctrinæ rudimentis imbutos succenderit mira quædam & pene incredibilis cupiditas Principes eos invisendi, quorum opera Dominus ad propagandum Nominis sui gloriam usus esset, ut tam pio desiderio nostro satisfaceremus, induxeramus superiori anno in animum, Nos itineri tam longo, tamque laborioso committere, nisi piorum & prudentum Viro-

Virorum consiliis paruissemus, qui judicarunt, ob nostram absentiam plus detrimenti longe Ecclesias, quæ Christi auspiciis in Galliis sunt collectæ, passuras esse, quam peregrinatio illa nostra posset adferre commodi; Itaque substitimus, & ad ea curanda, quæ ex re nostrarum Ecclesiarum fore putaremus, animum adjunximus, tum etiam ut malum toti regno imminens, ob nonnullorum hominum, novis rebus, & repurgatæ religioni nocere studentium, impios conatus, atque adeo propter Romani Pontificis insidias, quantum possimus, averteremus. Porro cum jucundissimo Illustrissimorum Germaniæ Principum conspectu frui per publicas, easdemque necessarias occupationes impediti fuissemus, neque consilia nostra, de Pace in Ecclesiis & Galliis stabilienda, cum iis conferre possemus, quod proximum fuit, faciendum curavimus. Ablegavimus igitur ad dictos Germaniæ Principes, D. Segurium Pardelianum Virum honestissimo loco natum, Domus nostræ & Interioris Consilii præfectum, dedimusque ei in mandatis, ut Celsitudinem Vestram nomine nostro salutet, gratuleturque felicem rerum vestrarum statum atque Ecclesiarum, quæ sunt in ditionibus vestris, tranquillitatem. Quoniam autem omnium multo magis Principum interest, ut quo arctioribus religionis scilicet vinculis sunt obligati, eo major inter eos sit amicitiæ necessitudo & benevolentiæ nexus, quem ea, quæ concilianda restat inter nostros opinionum dissensio, abrumpere non possit, neque debet, cum in præcipuis doctrinæ articulis conveniat, communesque habeamus ad-

verſarios, Celſitudinem Veſtram rogamus, ut quæ ad Eccleſiarum reſtitutarum concordiam & ſecuritatem, doctrinæ Chriſtianæ unanimem conſenſum, & non modo Galliæ, ſed etiam ad Germaniæ pacem publicam pertinent, animo expendere, cum aliis Principibus communicare, & totis viribus promovere velit. Celſitudo Veſtra rem fecerit Deo acceptam, toti Europæ ſalutarem, & provinciæ ſuæ in tanta animorum rerumque omnium perturbatione neceſſariam. De nobis ſic ſtatuat velimus, nos omne officium noſtrum, ſummamque erga Celſitudinem Veſtram voluntatem, erga vero Rempublicam, ſtudium atque operam re ipſa ſemper declaraturos eſſe. Cetera ex Legato noſtro Celſitudo Veſtra intelliget, cui ut fides adhibeatur, a vobis etiam atque etiam petimus. Deus Optimus Maximus Celſitudinem Veſtram diu incolumem, ad nominis ſui gloriam, ſervare dignetur. Neraci 15. Cal. Auguſti 1583.

Veſter bonus Conſanguineus

Henricus R.

XV.

Reſponſum JOACHIMI ERNESTI, Principis Anhaltini, ad præcedentes Regis Navarræ literas, 1584.

Sereniſſime ac Illuſtriſſime Rex, Domine & Conſanguinee obſervandiſſime.

ETſi omnino confidimus, Serenitatem Veſtram Regiam, per Legatum ad nos miſſum, poſſe de omnibus, quæ hic acta fuerint, fieri certiorem, tamen

men ut aliquid literarum etiam Serenitati Veſtræ Regiæ daremus, tum rerum gravitas, tum Serenitatis Veſtræ Regiæ, quæ apud nos valet plurimum, autoritas, requirere viſa eſt.

Tantas enim res, a tam Chriſtiano Rege ſuſcipi, quæ non ſolum ad gloriam Dei, ſalutem Reipublicæ Chriſtianæ, pacemque publicam ſpectent, ſed quæ ruenti etiam huic ſeculo, & ad terminos ſuos quaſi fatales properanti, conſilia & auxilia offerant, ac ſpondeant, quis non niſi forſan omnino ἄσοφος ἢ ἄθεος, ſummis evehendum laudibus mirumque in modum prædicandum eſſe duxerit? Incredibili itaque voluptate affecit nos tanti Regis tantus zelus ac ardor, rerum tam gravium, quam divinarum, conatus hoſce ſanctos ac plena laude digniſſimos, ut Deus Optimus Maximus, regat, ac invicto fauſtoque ſucceſſu gubernet, noſtra cura omnium piorum votis conjungemus, & ipſe irritas noſtras non ſinit eſſe preces.

Accedit ad hoc, quod Regii Legati, qui alias & generis ſplendore ac virtutum ornamentis eſt ampliſſimus, tanta fuit erga nos humanitas, tanta rerum conficiendarum induſtria, facundia, rerumque peritia ac generoſus candor, ut & literis & nunciis Serenit. Veſt. Reg. ornatos nos eſſe, merito affirmare & prædicare poſſimus. Pro quibus omnibus & officiis & beneficiis, niſi etiam per literas Serenitati Veſtræ Regiæ gratias ageremus, argui nos vel inhumanitatis vel ingratitudinis poſſe, teſtes nosmet ipſos libenter conſtituimus. Merito itaque probatur nobis totum, quod a Serenitate Veſtra Regia ſuſcipitur, & a Legatis digniſſimis, præ-

Digitized by Google

clariſſime perficitur, negotium. Quale viciſſim fuerit erga ipſos noſtrum ſtudium & promovendi tam ſanctos conatus deſiderium, maluimus Serenit. Veſt. Reg. ex ipſis coram, quam noſtris literis, prædicare.

Certe ſibi Serenitas Veſtra Regia perſuaſum habeat, omnia noſtra in omni officiorum genere ſtudia, ſemper fore Serenit. Veſt. Reg. quam promptiſſima paratiſſimaque & Serenit. Veſt. Reg. de noſtra erga ſe voluntate ſibi hæc omnia polliceatur; quæ a fideliſſimo Amico ac ſtudioſisſimo quoque proficiſci expectarique poſſunt. Nec unquam patiemur apud nos reſidere aliquid impedimenti aut oblivionis, ſi poterimus honeſtisſima Serenitatis Veſtræ Regiæ conſilia ulla ratione fovere & adjuvare, id quod reliquos Status ſanæ Religioni addictos, facturos quoque eſſe, optamus & ſperamus, nec intermittemus, freti occaſione, quæ Veſtris Nobis oſtenſa eſt, ſæpius Seren. Veſt. Reg. literis compellare.

Commendamus etiam Nos & familiam noſtram, quam digniſſimus Legatus Serenitatis Veſtræ Regiæ vidit ſatis amplam, foveri a benevolentia veſtra, & precabimur, ut Deus Optimus Maximus Serenitatem Veſt. Regiam ad nominis ſui gloriam ac Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem, multorumque incolumitatem, conſervet diutiſſime incolumem, roburque ac ſucceſſus piis conatibus addat. Deſſaviæ 17. Calend. Febr. Anno reſtauratæ ſalutis 1584.

Serenitati Veſtræ Regiæ

Addictiſſimus

D. G. Joachimus Erneſtus, Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ, Dominus Serveſtæ ac Bernburgi. XVI.

Digitized by Goo

XVI.

Litera JACOBI SEGURII PARDELIANI, Henrici Regis Navarræ Legati, ad JOACHIMUM ERNESTUM, Principem Anhaltinum, quibus illi Regis sui causam, Proteſtantium Germaniæ Principum auxiliis indigentem, commendat 1586.

ILluſtriſsime Princeps, cum mihi haud procul Aula Illuſtriſsimæ Celſitudinis veſtræ iter eſſet, putabam equidem, me ex officio meo facturum, ſi de recto itinere meo ad ſalutandum Illuſtriſsimam Celſitudinem Veſtram diverterem; ſed veritus, ne repentino adventu meo Illuſtriſsima Celſitudo Veſtra offenderetur, & a graviſsimis, quibus diſtinetur, negotiis, intempeſtive avocaretur, ſatius duxi Doct. Grays ad Illuſtriſsimam Celſitudinem Veſtram mittere, qui eam & verbis meis quam officioſisſime ſalutaret, & de rerum noſtrarum ſtatu plenius certiorem faceret. Quæ ſane eo loco ſunt, ut ad Illuſtriſsimorum Principum Electorum egregias in cauſam noſtram voluntates promovendas & ad felicem rebusque noſtris ſalutarem exitum perducendas pii tantum alicujus Principis, qui autoritate & prudentia valeat, ſtudio & opera opus ſit. Quod cum animo meo diu multumque cogitavi, neminem invenio ad id exequendum aptiorem Illuſtriſsima Celſitudine Veſtra, apud quam (eadem Illuſtriſsima Celſitudine Veſtra maxime contendente) ſuppetias Sereniſsimo Regi Navarræ & Eccleſiis noſtris Illuſtriſsimi Electores olim decreverant, Eas cum hodie præter Illuſtriſsimorum Principum Electorum animum (quem en-

Digitized by Google

ga Serenisſimum Regem Navarræ & cauſam noſtram optime affectum novi) malis quorundam hominum conſiliis, magno cum bonæ cauſæ periculo differri videam, non potui non obnixe ab Illuſtriſſima Celſitudine Veſtra petere, ut quam jam dudum nobis egregiam operam navavit, eandem nobis hodie præſtet, ut decreta illa apud Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram Serenisſimo Regi Navarræ auxilia, quam primum (celeritatem enim rerum noſtrarum anguſtiæ poſtulant) parata nobis adſint; Facile hoc ab Illuſtriſſimis Principibus Electoribus Illuſt. Celſitud. Veſt impetrabit, quorum mihi ſtudium probe perſpectum eſt. Et faciet Illuſtriſſima Celſitudo Veſtra rem non ſolum bonis omnibus, ſed Deo Optimo Maximo, cujus hic cauſa ſerio agitur, gratiſſimam, Serenisſimum autem Regem Navarræ ſibi in perpetuum devinciet, qui præſtitum hoc ſibi pia in cauſa pium officium, de quo Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ Virtus & ſingularis Pietas, egregia etiam in me ſtudia toties probata certam mihi ſpem faciunt, Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram cauſæ noſtræ hoc maxime tempore minime defuturam. Cætera pluribus Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ explicabit D. Grays. Ego is in Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram ſemper ero, quem me eſſe maxima Illuſtriſſimæ Celſitud. Veſtræ merita volunt. Peto autem ab Illuſtriſſima Celſitudine Veſtra, ut quid mihi deinceps faciendum ſit, quid tentandum, qua ratione Serenisſimi Regis Navarræ negotia perſequenda, benigne ſignificare velit, & prudentisſimis conſiliis ſuis hæſitationem meam ſiſtere. Deus Optimus

Digitized by Google

mus Maximus Illuſtriſimam Celſitudinem veſtram omni proſperitate florentem quam diutiſime conſervet. Datum Halberſtadii 27. Julii Anno 1586.

Illuſtriſimæ Celſitudinis Veſtræ

Addictiſſimus & obſervantiſſimus

Jacobus Segurius Pardelianus,
Regis Navarræ Legatus.

XVII.

Literæ PROFESSORUM MARPURGENSIUM ad WILHELMUM IV. Haſſiæ Landgravium, de egregiis MAURITII Principis, filii ejus, in literis profectibus, teſtantes, 1587.

Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime.

SÆpe ut fideles in Academia Celſitudinis Tuæ ſubditi, cogitamus hanc graviſſimam ſententiam, ſcriptam a duobus ſummis Viris, Platone & Xenophonte: *nullum animal regi poſſe niſi a ſuperiore natura. Equos enim non regi ab equis, ſed ab hominibus; ita & homines ab eminentiore natura regendos eſſe, videlicet ab heroica.* Id Nos quidem in Eccleſia ſic corrigimus, ut dicamus, a Deo genus humanum regi, per excellentes homines, inſtructos a Deo & Naturæ & Spiritus ſancti donis majoribus, quam qualia cadunt in inferiores aut mediocres alios. Quare non ſolum diſtinxit Deus hominum gradus & multitudini præfecit paucos, ſed & ornat omnibus temporibus, felices & ſalutares gubernatores, donis ſingularibus, virtute & conſilio magis, quam cæteros in Republi-

publica & Eccleſia Viros. Amamus igitur & reverenter amplectimur hunc Ordinem a Deo inſtitutum, in quo cum videamus Principes natos in illuſtriſſima familia Landgraviorum Haſſiæ, longo ordine ac ſerie excelluiſſe, tum vero imprimis hoc Noſtro Seculo tuam Celſitudinem, cum illuſtriſſimis Principibus fratribus heroica virtute & pietate omnibus ornamentis velut gemmam nobiliſſimam ac pretioſiſſimam eminere ac publice lucere, mirifice lætamur, ob publicum non ſolum Haſſiæ Noſtræ, ſed & totius Germaniæ Patriæ communis commodum atque incrementum. Toto etiam pectore gaudemus ac Reipublicæ gratulamur, quod Deus Autor generationis Hominum talem illuſtriſſimæ Celſitudini Tuæ filium naſci voluit, qui illuſtriſſima habet ſemina maximarum virtutum, omniumque Doctrinarum capax eſt, atque inſtructiſſimorum majorum ſuorum imprimisque Celſitudinis Tuæ præclariſſimæ virtutis inſiſtens veſtigiis, vere eſt Dei bonitate, Eccleſiæ & Reipublicæ uberrimum felicisſimumque ſeminarium. Sæpe autem Naturæ etiam optimæ ac generoſiſſimæ degenerant, niſi adhibeatur recta & accurata inſtitutio. Ideoque vult Deus etiam bonis ac præſtantibus ingeniis addi culturam. Gratum igitur Deo ac Reipublicæ utile & neceſſarium officium præſtat illuſtriſſima Celſitudo tua, quod illuſtriſſima ac generoſiſſima indole prædito filio, una cum ætate & Doctrinam de vera agnitione & invocatione Dei, & de aliis artibus Eccleſiæ ac Reipublicæ neceſſariis, deque omnium virtutum offi-

Digitized by Google

officiis tradi benignisſime curat ac mandat. Ut enim tua Celſitudo præclarisſima didicit & intelligit, atque in uſu quotidiano habet & exercet omnia genera doctrinarum, ita pie vult illuſtrisſimam ſobolem ſuam inſtrui atque præparari ad Rempublicam multiplici cognitione. Ac initia quidem, Dei propitii beneficio, ſunt læta atque præclara. Placide enim collocuti ſumus cum ipſius Celſitudine de multis partibus eruditæ doctrinæ, ut clementer fieri voluit tua Excelſitas. In eo quidem colloquio ita reſpondit ſingulis Collegii Noſtri Profeſſoribus, in Latina & Græca Lingua, in Logicis, in Poëſi, in Ethicis & Hiſtoricis, ut non posſimus non admodum probare Celſitudinis ipſius laudatisſimos, & Principe adoleſcente dignisſimos mores, progreſſus, ingenium, memoriam, judicium, ſtudium atque induſtriam, quam præſtitit in hac tenera ætate in perdiſcendis felicisſime harum Doctrinarum initiis, ita ut vere de ipſo uſurpare posſimus, id quod olim de heroico impetu Poëta ſcripſit:

Ingenium cœleſte ſuis velocius annis,
Surgit & ingratæ fert mala damna moræ.

Cum igitur intelligamus, quam utile & ſalutare bonum ſit, Principem, qui aliquando poſt acceſſurus eſt ad Reipublicæ gubernationem, quique futurus eſt, ut nominat vox divina, Eccleſiæ nutritor, eſſe recte eruditum, Deo, fonti omnis ſapientiæ & doctrinæ, toto pectore gratias agimus, quod & illuſtrisſimæ Celſitudinis tuæ animum rexerit ita, ut maximæ laudis atque expectationis

filio

filio, veram de Deo atque liberalibus artibus tradi volueris doctrinam & filii pectus juvenile flexerit ad obediendi & discendi summum heroicumque studium. Eundemque Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi & Dominum Nostrum Jesum Christum & Spiritum sanctum veris ac piis animi gemitibus oramus, ut deinceps quoque & illustrissimæ Celsitudinis Tuæ & illustrissimi Landgravii Mauritii mentem & voluntatem regat ac flectat, ad Nominis Divini & honestarum artium gloriam ornandam, ut exemplo & beneficentia Celsitudinis Vestræ mox cælestis doctrinæ & optimarum literarum studia in hac gente & vicinis Regionibus longe lateque spargantur atque propagentur; utque Celsitudo Tua cum amplissimæ spei Principe filio, in tota æternitate sit in cœtu eruditorum & beatorum Principum, Davidis, Salomonis, Josaphat, Ezechiæ, Josiæ, Cyri, Constantini, Theodosii & similium. Hanc nostram demissam ac simplicem responsionem, ut Celsitudo tua clementer accipiat, atque hanc scholam Nosque singulos sibi benigne commendatos habeat, demisse oramus. Bene & feliciter vale atque age, illustrissime Princeps, ut Deo largiente diu adhuc Celsitudo Tua sit vox publici, honestissimi atque illustrissimi Consilii in Germania, eaque Celsitudinis tuæ pia ope & auxilia in hoc incendio aliorumque regnorum ruinis, feliciter fulciatur ac tranquilla conservetur. Marpurgi, die 24. Martii Anno Christi Salvatoris 1587.

XLIX. *Li-*

Digitized by Google

XIIX.

Literæ credentiales HENRICI Regis Navarræ ad JOHANNEM GEORG. I. & CHRISTIANUM, Principes Anhaltinos, Huralto Hospitalio Fayo, Ejusdem Regis ad Status S. R. Imperii Protestantes Legato, datæ, 1588.

Henricus, Dei Gratia Rex, Navarræ &c.

Illustrissimis Principibus ac Dominis, Johanni Georgio, & Christiano Principibus Anhaltinis, Comitibus Ascaniæ, Cerwesti & Bernburgi, Dominis & Consanguineis nostris Charissimis.

Illustrissimi Principes, Consanguinei Charissimi.

JAm annos aliquot concordiam Ecclesiarum & conjunctionem consiliorum atque virium, quæ Pontificiorum audaciæ opponi possit, petimus a Regibus & Principibus, quibus divini verbi lumen affulsit. Serenissima quidem Regina Angliæ Soror nostra fidelissima, & Serenissimus Rex Daniæ Frater noster charissimus, & aliquot alii Principes non pauci consilium nostrum probaverunt. Inter eos scimus de fideli Legato nostro Generoso Domino Segurio & ex literis etiam vestris, quod Celsitudines Vestræ juxta alios amicos Principes ad defensionem Ecclesiarum communi consilio promovendam & adjuvandam pro viribus suis fuerint semper paratissimæ! Quo nomine quantum vobis debeamus, facile intelligimus. Sed fructum harum tractationum nullum videmus. Hostes quidem publicos quotidie magis magisque audere omnes vident, plerique etiam sentiunt:

Ante aliquot menſes Affinis veſtri, Imperii Principis, provinciam crudelisſime devaſtaſſe: Et hodie ad ipſas portas Imperii Exercitum habere comperimus; Ingentes autem Hiſpanorum terra marique apparatus quo ſpectare dicamus, niſi ad Antichriſtum, in templo Dei, quo ejectus eſt, reponendum? & jugum intolerabile liberis cervicibus imponendum? Sunt iſta Celſitudinibus Veſtris non ignota, quæ prudenter judicant, etſi primum impetum non ſit exceptura Germania, tamen ſuperatis aliis viam hoſti in Germaniam aperiri. Hæc etſi crebris literis & per prædictum Legatum noſtrum Dominum Segurium ſæpius expoſuimus: repetenda putavimus per dilectum noſtrum Legatum Dominum Huraltum Hoſpitalium Fayum, quem ad Charisſimos Conſanguineos noſtros Illuſtrisſimos Principes Electores ablegamus, quemque cum Celſitudinibus Veſtris nomine noſtro de remediis publicorum malorum conferre jusſimus, & ſtatum omnem rerum noſtrarum exponere, notum ipſi & cognitum, qui multos annos conſiliis noſtris & actionibus interfuit. Certe tot tantisque calamitatibus tot annos preſſi, Illuſtrem ſentimus Numinis Divini opem. Ita exercet nos Deus, ut tamen oſtendat, non ſe curam noſtri abjeciſſe. Cæci ſumus, niſi divinam ejus manum videamus, ingrati, niſi prædicemus. Sed gravisſimam nuper jacturam fecimus, morte optimi fratris noſtri Illuſtrisſimi Principis Condæi, quem nobis Deus dederat curarum laborumque ſocium, cujusque in poſterum præſentem virtutem ſæpe cum gemitu deſideraturi ſumus. Eum nobis Eccleſiæ-

cleſiæque abſtulit ſcelus hoſtium, quibus jam familiare eſt Principes viros, quorum pietas virtusque improbisſimis ipſorum cupiditatibus obſtat, aut veneno aut per inſidias perfidioſe tollere. Ex eo & nos per ſicarios aggresſi ſunt, ſed Deus Protector noſter, hactenus proditoribus manicas injecit, uti vobis explicabit prædictus noſter Fayus, cui ut tanquam nobis ipſis, fidem habeatis, vehementer a Celſitudinibus Veſtris petimus. Per eundem certiores de Celſitudinum Veſtrarum conſiliis & aliorum Principum in nos animo fieri cupimus. De nobis hoc ſibi polliceantur Celſitud. Veſt. nos & in ſuscepta Eccleſiarum cauſa & in amicitia vobiscum colenda conſtantes ſemper futuros. Deus Optimus Maximus Celſitudines Veſtras ſuis Eccleſiæque ſervet, quam diutisſime ſalvas & incolumes. Datum Rupellis 12. Martii 1588.

Amiciſſimus Conſanguineus tanquam Frater

Henricus R.

XIX.

Literæ commendatitiæ a JACOBO SEGURIO PARDELIANO ad CHRISTIANUM I. Principem Anhaltinum, Domini de Fay, Regis Navarræ ad Electorem Saxoniæ ablegati, cauſa exaratæ, 1588.

Illuſtriſſime Princeps.

CUm in Aulam Saxonicam, atque etiam ad ipſam Celſitudinem Veſtram cum literis & mandatis Regiis proficiſceretur Generoſus Dominus Huraltus Hoſpitalius Fayus, Legatus a Sere-

Digitized by Google

niſſimo Rege meo, non potui non compellare literis Celſitudinem Veſtram, quam ſæpe de me peramanter quærere intellexi. Accipio hoc, illuſtriſſime Princeps, Celſitudinis Veſtræ amoris in me teſtimonium. Sed illud amplector avidius, quod Celſitudinem Veſtram audio ubique de Sereniſſimo Rege Navarræ, de ſtatu rerum noſtrarum ſollicite & anxie inquirere. Magni amoris magnum argumentum, quod non viſum amas: Nempe non faciem, ſed virtutem amas, quam fama late ſparſam animo contueris. Perge, Princeps Illuſtriſſime, Dignus eſt, quem ames, de quo ſollicitus es. Nam & ipſe Celſitudinem tuam amat, & dolet ingentes animi tui fructus in ipſa ſpe ſubſiſtere: maturos videre geſtit, ut eos colligere Chriſtiana poſſit Respublica, de rebus noſtris nihil addam: omnia plene hauriet Celſitudo Veſtra ex ipſius Domini Fay ore, qui Majeſtati Regiæ toto hoc bello adfuit, & teſtis eſt ejus conſiliorum atque actionum oculatus. Gratiſſimi erunt, ut ſpero, Celſitudini Veſtræ ſermones hominis eloquentis, prudentis, pii, qui de multis publicis privatisque edocere Celſitudinem Veſtram poterit. Sed neque commendabo Celſitudini Veſtræ nunc, cum publica ſint, & ad totius Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem pertineant, complectetur ea Celſitudo Veſtra, Illuſtriſſime Princeps, tot magnos Principes, turbato toto orbe Chriſtiano, & in præceps ruentibus Imperiis, Eccleſiis Chriſti miſere afflictis, tam profundum dormire & ſua illa negligentia aditum lupis in ovile Chriſti patefacere. Scribo ad Celſitudinem Veſtram, ut meus eſt mos, & ut ad pium Principem licet, de, publi-

Digitized by Google

publicis rebus libere. Totum hoc quod videmus, malorum mare, quod jam magnam orbis Chriſtiani partem inundavit, quodque impune in objecta omnia ruit, totum hoc debemus iis, qui cum Antichriſti furoribus obſiſtere facile potuiſſent, quieſcere, quam officio ſuo defungi, maluerunt. Non nihil etiam, imo plurimum auxit hoſtium inſolentiam infelix exercitus noſtri perverſa adminiſtratio. Sed cum malorum noſtrorum mare cogito, ipſe ſi vela explicare velim, altum jam mare imprudens teneam. Itaque permittam Celſitudinis Veſtræ prudentiſſimo judicio, & Domini Fayi fideliſſimæ relationi cætera. Deus Optimus Maximus Celſitudinem Veſtram quam diutiſſime incolumem & florentem conſervet. Datæ Hamburgi 12. Julii An. 1588.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis
Veſtræ
Addictiſſimus
Jacobus Segurius Pardelianus
Regis Navarræ Legatus.

XX.

Reſponſum JOH. GEORGII I. Principis Anhaltini, ad præcedentes PARDELIANI literas, 1589.

GEneroſe Seguri, Aberat peregre frater meus, cum afferrentur literæ tuæ, ſolus ergo reſpondeo, me judicio de nobis Tuo & Tua erga nos affectione mirifice delectari. Ambo autem, ut a teneris ſingulari cura Illuſtrium Parentum noſtrorum de Deo recte eruditi & in religione ſincera pie inſtituti atque educati, ita ea quoque præſtituri loco

noſtro ſumus, quæcunque ad tuendam eam noſtrarum erunt virium; Nec Deum affuturum nobis conſilio & auxilio cœleſti dubitamus.

Sed quantum publice nos poſſimus ceſſantibus iis aut renitentibus, qui nos antecedunt rebus omnibus, & quibus ferre leges non poſſumus, tibi ignotum non eſt, qui ſpectator fuiſti eorum, quæ fiunt in Germania, & expertus ipſe es, quantum aſſiduis interpellationibus profeceris aut obtinueris. Cum fratre reverſo, quem in horas propemodum expecto, communicato conſilio colloquar, ac decernam de iis, quorum fit in Epiſtola tua mentio. Nosque illos & nunc eſſe ac manſuros deinceps quos perſpexiſti, Tibi perſuadeas.

Cætera ex Bongarſio cognoſces coram. Datæ Deſſæ ultima Aprilis Anno 1589.

XXI.

Literæ fiduciariæ, quas ELISABETHA, *Angliæ Regina, Horatio Palavicino, ſuo ad Principes per Germaniam Proteſtantes Legato, ad* CHRISTIANUM I. *Saxonum Electorem tradidit, 1589.*

Eliſabetha Dei gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, fidei Defenſatrix &c. &c. Illuſtriſſimo Principi, Chriſtiano Duci Saxoniæ, Electori &c. &c. Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo, ſalutem.

Illuſtriſſime Princeps, Conſanguinee & Amice chariſſime.

IN antegreſſis Noſtris literis expoſuimus Excellentiæ Veſtræ pericula, quæ Nobis univerſis, qui ſtamus a partibus Evangelii, parantur a Pontificiis:

ad

ad quæ declinanda de communibus inter Nos consiliis conferendis egimus quoque, deque comitiis ad eam rem habendis Francofurti ad Mœnum ante proximas ejusdem loci nundinas, seu alibi, ubi Illustrissimis Principibus Sacri Romani Imperii videretur maxime commodum & opportunum. Tam modicam enim dilationem res nobis pati visa est. Nunc cum acrius urget, cunctandum diutius non esse existimavimus, quin potius omni cum festinatione acceleranda, quæ ex usu Nostro omnium communi sunt. Propterea Nobilem hunc Horatium Palavicinum, Equestris Ordinis virum, Nobis percharum & fidum, cum mandatis plenissimis ad Excellentiam Vestram & alios sacri Imperii Principes ablegandum duximus, cui juxta ac Nobis ipsis, si præsentes essemus, fidem haberi in iis, quæ nomine Nostro Vobiscum aget, quam diu apud Vos hærebit, etiam atque etiam flagitamus, & Deum optimum maximum precamur, ut Excellentiam Vestram quam diutissime incolumem & florentem conservet. Datæ Grinvichi in Regia Nostra, ultimo die Januarii, Anno Domini 1589. Regni vero Nostri 32.

Vestra bona Consanguinea,

Elisabetha Regina.

XXII.

Literæ fiduciariæ ab ELISABETHA Anglorum Regina ad CHRISTIANUM I. Principem Anhaltinum, pro suo ad S. R. Imp. Principes ablegato, Horatio Pallavicino, exaratæ, 1589.

Elizabetha Dei Gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, fidei Defensor &c. Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Christiano, Principi Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Domino Servesti ac Bernburgi, Consanguineo & amico nostro charissimo, salutem.

ILlustrissime Princeps, Pontificiorum diligentia in promovendis incœptis suis, in rerum nostrarum communium eversionem destinatis, non sinet nos absque nostro magno malo esse negligentes. Propterea fit, ut, dum parum nobis ipsis satisfacimus, eam, qua supra usæ sumus apud Excellentiam Vestram monitione, de integro renovemus, misso ad illustrissimos Sacri Imperii Principes præsenti Nobili Equestris Ordinis Viro, Nobis præclaro & fido, Horatio Pallavicino, rogatum, non solum ut in seriam cogitationem descendant gravissimi impendentis periculi nobis universis, qui a partibus Evangelii stamus, sed etiam de iis remediis in commune conferendis, quæ nostro nomine propositurus est. Quod dum præstat apudque vos moratur, ut eam illi habeat Excellentia Vestra fidem, quam nobis haberet, si essemus præsentes, majorem in modum precamur, Deum Optimum Maximum simul rogantes, ut eandem velit quam diutissime incolumem & florentem conservare. Datæ e Regia Nostra Greenvichi ultimo Die Januarii Anno Domini 1589. Regni vero nostri 32.

Vestra Cognata

Elizabetha Regina.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

CHRISTIANI I. Principis Anhaltini Responsoriæ ad ELISABETHAM Angliæ Reginam, quibus debitam ipsi nunquam in se cessaturam venerationem, suumque, erga rem Protestantium communem, studium testatur, 1590.

SErenissima Regina, Serenitati Vestræ Regiæ salutem dicimus, ac operam Nostram in omni honoris & officii genere paratissimam reverenter deferimus, Domina & Cognata charissima. Literas Serenitatis Vestræ Regiæ, ultima Januarii Grenwichii ad me exaratas reddidit mihi Magnificus ac nobilis Vir Dominus Horatius Palavicinus, Legatus huc a Regia Vestra Serenitate ad Illustrissimum Ducem & Electorem Saxonicum missus: Ex quibus, quemadmodum etiam ex Domini Legati sermone literas Ser. Vest. Reg. subsecuto, curam illam & sollicitudinem, qua Regia Vestra Serenitas pro Republica Christiana assidue detinetur, luculenter perspexi. Quamquam vero cum meam singularem erga Regiam Vestram Serenitatem observantiam, tum officiosissimum in omni genere studium superioribus meis & fratris mei Principis Johannis Georgii literis, quas accepisse eam arbitror, ita Regiæ Vestræ Serenitati declarare studui, ut propterea me ab ea vehementer amari putem: tamen in eo affectu præclaro me etiamnum perseverare, & Regiæ Vestræ Serenitatis causa omnia cupere, Regiæ Vestræ Serenitati per literas has rursus significandum esse duxi: Spondens me omnia facturum, e quibus Reg. Vestra Seren. meum erga se amorem, cum incredi-

bili obſervantia conjunctum, haud obſcure intelligat. Cæterum Reg. Veſt. Serenitatem certo ſibi perſuadere volo, nemini in ea me cura ceſſurum unquam, quam ſuſcipere decet nos, qui Rempublicam Chriſtianam quam maxime ſalvam volumus. Quod ſi a me in Eam aliqua commoda proficiſci poſſent, quid eſt, quod magis cuperem & optarem? Verum, quantum in me eſt, conabor, ut ſi re minus, at certe voluntate egregia in ea tutanda laudandus eſſe videar. Idque Seren. Veſt. Regiæ Dominus Palavicinus exponet prolixius. Quod reliquum eſt, ſummis precibus, ſummaque reverentia obſecro, ut Reg. Veſt. Serenitas eo me amore eaque benevolentia, qua hactenus in me fuit, perpetuo complecti pergat. Serenitatem Veſt. Reg. quam rectiſſime valere & proſperrimis rerum omnium ſucceſſibus perpetuo frui ex animo precor. Dresdæ 5. die Menſis Junii Anno 1590.

XXIV.

Literæ HENRICI Regis Navarræ ad CHRISTIANUM I. Principem Anhaltinum, quibus ipſi præter cauſam Religionis, Borgartium, Legatum ſuum, commendat, 1589.

Henricus Dei gratia Rex Navarræ, Hæres Franciæ, Dux Vindocinenſis, Belmontenſis, Albretenſis &c. Princeps Bearniæ: Comes Foxenſis, Armeniacus, Ruthenenſis, Petragorienſis, Berionenſis, Marlenſis &c. Vice-Comes Lemovienſis &c. Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Chriſtiano, Principi Anhaltino, Comiti Aſcaniæ, Cerbeſti & Bernburgi Domino &c. Conſanguineo noſtro chariſſimo.

Illu-

Illustrissime Princeps, Consanguinee charissime.

REdiit ad nos diu expectatus nobis, exoptatusque Illustris vir, dilectus noster Jacobus Segurius Pardelianus, post exactum in laboriosissima legatione quadriennium, non tali quidem successu, qualem & de laboribus ejus, & fide singulari atque prudentia sperabamus: Sed nos Dei voluntate acquievimus. Retulit is, quod antea nobis, & ex literis ipsius, & ex laudatissimæ memoriæ Principis parentis Vestri in Rempublicam Christianam meritis constabat, excellentem esse, & certam ubique omnium bonotum spem de virtutibus vestris, & præterea, quod & ipsum nobis dubium non erat, animum in nos resque nostras egregium. De surgentibus virtutibus vestris gratulamur Ecclesiæ Christi, amori autem in nos vestro nos plene & ex animo respondemus, nostrum reipsa, cum eum vobis experiri libuerit, comprobabimus. Sed illa in florente ætate virtus vestra explicare se hoc tempore, aut alias nunquam debet, quo & Ecclesiæ Dei graviter pressæ Principum virorum auxilium implorant, & expectant, & amplissima se gloriæ seges in Gloria Christi propugnanda offert. Nos Dei benignitate etsi pene attriti diuturno hoc bello, stamus adhuc, nec de gradu dimovemur, & de Ecclesiarum commodis cogitare, eaque, quantum in nobis est, promovere indefessi persistimus: Socium laborum optamus, & expectamus; quem si Deus aliquando excitaverit, spes nos magna tenet fore, ut brevi malorum finem videamus, & hostes Dei iis-

dem

dem moleſtiis conflictantes cernamus, quibus hodie viros bonos implicitos dolemus. Ingentem nobis ſpem ipſe Deus oſtentat, cum & laboribus noſtris propitius benedicit, & nobis aliud agentibus hoſtium ſuorum, & ob nomen ejus noſtrorum capita potenter dejicit. Ipſius manu ſunt iſta facta, patrataque, quæ & majora ut ab eo ſperemus jubent. Sed mittimus ad vos nobilem virum Bongartium noſtrum, qui Celſitudini Veſtræ exponet rerum noſtrarum ſtatum pleniſſime. Operam quidem, quam in hoc negotio Celſitudo Veſtra navabit, eam ſciat ſe Reipublicæ Eccleſiæque Chriſtianæ navare: Noſtra neque nobis nata eſt, & vobis erit privatim ſemper paratiſſima. Vitam ſane nobis Deus & olim dedit, & nuper ex periculoſiſſimo morbo reddidit, non ut nobis, ſed ut ipſi, Eccleſiæque ejus viveremus. Erga vos vero nos & Virtus Veſtra & Amor in nos Veſter obligant. Deus Optimus Maximus Celſitudinem Veſtram quam diutiſſime ſervet incolumem. Datum Rupellis quindecimâ Februarii, 1589.

Veſter bonus Conſanguineus

Henricus.

XXV.

Literæ JOHANNIS GEORGII I. Principis Anhaltini, ad HENRICUM, Regem Navarræ, quibus illi nomine ſuo fratriſque exteras oras luſtrantis ad præcedentes reſpondet, 1589.

Sere-

Digitized by Google

Sereniſſime Rex, Conſanguinee ac Domine Clementiſſime.

REgiæ Serenitatis Veſtræ literæ redditæ ſunt mihi cum alteris Fratri meo Principi Chriſtiano inſcriptis, qui per ſemeſtre abfuit a patria, profectus peregre, nec adhuc redierat hoc tempore. In lectione autem literarum mirifice & delectavit & affecit me cum eximia teſtificatio clementiſſimæ erga me voluntatis, tum vero imprimis grata commemoratio ac prædicatio mirandorum operum Dei, demonſtrantis toti orbi terrarum tam illuſtribus teſtimoniis juſtitiæ & vindictæ adverſus mendacia ſophiſtarum ſuum judicium, de ſua, id eſt, æterna & immota veritate cœleſti verbo patefacta, quæ hactenus tot modis oppugnata atque enixa ex omnibus ſupra hoſtes ſeſe extulit; Adverſus machinationes hoſtiles vero præſentiam ſuam in protectione & defenſione Eccleſiæ & mirandis liberationibus ſanctorum. Quæ & nos qua decet ac par eſt, pietate agnoſcimus, gratitudine celebramus, cum Regia Serenitate Veſtra Deo gratias agentes, quod illam ſervatam inter ſumma ac perpetua pericula violentiæ & occultarum machinationum, nuperque a morbo prope deſperato reſtitutam, exemplo Regis pii Ezechiæ, victoriis etiam perpetuis & illuſtribus, præter & contra ſpes & expectationes hoſtium, ſine externis auxiliis, ornare pergit. Nos divina benedictione propagatum in nos a ſanctæ venerandæque memoriæ Illuſtribus & piis majoribus noſtris, exemploque traditum & mandatis eorundem commendatum

tum nobis, imprimis ab Illuſtri parente noſtro, ſtudium amoremque & curam Religionis ſinceræ, quantis poterimus conatibus & viribus, oſtendere probareque Deo & piis omnibus, noſtro loco contendemus. Confiſi divinæ gubernationis præſidio, quod non defuturum eſſe nobis certo ſcimus, quæcunque hoſtes Filii Dei moliantur & ſtruant.

Quæ divinitus exhibeantur opportunitates regno ſuperſtitionum, idololatriæ, tenebrarum & tyrannidis Pontificiæ debellando, ante oculos eſt, & in conſpectu omnium; Sed quando ex adverſo intuemur judicia & affectiones maximæ multitudinis, fatalem in aliis aut ſocordiam aut timiditatem, in aliis cœcitatem & duritiem agnoſcimus, quæ pœnas fatales attrahit.

Vincet tamen Rex Regum & Dominus Dominantium, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui tunc ſe profert, cum deſperata videntur ac deplorata omnia. De nobis, de me & fratre, Regiæ Serenitati Veſtræ perſuaſum eſſe cupio, quod indicatum & confirmatum ab aliis eſſe intelligo. Ac Deum precor, ut conſilia, bella & gubernationem omnem Regiæ Serenitatis Veſtræ dirigat ſucceſſu eventuque proſpero, in nomen, laudem & gloriam ſuam, & teſtimonium evidens ac perpetuum ſuæ veritatis. Datæ Deſſæ ultimo Aprilis Anno 1589.

Regiam Serenitatem Veſtram

Reverenter colens Conſanguineus Veſter,

Johannes Georgius, Dei gratia
Princeps Anhaltinus, Comes Aſcaniæ,
Serveſtæ ac Bernburgi Dominus.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI.

Literæ ELISABETHÆ, *Reginæ Angliæ, ad* CHRISTIANUM I. *Principem Anhaltinum, monentes, ut fœdus inter Proteſtantes Principes adverſus ſacram Catholicorum ligam ineatur, & certus de eo firmando Francofurti ad Mœnum ſtatuatur dies, 1589.*

Elizabetha, Dei Gratia, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei Defenſatrix &c.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Chriſtiano, eadem Gratia Principi Anhaltino, Comiti Aſcaniæ, Domino Serveſti ac Bernburgi, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo Salutem.

Illuſtriſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

POſtulant periculoſa hæc tempora, in quibus nunc verſamur, ut & privatim ſinguli, & publice univerſi, qui Evangelii Veritatem profitemur, de ſalute publica, veræ religionis defenſione, & Statuum noſtrorum conſervatione ſollicite cogitemus.

Quas enim tragœdias in Gallia Pontificii excitarunt, ut Regem Chriſtianiſſimum de ſtatu dejiciant, & Hiſpanum in ejus ſolio conſtituant, concitatis ad rebellionem perfidis ſubditis, & inter ſe, cumque exteris, ſacro quod vocant fœdere, convinctis, toti Europæ arbitramur innoteſcere.

Nec vero a quoquam ſapiente dubitari poteſt, quin hoc, quod Franciæ Regi Chriſtianiſſimo inten-

Digitized by Google

tentatur bellum, id omnium cervicibus immineat, qui religionem reformatam profitentur. Non enim illis, præcipue Regis perſona (cujus in illo regno indubitatum jus eſſe dignoſcitur) ſed religio exoſa eſt, quam optimus iſte Rex, cum Regni ac vitæ etiam periculo, acerrime tuetur, illi vero pertinacisſime conantur evertere.

Hæc cauſa, quoniam non minus nobis quam illi communis eſt, quin periculum etiam commune futurum ſit, ambigi non poteſt. Quod ut caute ac prudenter declinemus, fœdere contrario opus eſt, quo ſacratum hoc (ut illi volunt) fœdus refutemus. Quemadmodum igitur ad alios Imperii Principes, hac de re nunc ſcripſimus, ita Excellentiam Veſtram ſumme oratam eſſe volumus, ut certus dies ac locus Comitiorum communi conſenſu ſtatuatur, in quibus de hoc tanto negotio exquiſite pertractetur; quæ nos (ſi ita Principibus viſum erit) commodisſime Francofurti haberi poſſe putamus, idque omnino, ante proximas ejus loci nundinas.

Eo etiam nos aliquem ex noſtris oratorem aut nuntium mittemus, cum amplis mandatis & autoritate, ea ex parte noſtra ſtatuendi, quæ in rem communem utilia & opportuna videbuntur. Qua in re, ne forte aberremus, ſcripſimus ad Illuſtriſſimum Principem, Dominum Johannem Caſimirum, Electoratus Palatini Adminiſtratorem, ut diligenter hanc cauſam apud Principes Imperii procuret, & de die ac loco ab illis conſtituto, nos quam primum certiores faciat.

Oramus itaque etiam atque etiam Excellentiam Veſtram, ut huic operi manum, operam & conſi-

lium

Digitized by Google

lium cum omni cura admoveat, quo res Orbi Christiano tam salutaris optatum exitum sortiatur. Ita Excellentiam Vestram bene ac feliciter valere ex animo precamur. Datum ex Regia nostra Richemundiæ die Mensis Decembris 10, Anno Domini 1589. Regni vero nostri 32.

Vestra bona Consanguinea

Elisabeth Regina.

XXVII.

Litera ELISABETHÆ, Reginæ Angliæ, Principem Anhaltinum, JOHANNEM GEORGIUM I. exhortantes, ut certa ratio, qua Orbis Evangelicus contra vim Pontificiorum perpetuo defendi queat, ineatur, ac dies de ea adinvenienda Francofurti statuatur, bonumque istud opus omni studio ab eo promoveatur, 1589.

Elizabetha Dei Gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei Defensor. Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Johanni Georgio, Principi Anhaldino, Comiti Ascaniæ, Domino Servesti ac Bernburgi, Consanguineo & Amico Nostro Charissimo.

Illustrissime Princeps, Consanguinee & Amice Charissime.

IN re ignota quoniam non versamur, aut ejusmodi, quæ dubia sit, erimus breviores: Salus est publica, quam conservari desideramus, quam peti Celsitudo Vestra videt in persona Christianissimi Regis, cujus quam sint afflictæ res, ex Legatis ejus accepistis. Multos jam annos objecimus nos

communibus periculis, nulla implorata ope a confœderatis Principibus, nullamque ipsis offerentibus: Sic voluit Deus, ut imbecillioris fœminæ Virginis vires vel superbissimorum Regum minuerent potentiam; Viri principes interea, suis quisque sedibus, quieti in pace cum otio degerent. Jam nunc, ingravescente malo, Virginisque fœminæ viribus tantam molem haud valentibus sustinere, cavendum præterea cum videatur, ne periculi communitas, suæ dum paci & commodis singuli studemus, nos universos, tempore quemque suo, pessundet, excitandos Illustrissimos Sacri Imperii Principes duximus, ad seriam cogitationem conservationis rerum, tum suarum, tum publicarum, viamque ineundam, qua Orbis Evangelicus, contra vim Pontificiorum in præsens & futurum defendi queat. Peti enim vitas, Regna, Diademata, ditiones, opes ac fortunas nostras ex ratihabitione parricidii Henrici tertii Christianissimi Regis, ex Cajetani Legatione, de donando regno Galliæ Catholico Regi, ex Subditis Henrici quarti contra ipsum concitatis a Pontifice Romano, constat. Quod si extra dubium est, nostræ quin saluti defuturi simus, ni mature de remediis cogitemus, in aperto est. Quæ cogitatio facit, ut diligentioribus verbis Vestram Celsitudinem & illos rogemus, ut Comitiorum locus & dies constituatur, ad consilia conferenda, & de melioribus mediis, quibus nos universos & singulos conservemus, eaque, ut habeantur, ad ultimum ante proximas nundinas Francofurdianas, ne nimium rejiciendo tempus consiliorum sero de mali nostri remediis sta-

Digitized by Google

ſtatuamus. Ad hoc autem negotium promovendum, quoniam Celſitudinis Veſt. auctoritatem plurimum poſſe non diffidimus, ſummopere rogamus, velit in eam curam ſtudioſiſſime incumbere. Nos, prout ab illis decretum fuerit, Mandatarium noſtrum ad eadem Comitia ablegabimus, cum ampliſſima poteſtate ſtatuendi ex parte noſtra, quæ ſtatui velle vos videbit. Temporis autem & loci conventi certiorem nos faciet Illuſtriſſimus Princeps Electoratus (ſcil. Palat.) Adminiſtrator Caſimirus, cujus curæ & fidei hanc provinciam amice commendavimus, qui nobis in ea parte rem gratam facere non refugiet. Interea Deum Optimum Maximum precamur, ut Veſtram Celſitudinem ſalvam & florentem conſervet in longiſſimos annos. Datum e Regia noſtra Richmondiæ 10. die Menſis Decembris, Anno Domini 1589. Regni vero noſtri trigeſimo ſecundo.

Veſtra bona Conſanguinea

Eliſabeth R.

XXIIX.

Litera HORATII PALAVICINI, *Legati Anglicani, ad* CHRISTIANUM I. *Saxoniæ Electorem, quibus Ipſum, quo decet animi cultu rogat, ut ſibi ſecum colloquendi & fidei ſuæ commiſſa exponendi quamprimum libertas detur, 1590.*

Illuſtriſſime & Potentiſſime ac Domine Colendiſſime.

QUemadmodum Sereniſſima Regina, Domina mea, in Celſitudinem Veſtram Illuſtriſſimam

oculos conjecit maxime; ſic mea hæc Legatio, Illuſtriſſime Princeps, Celſitudinis Veſtræ Conſilium ac deliberationem præcipuę intuetur. Nam Majeſtas Veſtra (*pro Illius*) Sereniſſima ſic exiſtimat futura omnia, quæ in publicam cauſam Celſitudine Veſtra adjuvante fient, dignitatis tantæ ac virium, ut timere hinc inimici hoſtesque, amici autem & cauſæ iſtius conſortes fidere vehementer habeant. Quod itaque geſtum hactenus a me cum Illuſtriſſimis Caſimiro Duce, & Principe Guilielmo Landgravio eſt, hoc duntaxat aditu viam faciliorem ad Celſitudinem Veſtram mihi munire ſtudui, ut, conſiliis rationibusque, quantum fieri potuit, explicatis, paratior accederem ad Celſitudinem Veſtram, quam ſcilicet & hortarer Sereniſſimæ Principis meæ nomine, & invitarem ad opus longe nobiliſſimum, cum occaſiones, conditionesque publicarum rerum egregie ad id accommodatæ videantur; At vero, quantum matura hic deliberatione & expedita executione opus eſt, tanto vehementius opto, ne ad Celſitudinem Veſtram accedam, niſi ex liberrima ejus voluntate & propenſo ad hanc rem animo, ut inde optatus ac certus ſequatur fructus; Hujus autem rei liquidum indicium fuerit ex promptitudine vel mora, quam Celſitudo Veſtra ad audiendam Legationem Noſtram adhibere voluerit, quam quidem enixe rogo, ut de rebus omnibus mature conſiderare velit, pro ſingulari illa ſua a Deo eximie donata prudentia & magnitudine animi, rerumque gerendarum ſcientia. Ipſe hic ſignificationem voluntatis ejus expectabo, cui meamque ſemper apta-

re

re curabo, ut Serenisſimæ Reginæ Dominæ meæ conſilium eſt. Deum optimum maximum hic precor, ut Celſitudinem Veſtram incolumem ac florentisſimam ſervet quam diutisſime. Datum Gueterboch 25. Maji 1590.

Veſtræ Celſitudinis

Addictisſimus

Horatius Palavicinus, Serenisſimæ Reginæ Angliæ Legatus.

XXIX.

Literæ JACOBI VI. Scotiæ Regis ad JOH. GEORGIUM I. Principem Anhaltinum, exhortantes ac rogantes, ut miſſam a ſe ad Principes Proteſtantes legationem, ſuamque, quam per eam offerri juſſerit, mediationem, ſibi habeat commendatam, 1590.

Jacobus Dei gratia Rex Scotorum, Illuſtriſſimo Principi Anhaltino, Comiti Aſcaniæ, Domino Zerbeſti & Bernburgi, Affini & Conſanguineo noſtro chariſſimo ſalutem.

COgitantibus ſæpe nobis, quot quantasque Nomini Chriſtiano clades Hiſpanici, Anglici, Gallicique belli eventus poſſet adferre, quantisque fœderatorum factionibus miſerrimum ſinceræ religioni exitium minitentur, quibusque ex adverſo rationibus Respublica Chriſtiana tot undequaque agitata procellis in aliquem tranquillitatis portum perduci poſſit, operæ pretium nos facturos putavimus, ſi tam oportunam conventus Illuſtriſſimorum Germaniæ Principum occaſionem ſtudio-

ſe arripere conaremur, quos & in unum congregatos & ſingulos interpellare decrevimus, ut, quibus melius fieri poſſet rationibus, Reipublicæ Chriſtianæ conſulere, diſcrimina ſinceræ Religioni imminentia avertere, & nutantem Eccleſiam ſuſtentare ac ſublevare velint; Celſitudinem præſertim Veſtram, alioquin ſatis propenſam in Chriſtiani nominis propagationem, per Legatos noſtros, Guilielmum Stuartum a Pittenweme, Commendatarium, & Johannem Svanæum, in ſupremo noſtro Senatu Advocatum, Conſiliarios noſtros, ſollicitandam putavimus. Neque enim Celſitudinem Veſtram latere arbitramur, non tam privatarum injuriarum vindictam, quam aliquam extirpandæ Religionis occaſionem ab Hiſpanis expeti, eandemque in Gallia bellorum Civilium ſubeſſe cauſam, facile perſpicient, quotquot in eorum initia & progreſſus diligentius inquirere conabuntur. Quare cum Religionis incommoda vicinaque mala iis proxime imminere videntur, qui & maxime animati, & ſinceræ Religionis profeſſione & vitæ integritate ſeſe vero Chriſto dediderunt, Celſitudinem Veſtram imprimis curaturam, ne quid detrimenti Respublica capiat Chriſtiana & egregiam in ea tuenda novaturam operam non dubitamus. Facillime ſane & non magno negotio caveri poſſe arbitramur, ſi communi Sereniſſimorum ac illuſtriſſimorum Principum conſenſu & auctoritate publica ac illuſtri Legatione æquæ pacis conditiones a dictis Principibus requirantur, utque res controverſæ Chriſtianorum potius Principum arbitrio, quam incerti martis aleæ aut judicio permittantur.

tur. Quod ſi minus concedatur & per Regem Gallorum Reginamque Angliæ ſteterit, quo minus publicæ Europæ tranquillitati conſulatur, obſtinatos pacis publicæ turbatores deſerendos, & ſuis conſiliis permittendos judicabimus. Si vero Hiſpaniarum Rex æquas pacis conditiones recuſaverit, aliud moliri nobis, puræque religioni inhiare, communesque injurias communi Chriſtianorum conſpiratione eſſe propulſandas, ſpretosque nos repulſa, ac prædæ deſtinatos, puramque Chriſti religionem arcti fœderis communi tutela & præſidio muniendam eſſe cenſebimus. Melius autem auguramur, nec tam piæ petitioni tantæ prudentiæ Principes refragari velle, omniaque nobis pro votis ceſſura confidimus. Quodſi, ut ſperamus, eveniat, eorum ſane tranquillitati, nobis ſinceræque Chriſti religioni probe conſuletur. Nos profecto noſtram in eo promovendo negotio operam & induſtriam omnem pro virili pollicemur; nec quicquam, quod vel ad pacis publicæ procurationem, vel privata Celſitudinis Veſtræ ſtudia, quæ vel a religionis ſinceræ ſtudioſiſſimo, vel Celſitudinis Veſtræ conſanguineo amantiſſimo, expectanda ſint, in nobis ulla ratione deſiderari patiemur. Cætera per Legatos noſtros Celſitudo Veſtra cognoſcet, quorum relationi fidem certiſſimam adhiberi poſtulamus. Interea, Illuſtriſſime Princeps, Conſanguinee nobis longe chariſſime, Deus Opt. Max. Celſitudinem veſtram quam diutiſſime florentem & incolumem faxit. Datæ e Regia noſtra Sanctæ crucis die 8. menſis Junii,

Anno ſalutis milleſimo quingenteſimo nonageſimo, Regnique noſtri vigeſimo tertio.

Jacobus R.

XXX.

Litera ELISABETHÆ, Anglorum Reginæ, ad CHRISTIANUM I. Saxoniæ Electorem data, auxilium Galliarum Regi ferendum ſpectantes, 1590.

Eliſabetha Dei Gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei Defenſatrix &c. &c. Illuſtriſſimo Principi ac Domino Chriſtiano, eadem gratia Duci Saxoniæ &c. &c. Conſanguineo & Amico Noſtro ſalutem.

Illuſtriſſime Princeps, Conſanguinee & Amice charisſime.

Literas Veſtræ Excellentiæ Dresdæ ſcriptas quinta Junii ultimo elapſi, reddidit Nobis Nobilis iſte plurimum Nobis charus Horatius Palavicinus, Eques auratus, Legatus Noſter, una cum reſponſo Veſtro ad certa mandatorum capita, quæ Noſtro Nomine Excellentiæ Veſtræ exponenda, ipſius fidei commiſimus. Utrumque hoc grati animi officium grate accepimus; gratius autem eo, quod ſermonibus ſuis teſtatus Nobis eſt conſtantem Excellentiæ Veſtræ voluntatem erga tam propagationem propugnationemque Religionis orthodoxæ, quam communibus conſiliis & auxiliis, ex officio cuique Noſtrum incumbenti, defendendam ſuſcepimus, quam erga non minus juſtam, quam neceſſariam defenſionem Coronæ Galliæ, hoc ipſo nomi-

nomine hodierno die ſævisſime petitam oppugnatamque. Utrum autem ex tum Excellentiæ Veſtræ, tum aliorum Illuſtrisſimorum Sacri Romani Imperii Principum Proteſtantium voluntatum cum noſtra conſentientium pariumque officiorum ſpei prædicatione, cum uſus poſtulabit plus recrementi acceperimus, quam ægritudinis ac doloris, ex inopinato Legati Noſtri reditu, cum mandatis Veſtris intermiſſaque ſpe cogendi in præſentem annum exercitum, quem deſtinavimus, fatendo quod verum eſt ingenue, neſcimus. Non quod ejus in eo factum vel improbamus, vel invitæ cum Rege Chriſtianisſimo agimus, ut Excellentiæ Veſtræ ſatisfiat in omnibus, quæ poſtulat quæque deſiderat; ſed quod metuimus Nobis, ne ſubiti ipſius ad Nos recurſus, cogendique exercitus moræ fama ad hoſtes perlata, publicæ quam ſuſtinemus cauſæ incommodet, hoſtemque ſatis in omnes occaſiones intentum, omni jam ab Germania metu liberatum, præcipitem magis agendo & feſtinantem, ad ſua conſilia & auxilia acceleranda, Galliamque opprimendam inducat. In medio autem vicinæ gentis incendio, velle de conferendis cogitare conſiliis, nimis intempeſtivum eſt, ut ſunt nullius uſus ſera morborum remedia. Jam vero, quamvis Chriſtianisſimum Regem, tum ad omnem veræ Regiæ Dignitatis, fidei, gratisſimæque indolis laudem, natum & factum Principem eſſe ſciamus, Nobis, ut verendum non fuerit, quin cumulatisſime poſtulationibus quibuscunque non minimum importunis ſit ſatisfacturus, ad voluntatem cujusque Noſtrum: tamen cum id a Nobis

poſtulat Excellentia Veſtra, volumus hunc nobilem Horatium Pallavicinum, Legatum Noſtrum, ad ipſum mittere, noſtro nomine expoſiturum ea, quæ certa ſibi cupit eſſe & indubitata, Veſtra Excellentia, ut quam primum, quid animi habeat Chriſtianiſſimus Rex, quidve faciendum ſibi judicabit, per hunc ipſum Legatum intelligat. Nos interea, quantum in Nobis erit (habita ratione ſumtuum, quos a profectione præfati Legati Noſtri in Germaniam ad defenſionem præfati Regis plus quam neceſſariam fecimus atque impendimus, facturas atque impenſuras Nos eſſe in dies ſingulos non eſt inveriſimile) in comparandis conferendisque iis rebus, quas uſus belli deſiderabit, delectibusque promovendis, non erimus negligentes, pro decreti inter Nos initi ratione, proque ea voluntate, qua tum Excellentiæ Veſtræ, tum reliquis Sacri Romani Imperii Principibus cupimus ſatisfacere. In qua Noſtra ſanctiſſima fide etiam atque etiam rogamus, ut Excellentia Veſtra conquieſcat, faciatque ad levamen & recrementum doloris Noſtri, quem ex Legati Noſtri ad Nos inopinato reditu ac re infecta concepimus, ut præſentis anni jactura in delectibus faciendis, in ſequentem reſarciatur, eo cum ſtudio, cura, ſollicitudine ac diligentia, ut in procinctu exercitus ſit, paratis rebus omnibus, quæ ad belli uſus videbuntur neceſſariæ, quamprimum, in quas neceſſe erit partes ducendus. Spectat enim quam maxime ad ſalutem & incolumitatem Regis, ne in hoc capite fallatur, expeditumque ac paratum ſuum militem habeat in agro prius, quam hoſtis. Nos

quod

quod ſupra & ſæpe per Legatum Noſtrum teſtatæ ſumus, prout oportunitates incident, bono publico non deerimus, in eam potiſſimum Regni Galliæ Defenſionem intentæ, quæ navalem opem deſiderabit. Ubi autem in præſenti re, paratiſſima cum voluntate conſilia opemque Noſtram cum Excellentia Veſtra, aliisque Sacri Romani Imperii Principibus conſociamus, ſic in quacunque cauſa, quæ ex honore cujusque noſtrum erit, pariter in futurum conjungemus. Quod ſupereſt officium & pietatem, quod ſuis literis Veſtra Excellentia Nobis defert & pollicetur, pergrate accipimus, parem officiorum viciſſitudinem Vobis relaturæ ad incrementum antiquæ benevolentiæ & amicitiæ, quæ Sereniſſimis Regibus prædeceſſoribus Noſtris cum Illuſtriſſima gente Veſtra interceſſit, quam diutiſſime florentem & incolumem Deus optimus maximus conſervet. Datæ e Regia Noſtra Guinaici die Menſis Julii decimo, Anno Domini 1590. Regni vero Noſtri XXXII.

Veſtra bona Conſanguinea

Eliſabetha Regina.

XXXI.

Literæ ELISABETHÆ, Angliæ Reginæ, ad CHRISTIANUM I. Principem Anhaltinum, quibus ipſi Legatum ſuum ex Gallia redeuntem, bonique publici ſtudium commendat, 1590.

Eizabetha, Dei gratia, Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, fidei defenſor &c. Illuſtriſſi-

ſtriſſimo Principi ac Domino Chriſtiano, eadem Dei gratia Principi Anhaltino, Comiti Aſcaniæ, Domino Serveſti & Bernburgi, Cognato & Amico noſtro Chariſſimo ſalutem.

Illuſtriſſime Princeps, Cognate & Amice Chariſſime.

UT Illuſtriſſimi Principis Ducis Saxoniæ Electoris petitioni ſatisfaciamus, mittimus nobilem nobis percharum, Horatium Pallavicinum, Equitem auratum, in Galliam ad Chriſtianiſſimum Regem, unde in Germaniam omni cum celeritate veniet. Eo appulſus, dedimus in mandatis, ut Veſtram Excell. inviſat, profectionis ſuæ in Galliam rationem ei redditurus. Interea ſignificandum vobis duximus, literas Veſtræ Eminentiæ ab ipſo nobis redditas, gratiſſimas fuiſſe, eá in opinione hærentibus, afflictas Reipubl. Chriſtianæ res, Veſtram perinde atque aliorum in Germania Principum opem, quam maxime deſiderare, in quarum favorem facere non poſſumus, quin vos rogemus, ut non niſi perfecta de re, ſi neceſſitas poſtulabit, Veſt. Excellentia acquieſcat. Quicquid in eam partem Ex. Veſt. præſtabit, perinde nobis gratum erit, atque quod eſt gratiſſimum, & quibus poſſumus meritis amplectemur. In eam ſententiam nonnulla adjecimus iis, quæ Chriſtianiſſimo Regi, per eundem Horatium communicanda cenſuimus, uti vobis teſtabitur fuſius, ubi in Germaniam ad vos veniet. Ad cætera quod attinet, ſtudiis & officiis ſuis honeſtis Veſt. Excellentia nos proſequetur, ut ſolet, uti quoque promittit: Intelliget autem,

Digitized by Google

tem, haud apud ingratam Principem se sua merita posuisse, neque Reipubl. Christianæ sua obsequia frustra detulisse. In qua verborum nostrorum fide Deum Optimum Maxim. precamur, ut Excell. Vest. in perpetuum protegat & conservet. Dat. e Regia nostra Grinvici die Mensis Julii 15. Anno Domini 1590. regni vero nostri tricesimo secundo.

Vestra Amantissima Cognata.

Elizabetta Regina.

XXXII.

Litera ELISABETHÆ, Regina Angliæ, ad CHRISTIANUM I. Principem Anhaltinum, quibus Horatio Pallavicino, suo ad Principes Germaniæ Protestantes Ablegato, fidem adhiberi, causamque Religionis promoveri rogat, 1590.

Elisabetha Dei Gratia Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Regina, Fidei Defensatrix &c. Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Christiano, Principi Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Domino Servesti ac Bernburgi, Consanguineo & Amico nostro charissimo salutem.

Illustrissime Princeps, & Consanguinee Charissime.

EX literis Vestris & Sermone Legati nostri, Domini Horatii Pallavicini Equitis probe cognovimus, quanto studio & cura Excellentia vestra negotium proxime præterita æstate propositum promoverit, de auxilio Regi Christianissimo e Germania mittendo, ad subjugandos rebelles ejus subditos & inimicorum impetus repellendos.

Qua

Qua de re, uti gratias immortales agimus, ita ab Excellentia Veſtra vehementer petimus, ut eidem D. Horatio Pallavicino Legato noſtro, de eisdem magnis & neceſſariis rebus a nobis in Germaniam nunc remiſſo, aures præbeat, eique mandata noſtra exponenti, & quantum ſpei in hac expeditione concipimus, declaranti, omnem fidem, tanquam nobismet ipſis, adhibeat: Tum etiam, ut omni auctoritate & gratia cum Illuſtriſſimo conſanguineo noſtro Electore Saxoniæ cæterisque Imperii Principibus Evangelium ſincere profitentibus contendat, ut hæc cauſa tam neceſſaria, & non ſolum Regno Galliæ, ſed omnibus, quæ undique per Europam ſunt, reformatis Eccleſiis utiliſſima ad exitum optatum perducatur. Quod (*ſicuti*) Excellentiam Veſtram pro ardenti ſuo in veram religionem zelo ac ſtudio libenter facturam ſumme nobis perſuaſum habemus: Ita Excellentiam Veſtram bene ſemper valere ex animo precamur. Dat. e Regia noſtra Civitate Londini die menſis Novembris 25. Anno Domini 1590. Regni vero noſtri 33.

Veſtra Amantiſſima Conſanguinea

Elizabetta Regina.

XXXIII.

Litera a CHRISTIANO I. *Saxonum Electore, ad* ELISABETHAM *Angliæ Reginam ſcripta, de ſuppetiis Galliæ Regi ferendis & ſumma ſubſidiorum promiſſorum ab ipſa complenda, agentes, 1591.*

Sere-

Digitized by Google

Serenisſima Regina.

ETſi benevolentiæ & amori ſingulari erga Nos Serenitatis Veſtræ Regiæ, ac præclarisſimis in Rempublicam meritis omnia jam antea debeamus: nova tamen hac legatione arctius Illi ad omnem gratitudinem obſtricti ſumus, cum ex ea ſtudium quoddam ſingulare atque præcipuum Ejusdem, Reipublicæ Chriſtianæ gravisſimis & extremis periculis, quibus undequaque circumfuſa videtur, eripiendæ, & Regis præſertim Regnique Gallici ad interitum laborantis omni ratione conſervandi eluceſcat. Quanti vero Literæ Serenitatis Veſtræ Regiæ 25. Novembris Londino datæ, apud Nos ponderis ſint, quibus Nobis Ejusdem Regis Regnique cauſam tam diligenter & accurate commendat, re ipſa potius, quam verbis teſtatam facere cupimus, hujusque animi ac voluntatis teſtem amplisſimum Legatum Veſtrum Dominum Horatium Palavicinum allegamus, & ut ſperamus effectus ipſos in omnium oculos incurrentes propediem habebimus. Etſi enim non ignoramus & gratiſſima memoria repetimus, quantos labores & ſumtus Serenitas Veſtra Regia hactenus ob bellum Gallicum ſuſtinuerit, tamen illud etiam expectamus, ut pro inſita animi ſui magnitudine & more perpetuo, communi cauſæ, ubi maxime eſt opus, ibi adeſſe præcipue omni ope ſua & auxilio eſſe velit. Nunc autem id Veſtræ Serenitatis Regiæ hortatu præcipue agitur, ut Chriſtianisſimo Regi juſta Equitum & peditum auxilia quamprimum ſubmittantur, quam ad rem cum ſponte ſua 75000. floreno-

florenorum Vestra Serenitas Regia quidem spem feciſſet, & nunc 50000. ſtatim repræſentanda benigne & liberaliter offerat, quin his reliqua mox ſumma acceſſura ſit, nihil dubitamus, præſertim ubi illa ex Legato ſuo, quomodo res ſe habeant in Germania hoc tempore, rectius intellexerit. Excuſationem enim ejusdem Legati ita accipimus, ut non negata pars ſummæ reliqua, ſed numeratio ejus tantiſper dilata eſſe videatur, dum Serenitas Veſtra Regia expeditionis hujus tam neceſſariæ initia videat, & ab aliis quoque rem ſerio geri animadvertat, quod brevi ita futurum ſperamus, ut conatus aliorum ad majora omnia præſtanda Veſtram Serenitatem, quamvis ad præclare agendum promptam & paratam, magis tamen ſemper incitet. Summo Illa quidem & oportuniſimo beneficio Regem Chriſtianiſimum tot nominibus jam ante ſibi devinctum, magis etiam in perpetuum obſtringet & exemplo ſuo alios, ut Ipſi quoque promiſſa faciant libentius & alacrius, impellet. Quodſi dubium Nobis ullum eſſe poſſet, Veſtram Serenitatem Regiam, quæ ſibi omni cura Regnum Galliæ tuendum ſemel conſtituit, ulla re tantæ gloriæ & laudi ſuæ defuturam, peteremus ab ea pluribus, ne vel ejusdem Regis Chriſtianiſſimi neceſſitati, vel juvandi illius occaſionibus, vel aliorum Principum expectationi deeſſe vellet, qui nulla re magis, quam promptiſima illius voluntate, ad expeditionem hanc, pro viribus adjuvandam, adducti ſunt. Sed ita Nobis eſt perſuaſum Serenitatem ipſius Regiam, quod magni & excelſi animi, qualem ipſa hactenus ſemper & quaſi proprium

prium oſtendit, opinionem & expectationem omnium, in eo Rege modis omnibus adjuvando ſuperaturam, qui Ipſi vicinitate proximus, religione & præſtantiſſimarum virtutum ſimilitudine & vinculo conjunctiſſimus, non aliam ob cauſam ab hoſtibus & rebellibus ſuis in extrema pericula Vitæ fortunarumque omnium conjectus eſt, quam quod Regnum divina providentia Sibi conceſſum, legibus divinis & humanis omnibus debitum, qua decet pietate, clementia, juſtitia conſervare & regere conatur. Nihil igitur aliud ſupereſt, quam ut, qui juſtæ cauſæ favemus, & in periculis amiciſſimi Regis diſcrimen Noſtrum aſpicimus, ac in celeritate omnia poſita eſſe animadvertimus, certatim ad hoc quaſi incendium Galliæ reſtinguendum accurramus. Nobis quidem quantæ curæ hoc negotium ſit, ex ampliſſimo Legato ſuo Serenitatem Veſtram, quam ex literis Noſtris intelligere malumus; ut & cætera omnia, quæ cum illo tractata, Epiſtolæ minus recte committuntur, qui cauſas etiam copioſius exponet, cur exiſtimemus, non tam Regi Chriſtianiſſimo quam Serenitati Veſtræ expedire, ut tantilla pecunia, quæ ad 75000. aureorum ſummam conficiendam deſideratur, non modo diutius non emaneat, ſed ad eam major etiam accesſio ad maturanda rectius auxilia fiat, Vale. Datæ Dresdæ 21. Februarii Anno 1591.

Chriſtianus Elector.

XXXIV.

Literæ CHRISTIANI I. Principis Anhaltini, ad ELISABETHAM Angliæ Reginam, quibus il-

lam certiorem reddit, quod in Galliam cum exercitu ſuo transeundi in procinctu ſit, eique curam exercitus, quo cæperat ardore, continuandam injungit, 1591.

LIcet Sereniſſima Regina, ex prioribus noſtris binis literis, Veſtra Majeſtas, cauſas quæ nos, ut curam Exercitus hujus Germanici pro Rege Galliarum Chriſtianiſſimo conſcribendi ducendiq; ſuſciperemus, impulerunt, quo item in loco res noſtræ verſentur, ſatis intelligere potuerit, non committendum tamen putavimus, quin in Angliam redeundi Majeſtatis Veſtræ Legato, Magnifico Domino Horatio Palavicino, hasce daremus, ut Veſtra Majeſtas, cujus potiſſimum autoritate moti, hoc munus ſeu potius onus humeris noſtris ſuſcepimus, Nos cum exercitu jam inſtructo, Rhenum propediem, Deo faciente, tranſituros ſciat: quod citius præ tot difficultatibus, quæ nos (niſi animo alacri tam juſte ſuſceptam cauſam nulla ratione nobis deſerendam animus firmus ſtetiſſet) pene obruiſſent, fieri præter ſpem noſtram non potuit. Optime tenet Veſtra Majeſtas, quænam ad hujusmodi Exercitum cogendum alendumque requirantur, & quinam belli nervus: novit quin etiam quam nonnullorum erogatio negotii hujus magnitudini parum reſpondeat. Fecit tamen noſtra in Majeſtatem Veſtram, poſt Deum, fiducia, ut res in hunc usque ſtatum deducta ſit, quam etiam obnixe rogatam volumus, ut quæ tam liberalem ſe hoc initio præbuit, eodem pede eademque benignitate pergere, & quod Majeſtatem Veſtram facturam omnino confidimus, de hoc exercitu tuendo, fo-

ven-

Digitized by Google

vendoque ſollicite cogitare dignetur. Quantum enim in eo hiſce temporibus ſitum, nemo non videt, Nos quod attinet, non laboribus, non diligentiæ, non vitæ denique noſtræ (ſi opus ſit) parcemus, ut inceptum opus feliciter perfici poſſet: Cui rei ut ſupremus ille ſoſpitator propitius eſſe velit, & Majeſtatem Veſtram Reipubl. Chriſtianæ, cui nata eſt, quam diutiſſime incolumem ſervare, ex animo precamur. Datæ in Caſtris prope Moguntiam 27. Julii Anno 1591.

XXXV.

Literæ fiduciariæ ſeu credentiales ab HENRICO Navarro Rege ad Principem Anhaltin. JOH. GEORGIUM I. pro Domino du Fresnes, ſuo ad Principes Germaniæ Proteſtantes ablegato, exaratæ, 1591.

Conſanguineo meo, Principi de Anhalt, Principi Sacri Romani Imperii.

MI Conſanguinee, magis ſtudioſum & gratum pignus ſtudioſi affectus & animi benevoli ex Domo Veſtra, ad commodum negotiorum meorum, quam Conſanguinei Fratris Veſtri Perſonam ipſam recipere, ſane non potui. Et præterquam quod ſit præditus excellentibus virtutibus, quæ magis commendatum eum reddunt, maximam mihi voluptatem exhibuit, atque plane ſatis mihi fecit in recte adminiſtratis rebus, quæ ad felicem auxiliarii exercitus, qui mihi inde ex Germania miſſus eſt, ductum pertinent, atque ſi unquam alias bonam de illo opinionem ante ipſius adventum concepi, certe multo magis nunc ea ex ipſius præſentia, cum ſumma animi mei expletione, mihi aũcta & pror-

ſus confirmata eſt. Unde ſicut ille mihi in dies argumenta & materiam ejus rei ſuppeditat, ita non intermittam ego omne id maturare & promovere, quod modo illi honorem, autoritatem & reputationem conciliare & conferre poſſit. Eaque cum nunquam non ſatis laudanda ſint, in æternum erga domum veſtram bonum retinebo animum in retribuendis illi omnibus amicitiæ officiis, quæ ex me proficiſci unquam poſſunt. Et quando ad dictam amicitiam, quam cum omnibus iſtis Principibus, qui experimentum mihi iſtius amoris, quo erga me affecti ſunt, ante hac præbuerunt, ſancte & ſincere colo, certiorem ea in re ſtabiliendam fecerim ordinarium meum apud Germanos Legatum, Dominum de Fresnes, in conſilio meo Regii Status Conſiliarium, eique id negotii conficiendum ſpeciatim commiſerim. Oro vos, utpote in iſto amiciſſimorum meorum numero imprimis comprehenſos, ut fidem & credentiam ei taliter habeatis, quaſi mihimet ipſi, ſi præſens eſſem, in omnibus occaſionibus, quæ ſe pro negotiis ſtatus mei præſentis offerre poſſunt, quorum reſpectu me ad totum illud, quod vobis mei cauſa explicabit, remitto, Deum precatus, Mi conſanguinee, ut vos in ſancta ſua cuſtodia habeat & conſervet. Scriptæ Sedani 20. Octobris Anno 1591.

Henricus.

XXXVI.

Litera fiduciariæ ab ELISABETHA Regina Angliæ ad Prīncipem Anhaltinum, JOHANNEM GEOR-

Digitized by Google

GEORGIUM I. Chriſtophoro Parthingio, ſuo ad Imperatorem Roman. Legato, datæ, 1593.

Eliſabetha Dei gratia Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Regina, Chriſtianæ fidei Defenſatrix. Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Johanni Georgio Principi Anhaltino, Comiti Aſcaniæ, Domino Serveſtæ ac Bernburgi, ſalutem ac rerum proſperrimarum optatiſſimum incrementum.

Illuſtriſsime Princeps, Conſanguinee Chariſsime.

ORatorem juſtiſſimis de cauſis ad Sacram Majeſtatem Cæſaream mittere hoc tempore decrevimus, nonnulla videlicet noſtro nomine tractaturum, quæ cum graviſſimis quibuſdam Sacri Imperii & noſtris pariter negotiis conjuncta videntur; neque vero ab Illuſtriſſima Celſitudine Veſtra quatenus Principis Sacri Imperii & locum & munus ampliſſimum ſuſtinet, aliena illa fuerint. Eandem igitur per Oratorem hunc noſtrum Chriſtophorum Parthingium compellare ſtatuimus, eidemque fidem in his, quæ noſtro nomine expoſiturus eſt, haberi cupimus; Ea vero cum ad communem Sacri Imperii Orbisque adeo Chriſtiani utilitatem, atque nobis certe optatiſſimam tranquillitatem pertineant, grata & accepta illuſtriſsimæ Celſitudini Veſtræ fore non dubitamus. Cui interim a Deo Optimo Maximo florentiſſima omnia ex animo precamur. Datæ e Regia noſtra

St. Jacobi 21. menſis Aprilis, Anno Domini 1593. Regni vero Noſtri triceſimo quinto

Veſtra Amantiſſima Conſanguinea

Elizabeth Regina.

XXXVII.

Principis Anhaltini JOH. GEORGII I. Literæ ad ELISABETHAM Angliæ Reginam, quibus a Parthingio ſibi, quæ in commiſſis habuerit, expoſita eſſe refert, ac rei communis ſuæque familiæ ſtudium & amorem, decenter commendat, 1593.

SEreniſſima & Potentiſſima Regina, Domina Clementiſſima. Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ literas, 21. ſuperioris menſis Aprilis datas, mihi nobilis vir, Dominus Chriſtophorus Parthingius, ultimo Julio reddidit: Et quæ in mandatis a Sereniſſima Regia Majeſtate Veſtra habuit, magna dexteritate explicavit. Ex cujus culta oratione & imprimis Regiæ Serenitatis Veſtræ Selectiſſimis & mihi acceptiſſimis literis, piam ſereniſſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ voluntatem, qua ea non tam erga domum noſtram Anhaltinam, quam potius ad totius orbis Chriſtiani proſperitatem, & Sacri Romani Imperii dignitatem ſartam tectam conſervandam affecta eſt, cum gratiarum actione, debita reverentia & maxima animi voluptate intellexi; Quamquam egregia ea voluntas, ex Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ rebus hactenus feliciter geſtis & toti Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimis, obſcura, aut mihi ignota eſſe non potuit. Quamobrem certo ſcio, Majeſtatem Veſtram, tam bonum animum de genere humano univerſo & imprimis Eccleſia Chri-

Digitized by Google

Chriſtiana bene merendi nunquam depoſituram, ſed in tuenda veritate, in procuranda & conſervanda tranquillitate publica, atque adeo in ſingulari erga me, & fratres meos chariſſimos, qui Sereniſſ. Regiæ Majeſtati Veſt. nos, ut ejusdem ſtudioſiſſimos ſubmiſſe commendamus, affectione conſtanter perſeveraturam.

Nec dubito, quin ipſamet Sacra Cæſ. Maj. & reliqui Imperii Ordines tam laudabiles Sereniſſ. Maj. Veſtræ actiones & ſalutaria conſilia, prorſus & ſumme approbaturi, & ſi occaſio dabitur, re ipſa animi gratitudinem ſint declaraturi. Ipſe cum dilectiſſimis fratribus nunquam patiemur, ut ullum ſervitii & officii ſancte & ſincere præſtandi genus erga Seren. Reg. Majeſtatem Veſt. in nobis deſiderari merito poſſit. Fuſius & latius credo prædictus Seren. Reg. Majeſtatis Veſt. Orator, animi noſtri ſenſum & reſponſum ad propoſitionem ab eo factam, Majeſtati Veſt. exponet.

Quod reſtat, Deum Opt. Max. ex animo precor, ut Seren. Reg. Maj. Veſtram ad illuſtrationem nominis ſui divini, ad amplificationem & defenſionem Eccleſiæ orthodoxæ afflictæ, & ad Reipublicæ Chriſtianæ ſtabilimentum quam diutiſſime florentem & incolumem conſervare velit. Dabantur Deſſavii 31. Jul. Anno Chriſti 1593. ſtyl. vet.

Serenisſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Addictiſſimus Conſanguineus

Johannes Georgius, Princeps in Anhalt, Comes Aſcaniæ, Dominus Serveſtæ & Bernburgi.

Digitized by Google

XXXVIII.

Literæ HENRICI IV. Galliæ Regis, ad CLEMENTEM VIII. Pontificem Romanum, nuntiantes, quod catholicæ Religionis Sacra ſit amplexus, 1593.

SAnctiſſime Pater, cum Dei inſtinctu, ut ei placuit, cognoverim, Eccleſiam Catholicam, Apoſtolicam Romanam, veram eſſe Eccleſiam, plenam veritatis, in qùa repoſita eſt hominum ſalus, & confirmatus ſim in hac religione & fide, doctrina Prælatorum & Doctorum S. Facultatis Theologicæ, quos eo fine congregavi, ut mihi ea dubia ſolverent, quæ hactenus tenuerunt me ab ea ſeparatum; ſtatui me cum hac S. Eccleſia unire, deliberans in ea vivere & mori, auxilio ejus, qui me præ benignitate ſua compellavit. Ac ut bonum opus auſpicer, quod mihi licuit, per Prælatos inſtituto & ceremoniis, quas indicarunt, neceſſariis rite imbuto, ſubmiſi me Dominico die ad 25. Julii, audivi miſſam, junxi preces meas cum precibus Catholicorum, ut membrum Eccleſiæ, cum decreto perſeverandi totius vitæ meæ ſpatio, deferendæque obedientiæ & honoris debiti Sanctitati Veſtræ & Sanctæ ſedi, more a Regibus Chriſtianiſſimis majoribus meis accepto. Et certo mihi perſuadens, Sanctiſſime Pater, quam Deus, in quo eſt, loco voluit conſtituere, Sanctitati Veſtræ ſanctam hanc actionem meam jucundam fore, volui, priusquam ample ſatisfaciam, quemadmodum diebus hisce poſt decrevi, hac de cauſſa ſolenni legatum mittere, virum magnæ dignitatis, paucis lineis autogra-

graphis teſtimonium exhibere pietatis meæ, ut filii erga Sanctitatem Veſtram; ſupplicans ex animo tenerrime, ut habeat acceptum & ita boni conſulat, ut a bono & ſincero corde procedit, cupidiſſimoque promerendæ ſanctæ benedictionis tuæ, actione mea. Hisce, ſanctiſſime Pater, rogo Deum, ut velit quam diutiſſime ſervare Sanctitatem Veſtram in continua ſanitate & felici gubernatione S. Eccleſiæ. Ad fanum S. Dionyſii 18. Auguſti 1593.

Veſter bonus & devotus Filius

Henricus.

XXXIX.

Litera SENATUS CIVITATIS WESALIENSIS ad Admiralium Arragoniæ, FRANCISCUM PRINCIPEM de MENDOZA, datæ, quibus precatur, ut ſibi literas ſalvi conductus gratioſe impertiri velit, quo munera, ipſi deſtinata, in caſtra ſecure poſſint transferri, 1598.

Illuſtriſſimo Principi ac D. D. Franciſco de Mendoza, Admiralio Arragoniæ, Marggraffio de Guadaleſta & de Jamayca, Commendatori de Vadepennas, Ordinis de Calatrava, potentiſſimi Hiſpaniarum Regis aulæ, ejusdemque conſiliariorum belli præfecto, Capitaneo generali equitum levioris armaturæ.

Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime.

OBſequiorum noſtrorum oblatione debita cum reverentia præmiſſa Illuſtriſſimæ Veſt. Celſitud. humillime celare nequimus. Etſi ab eotem-

pore, quo de ejusdem ad hunc Rheni tractum adventu audivimus, nihil magis in votis habuimus, quam ut erga Illuſtriſſ. Veſt. Celſ. propenſum noſtrum animum munere aliquo teſtatum faceremus; tamen propter itineris pericula nos hactenus impeditos fuiſſe ac etiamnum de præſenti impediri in comperto eſt. Quo melius autem, poſtpoſita mora, voti compotes reddamur, Illuſtr. Veſt. Celſ. rogamus, ut literas ſalvi Conductus gratia, equos cum plauſtris in caſtra mittendi & tuto huc redeundi, in meliori forma clementer nobis decernere, & per latorem præſentium transmitti mandare dignetur. Iſtam Illuſtriſſ. Veſt. Celſitud. gratiam humillimis noſtris officiis demereri ſtudebimus, eandemque, omnia proſpera ac felicia ſimulque precando, protectioni divina humillime commendamus. Datum 10. Septembr. Anno 1598.

Illuſtriſſ. Veſt. Celſ.

Humillimi

Conſules, Scabini & Senatores Civitatis Weſalienſis.

XL.

Reſponſoria Principis FRANCISCI de MENDOZA, Admiralii Arragonum, ad præinſertas SENATUS WESALIENSIS literas, 1598.

Magnificis ac ſpectabilibus Dominis Conſulibus, Scabinis & Senatoribus oppidi Weſalienſis, amicis noſtris.

MAgnifici & ſpectabiles Domini & amici, literas veſtras 10. hujus ad nos datas accepimus, quibus ſignificatis animi veſtri propenſionem & de-

Digitized by Google

desiderium vestrum nobis deferendi muneris, ac ob pericula pro equis ac plaustris, literas salvi conductus petere; quam quidem animi vestri promptitudinem nobis imprimis gratam esse testamur. Sed quia nostri instituti aut moris non est, habere rationem munerum, eaque de causa majorem vel minorem gerere curam, in obsequium & commodum amicorum, ac potius desiderare, ut omnes nobiscum pro temporis & rerum facultate, studium & operam suam impendant, & simul allaborent, quo tollantur occasiones & materiæ tot malorum & calamitatum, quibus Ecclesia & Respublica continuo dilaceratur & devastatur, & in præsentiarum etiam istæ preces nobis invitis adeo multis incommodis objiciuntur; quare cum in eo maximam partem bene merendi de Republica & in conciliandis amicitiæ nostræ vinculis consistere putamus, nullum munus nobis gratius offerri poterit, quam si intelligamus vos serio incumbere, in præscindendis causis malorum & redintegrandis iis partibus Reipublicæ & Ecclesiæ, quibus pristinis & superioribus temporibus, extra motus bellorum, tumultuum & seditionum in omni prosperitate & tranquillitate floruere. Quæ dum a vobis speramus, & reipsa explebuntur, satis munerum nobis a vobis deferetur, & in præsentiarum reliquum periculi in mittendis equis & plaustris excusare & parcere poteritis, ac desuper vos Deo commendatos optamus. Ex Orsoy 12. Sept. Anno 1598.

Vestrarum Magnific. Amicus paratus

Admiralius Arragonum.

XLI.

pore, quo de ejusdem ad hunc Rheni tractum adventu audivimus, nihil magis in votis habuimus, quam ut erga Illustriss. Vest. Cels. propensum nostrum animum munere aliquo testatum faceremus; tamen propter itineris pericula nos hactenus impeditos fuisse ac etiamnum de præsenti impediri in comperto est. Quo melius autem, postposita mora, voti compotes reddamur, Illustr. Vest. Cels. rogamus, ut literas salvi Conductus gratia, equos cum plaustris in castra mittendi & tuto huc redeundi, in meliori forma clementer nobis decernere, & per latorem præsentium transmitti mandare dignetur. Istam Illustriss. Vest. Celsitud. gratiam humillimis nostris officiis demereri studebimus, eandemque, omnia prospera ac felicia simulque precando, protectioni divina humillime commendamus. Datum 10. Septembr. Anno 1598.

Illustriss. Vest. Cels.

Humillimi

Consules, Scabini & Senatores
Civitatis Wesalienſis.

XL.

Responsoria Principis FRANCISCI de MENDOZA, Admiralii Arragonum, ad præinsertas SENATUS WESALIENSIS literas, 1598.

Magnificis ac spectabilibus Dominis Consulibus, Scabinis & Senatoribus oppidi Wesaliensis, amicis nostris.

MAgnifici & spectabiles Domini & amici, literas vestras 10. hujus ad nos datas accepimus, quibus significatis animi vestri propensionem & de-

Digitized by Google

desiderium vestrum nobis deferendi muneris, ac ob pericula pro equis ac plaustris, literas salvi conductus petere; quam quidem animi vestri promptitudinem nobis imprimis gratam esse testamur. Sed quia nostri instituti aut moris non est, habere rationem munerum, eaque de causa majorem vel minorem gerere curam, in obsequium & commodum amicorum, ac potius desiderare, ut omnes nobiscum pro temporis & rerum facultate, studium & operam suam impendant, & simul allaborent, quo tollantur occasiones & materiæ tot malorum & calamitatum, quibus Ecclesia & Respublica continuo dilaceratur & devastatur, & in præsentiarum etiam istæ preces nobis invitis adeo multis incommodis objiciuntur; quare cum in eo maximam partem bene merendi de Republica & in conciliandis amicitiæ nostræ vinculis consistere putamus, nullum munus nobis gratius offerri poterit, quam si intelligamus vos serio incumbere, in præscindendis causis malorum & redintegrandis iis partibus Reipublicæ & Ecclesiæ, quibus pristinis & superioribus temporibus, extra motus bellorum, tumultuum & seditionum in omni prosperitate & tranquillitate floruere. Quæ dum a vobis speramus, & reipsa explebuntur, satis munerum nobis a vobis deferetur, & in præsentiarum reliquum periculi in mittendis equis & plaustris excusare & parcere poteritis, ac desuper vos Deo commendatos optamus. Ex Orsoy 12. Sept. Anno 1598.

Vestrarum Magnific. Amicus paratus

Admiralius Arragonum.

XLI.

XLI.

Litera Episcopi Seccavienſis ad Comitem quendam S. R. Imperii, modum in reducendis ad Romanam Eccleſiam hæreticis, Carinthiæ obſervatum, exponentes, 1600.

Illuſtris ac Generoſe Domine, Domine charisſime & obſervande.

POſtquam pridie nativitatis B. Mariæ Virginis, ex Gamundia Carinthiæ ad Veſtram Illuſtrem Dominationem literas dedi, quibus ſignificavi, totam Styriam circa Religionem, Dei præpotentis beneficio, reformatam eſſe: ſequenti die ibidem in templo Parochiali Carinthiæ fecimus initium reformationis. Commiſſarii mihi adjuncti erant, Dn. Johannes, Comes de Ortenburg, Carinthiæ ſupremus Capitaneus; Hartmannus Zingel, ejusdem Provinciæ Vice-Dominus; D. Angelus Coſtede, Sereniſſimi Conſiliarius; & Joannes Chriſtophorus a Pranck, Guardiæ noſtræ Capitaneus. Eodem igitur plane modo, ſicut & Styria, Carinthia a nobis reformata eſt. Imprimis hæretica templa cum cœmeteriis, ſectariorumque Prædicantium ædibus ubique, partim arietibus, partim pulvere tormentario ſunt everſa. Prædicantes ubique ex provincia expulſi; Clericorum uxores putativæ, & concubinæ, ab eorum conſortio abactæ, illisque reditus ſub pœna proſcriptionis ex omnibus Provinciis interdictus. Omnes Catholicæ Eccleſiæ, quæ erant in hæreticorum poteſtate, ſunt recuperatæ, Catholicis Paſtoribus impoſitis. Omnes civitates, omnia oppida, omnes pagi diligenter reformati. Pertinaces

Digitized by Google

ces hæretici, ex omnibus ſuæ Serenitatis Provinciis proſcripti. In omnibus fere, maxime vero principalioribus locis, exhortationes a me ad populum, in tertiam & quartam usque horam habitæ. Communio ſub utraque ſpecie, & viva voce & per patentes literas (autoritate Apoſtolica a Domino Nuntio Apoſtolico, Epiſcopo Adrienſi, mihi conceſſa) a me ſublata. Inſuper literæ patentes, Archidiaconis, Gmindenſi, Friſacenſi, Gurcenſi, Lavacenſi, Aquilejenſi & nonnullis Prælatis datæ, ſalutaria continentes remedia, quibus reformatio maneat ſtabilita, & ad Eccleſiam reductis omnis occaſio ad vomitum redeundi ſit præciſa. Multa millia librorum hæreticorum publice in variis locis combuſta, quamplurima animarum millia ad ovile Chriſti, divina gratia, reducta. Et ſic tota Carinthia, ſpatio duorum menſium, integre reformata eſt, innumerabilibus hominibus de ſuo ad Eccleſiam reditu ſibimetipſis gratulantibus. Turbæ ruſticorum & Villacenſes ſunt quidem tumultuati: Attamen ipſorum furor non ita diu duravit. Civitas quoque Clagenfurth contra nos ſemper fuit in armis, tam diuque nos ab ingreſſu prohibuit, donec tandem per terribile Principis mandatum commota, reformationi ſe ſubjecerit. Itaque pridie S. Martini, vexillum 500. militum ex Clagenfurth in Civitatem Velckenmarckt eſt translatum, eodemque die omnes Sectarii Prædicantes ex eadem civitate diſceſſerunt. Quibus omnibus poſtquam Clagenfurthenſis civitas ita fuit evacuata, nos in feſto S. Martini, cum noſtro militum vexillo ingreſſi ſumus,

Digitized by Google

mus, tota in armis contra pactum posita civitate. Sequenti postea die, quæ erat Dominica, in templo parochiali ad populum, qui erat numerosissimus, exhortationem in quartam usque horam habui. Et postmodum hac rebelli civitate, more solito, in omnibus per triduum reformata, domum quisque discessimus. Reformationis & Carinthiacæ & Styriacæ acta forsan aliquando publicis typis committentur. Hæc quoque Commissio perquam feliciter & præter omnem expectationem (Deo sit laus) sine omni sanguinis effusione peracta, ita nostro Serenissimo placuit, ut inde plurimum ceperit voluptatis. Hæretici multa de rapinis nostrorum militum & de tyrannide, quam nos Commissarii in populum exercuissemus, sparserunt. Sed omnia ea, cum sint falsissima, & mendacia ac per se se evanescere soleant, nulla, pro innocentiæ nostræ declaratione, apologia opus erit. Hæc eo libentius ad V. Ill. Dominationem scripsi, cum existimem, hanc narrationem saltem aliquam illius doloris, quem Vestra Dominatio ob Canisam (proh dolor) turpiter amissam percepit, mitigationem fore. Raptim Græcii, die vigesima prima Novembris, Anno 1600.

XLII.

Literæ invitatoriæ a CAROLO EMANUELE I. Duce Sabaudiæ, ad CHRISTIANUM II. & JOHANNEM GEORGIUM, Electorem & Duces Saxoniæ scriptæ, quibus Ipsos, ut ex itinere in Italiam clanculum suscepto ad Aulam Sabaudicam divertant, amice compellat, 1601.

Sere-

Serenisſime Princeps, Elector & Domine Colendisſime.

LUx illa, quæ magnæ fortunæ Veſtræ comes, Sereniſſimas Celſitudinis Veſtræ & Fratris ſui, Perſonas nusquam gentium in obſcuro latere patitur, mihi ſubita de furtivo Eorum in Italiam adventu, tanto me repentinæ lætitiæ impetu perculit, ut ſtatim Magnificos Antonium Dominum Scarnafigii, Equitem Divi Mauritii, & Johannem Franciſcum Scaglionum, Nobis a Secretis, in varias partes, ad cæca eorum veſtigia legenda & exploranda dimiſerim, ſecuturus & perſecuturus e veſtigio, ubi primum certius aliquid hac de re ab altero eorum reſcivero. Lex profectionis Veſtræ & conſanguinitatis Noſtræ ita fert, ut Celſitudinibus Veſtris Italicum ſolum & cœlum peragrantibus, non ſolum ea provincia ſit inviſenda, quæ extremas Italiæ oras claudit, ſed etiam ea Familia hoſpitali adventu exhilaranda, quæ familiæ Veſtræ Columina in has terras dimiſſa, effuſo ſinu, & profuſo gaudio, generis ſui auctores, excipiet. Per ſacro ſancta ſanguinis pignora & ejus, quam religioſiſſime colitis, humanitatis jura Celſitudines Veſtras ſupplex cum novem Principum liberorum meorum & ſobrinorum Uviorum choro adjuro, ut vel felices greſſus ad hæc limina dirigatis, vel mihi ad Eas provolandi breviſſimam moram indulgeatis. Nullum habet fortuna Veſtra quod poſſit, nullum benignitas Veſtra quod velit beneficium gravius gratiusque huic fami-

familiæ conferre : quæ hujusce voti compos facta, diem illum, qui tantæ lætitiæ auſpex illuxerit, tanquam gentis ſuæ natalem, anniverſario cultu conſecrabit. Dabantur Auguſtæ Taurinorum 7. Idus Maji, 1601.

XLIII.

Litera invitatoria, a CAROLO EMANUELE I. Sabaudiæ Duce, ad CHRISTIANUM II. Electorem Saxoniæ, in itinere, quod Italiæ luſtrandæ cauſa ingreſſus erat, agrotantem, exaratæ, quibus Ipſi transmiſſum a ſe Medicum & medicinam, ſuique ipſius viſitationem, quamprimum per valetudinem liceret, commendat, 1601.

Sereniſsime Princeps, Domine & Agnate Colendiſsime.

NEque morbi ægritudo, neque ſanguinis neceſſitudo ullam diu ſimulationis artem moramque poſſunt admittere; quo minus ſtatim vim ſuam eo clarius promant & proferant, quo violentius clauſas abditasque cohibere ſtudemus: Italia ita aurita & oculata eſt, ut cum in ea nihil diu latere poſſit, Latii nomen amiſerit, clariſſimæque ſpeculæ & ſpeculi ad res omnes explorandas penitusque introſpiciendas promeruerit. Quin etiam Saxonicæ Majeſtatis ſplendor ita ſuam in regio Celſitudinis Veſtræ aſpectu totiusque corporis habitu claritatem effundit, ut nullo artificii fuco, nullis latebris tenebrisque obrui posſit. Quamobrem cum indicio ſuo & judicio Noſtro, & publi-

publico ipſius famæ teſtimonio, quæ eam e ſui Imperii limine pedem efferentem ſecuta, & in hunc usque locum proſecuta eſt, Celſitudinem ſuam proditam & manifeſtam habeamus, Magnificum Curſorem Noſtrum Generalem ad Eam mittimus, ut Ei Noſtro nomine exhibeat lapillum Bezoar lectiſſimum & alia præſentanea remedia, & medicum e cubiculariis Noſtris præſtantiſſimum, eundemque ex intimis Secretariis Noſtris, qui lapſa æſtate cœca per Italiam veſtigia Celſitudinis Veſtræ legerat. Ego vero Celſitudinem Veſtram per graviſſimas conjecturas læſæ & depreſſæ Majeſtatis ſuæ crimine convictam, quam maxime enixis precibus oro & obſecro, ut hanc aſſumtam perſonam deponere velit & Ipſam Mihi Saxonici Nominis cultori religioſiſſimo oſtendere & oſtentare, omni ſimulationis amoto velo; quod antiquisſimæ neceſſitudinis Noſtræ candor ultro rejicit, ut obvius factus, Eam in iſtam regionem, Saxonicum aerem, mores, obſervantiam & benevolentiam ſpirantem, valeam deducere: Cui gloriam & felicitatem valetudinis autori generis ſuæ reſtitutæ debitam & cœlitus promiſſam eſſe auguror. Auguſtæ Taurinorum 13. Octobris, 1601.

XLIV.

Litera CAROLI EMANUELIS I. Ducis Sabaudiæ, ad CHRISTIANUM II. Electorem Saxoniæ, cui pro exoptata aulæ ſuæ viſitatione gratias agit, & iter paucorum dierum a ſe ſuſcipiendum nuntiat, 1601.

Serenisſime Princeps, Domine & Agnate Colendisſime.

ACcipio & exoſculor hanc præclaram, qua jam pridem nihil magis in votis habui, humanitatis benevolentiæque ſuæ promiſſionem. Quam nunc demum intelligo non alio conſilio priorem legationem precesque meas excluſiſſe, niſi ut Eum graviori deſperatæ lætitiæ cumulo obrueret, quem longiore deſiderio languentem torſiſſet. Enimvero ei repulſæ, quam ſuperiore æſtate Secretarius meus eſt paſſus, ingentes gratias habeo, quæ fecit, ut ab eo, pro dilato beneficio, Celſitudo Veſtra veniam poſcat, a quo pro collato æternæ nexum obligationis repoſcere debeat. Perdifficile mihi erit tantos exæſtuantis lætitiæ fluctus continere: ſed ita Celſitudinis Veſtræ mandatis obſequar, ut Majeſtas Sua eo fiat omnibus obſcurior, quo Mihi humanitas Sua facta eſt clarior. Dum Me paucorum dierum itineri accingo, magnifico Baldo Baſſo, aulico meo, qui haſce meas Celſitudini Veſtræ exhibebit, præcepi, ut quotidie hoſpitis ſui limen obſervet; meque de invaleſcentium virium Suarum progreſſu in ſingula momenta faciat certiorem. Pro quarum pleniore & firmiore reſtitutione Deum interea nocturnis diurnisque precibus ſupplex fatigabo. Auguſtæ Taurinorum die 25. Octobris, 1601.

XLV.

Literæ CAROLI EMANUELIS I. Ducis Sabaudiæ, ad CHRISTIANUM II. Electorem Saxoniæ datæ, quibus Ipſi pro viſitatione Sui

Digitized by Google

Sui grates perſolvit, & Petrum Leonardum Roncaſſium illi in viæ ducem & comitem a ſe miſſum, exponit, 1601.

Sereniſſime Princeps, Domine & Cognate Colendiſſime.

HUmanitatis Suæ ingenium mirari nusquam deſinam, quæ ita ſe mediam inter maternæ obedientiæ & arctiſſimæ benevolentiæ cultum neceſſitudinemque compoſuit, ut, cum Celſitudo ſua matrinorum præceptorum autoritatem audierit, obſequentiſſimi ſtudioſiſſimique Agnati preces etiam exaudierit, æquisſimoque arbitrio ſuo deſiderium Iſtius, quod haud ſcio, an ulla alia explicandi occaſio ſit exoritura, illius obedientiæ, quam totius vitæ officia & obſequia poſſunt implere, prætulerit. Quod ſi vis ea fuit ſanguinis, qui longa temporum ſerie deferbuiſſe videbatur, ut Celſitudinem Veſtram Vercellas impelleret, majorem tum ejus vim futuram non inani ſpei augurio mihi polliceor, cum ex mutui aſpectus amplexusque calore iterum efferbuerit. Interea Magnificum admodum Petrum Leonardum Roncaſium, Dominum Caſti Argenti ad Eam præmitto, ut Ei ſit viæ dux fidisſimus & gratisſimus, qui mihi ab Intimis eſt ſecretis, & Serenisſimo Divo Auguſto, Avo ſuo, fuit acceptisſimus alumnus. Deumque optimum maximum precor, ut Celſitudinem ſuam perquam incolumem quam primum in extremis iſtius regionis oris ſiſtat, quæ pro Jure Imperii Dominiique ſui in omnes res meas, intra ejus intima penetralia recepta æquius fuit. Datæ in Monte Regali, die 5. Novembris, 1601.

XLVI.

Literæ, quibus JACOBUS I. *Angliæ Rex,* CHRISTIANO II. *Saxoniæ Electori, se bene valere, ac ei perpetuis amicitiæ & fraternæ necessitudinis vinculis adstrictum esse, refert,* 1604.

Jacobus Dei Gratia &c. &c.

CUm hasce literas ad Celsitudinem Vestram conscribimus, illud Nobis propositum est, ut una & eadem opera utrique Nostrum pariter gratificemur; Vobis, quia non dubitamus, quin cum valetudinis, tum benevolentiæ erga Vos Nostræ significatio Celsitudini Vestræ grata futura sit; Nobis itidem, quia eodem nuncio, qui istas perfert literas, redeunte Nos vicissim similem eamque exoptatissimam a Vobis significationem accepturi sumus. Itaque tametsi negotium quoddam a Nobis illi commissum est, cujus causa ad Imperatoriam Majestatem proficiscitur, tamen illi in mandatis dedimus, ut ad Celsitudinem Vestram diverteret, Nostrisque Verbis salutem plurimam Vobis nunciaret. Quod genus officii, si omnium Amicorum est commune, quanto magis inter Nos convenit exerceri, qui non vulgari quadam benevolentia, sed maximis tum amicitiæ, tum propinquitatis & fraternæ necessitudinis vinculis sumus adstricti, atque alias quidem, ut occasio feret, aliis de rebus scribendi argumentum capiemus; Nunc tantum, uti diximus, hasce literas benevolentiæ testes atque indices esse voluimus; Neque aliud restat, nisi ut Celsitudini Vestræ summam perpetuamque felicitatem exoptemus, atque istum famulum

Digitized by Google

mulum Noſtrum dilectum Andream Keysh, cum ad Nos redierit, jucundiſsimum de Veſtra valetudine rebusque proſperis nuncium allaturum ſperemus. Dabantur e Palatio Noſtro Weſtmonaſterii die 30. Januarii, 1604.

XLVII.

Literæ mutuæ benevolentiæ teſtes, a CAROLO EMANUELE I. Duce Sabaudiæ, Comiti Lucernæ, Legato Suo, ad AUGUSTUM, Principem Saxoniæ, datæ, 1600.

Sereniſſime Princeps, Conſanguinee & Domine Colendiſsime.

SAlve Serenisſime Auguſte, & hanc ab Eo nunc primum ſalutem accipe, qui Saxonicæ Virtutis indolem in his primordiis ætatis Tuæ exorientem & inclarescentem veneratur. Scio Saxonum Principum animis amorem erga Sabaudum familiam, quæ genus & decus omne ſuum a Veſtra metitur, innaſci, non inſeri debere. Naturales tamen igniculos Illuſtriſsimus Orator Meus Lucernæ Comes Meo & Principum liberorum meorum nomine excitabit, & perpetua obſervantia erga Celſitudinem Tuam Noſtra omnimodi officii & obſequii genere propagabit. Reſpice, Sereniſsime Princeps, Familiæ Tuæ in Sabauda Domo imaginem non decolorem, quæ gloriæ ſuæ lumen in tua ſuſcipit. Vale! Auguſtæ Taurinorum 24. Maji, 1604.

Digitized by Google

XLIIX.

Literæ credentiales D. Carolo Pauli a JOH. GEORGIO I. Principe Anhaltino, ad HENRICUM IV. Franciæ Regem traditæ, 1605.

Christianissime & Serenissime Rex, Consanguinee Charissime.

CUm apprecatione salutis, & continuæ felicitatis optatissimæ incrementi Serenitatem Vestram Regiam nolumus celare, quod ad eandem præsentem hunc, D. Carolum Pauli, Consiliarium nostrum dilectum & fidelem, misimus, eique in mandatis dedimus, ut Regiam Serenitatem Vestram in causa, quæ Illustrissimum Dominum Henricum de la Tour, Ducem Bullionarum, amicum, fratrem & affinem nostrum charissimum concernit, & ob quam alii itidem Electores, Principes & Ordines Sacri Romani Imperii, certos Ministros suos ablegarunt, una cum iisdem, mentis nostræ declarationem, debito modo exponat. Quare ut Regia Serenitas Vestra eundem cum aliis delegatis patienter audiat, illique, quasi nos ipsi coram essemus, plenam fidem habeat, atque se ad petita facilem atque exorabilem præbeat, etiam atque etiam majorem in modum oramus. Id tum nobis, tum omnibus aliis Sacri Romani Imperii Statibus, qui hanc legationem ad Serenitatem Regiam Vestram modo procurarunt, tam erit gratum, quam quod gratissimum. Et hujus maximi beneficii loco & intuitu, Regia Dignitas Vestra, apud bonos omnes, non vulgarem clementiæ & moderationis laudem obtinebit.

Digitized by Google

bit. Vicisſim pro virili ſtudebimus, ut omni officiorum genere, tantam nobis exhibitam gratiam Regiæ Serenitati Veſtræ recompenſare queamus. Deus Optimus Maximus, qui dat ſalutem Regibus, Serenitatem Veſtram Regiam incolumem & florentem in commune bonum conſervet & tueatur quam diutisſime. Dabantur Desſaviæ, Idibus Martii Juliani Anno 1605.

XLIX.

Commendatiæ a JACOBO I. Angliæ Rege, ad CHRISTIANUM II. Electorem Saxoniæ, Guilielmo Ritter datæ, 1605.

Jacobus Dei Gratia &c. &c.

NOn libenter ullam occaſionem elabi patimur, quæ Nobis obveniat, ut Noſtram erga Vos benevolentiam teſtificemur. Hoc enim poſtulat fraterna inter Nos neceſsitudo, ut ſtam propinquitatis & cognationis conjunctionem, mutuis officiis, quantum in Nobis eſt, magis magisque confirmemus. Itaque cum famulus hic Noſter Gulielmus Rytter, generoſus, fratrem Noſtrum charisſimum atque illuſtrisſimum eundemque Veſtrum, Udalricum Holſatiæ Ducem ad bellum contra Turcas ſequi conſtituerit, eoque proficiſcens, per ditionem Veſtram iter ſit facturus, illi in mandatis dedimus, ut Celſitudinem Veſtram Noſtro nomine inviſat, plurimaque ſalute Noſtris verbis impertiat. Utque non dubitamus, quin Vobis pergratum atque jucundum fuerit, cum ex illius ſermone atque ex hisce lite-

Digitized by Google

ris Nos optima valetudine rebusque secundissimis frui intelligetis, quod quidem divinæ benignitati animi gratissimi summa devotione acceptum referimus; ita Nobis non minori erit voluptati, si, quoties occasio dabitur, de Vestra salute vitæque prosperitate certiores facti simus, quam quidem Celsitudini Vestræ quam maxime diuturnam esse cupimus. Datæ e Palatio Nostro Westmonasterii die 26. Mensis Junii Anno Domini 1605.

L.

Literæ, quibus JACOBUS I. Angliæ Rex, CHRISTIANO II. Saxoniæ Electori, renunciat, Stephano Bogdano, Principi Moldaviæ, Electorales ad se datas commendatitias multum profuisse, Ipsique vicissim memoratum commendat Principem, 1607.

Jacobus Dei gratia. &c.

RECte judicavit Moldaviæ Princeps, Stephanus Bogdanus, quod Celsitudinis Vestræ literas ad Nos commendatitias sibi profuturas existimavit. Nam ut ea laus ad bonam existimationem acquirendam maxime conducit, quæ a Laudato viro proficiscitur, sic benevolentiam ac amorem alteri facillime conciliat, qui ipse plurimum diligitur. Quantum vero commendatio Vestra illi apud Nos profuerit, qua gratia, quove favore sit exceptus, quid denique illius sublevandi atque ornandi causa præstiterimus, ab ipso potius, quam a Nobis commemorari convenit. Cui quidem ita favemus & bene cupimus, ut discedentem jam a Nobis,

Digitized by Google

bis, Voſque iterum inviſere ſtatuentem Celſitudini Veſtræ vicisſim commendemus, ope & benignitate Veſtra, quoquo modo commode a Vobis fieri poſſit, juvandum; Nec ad eam rem opus eſt, ut pluribus verbis utamur, cum a Celſitudine Veſtra ad Nos commendatus acceſſerit. Sed ei libentius facimus, quod iſtud etiam benevolentiæ Noſtræ teſtimonium ſecum auferre cupiat, & aliquid porro eſſe videatur, in quo potisſimum a Celſitudine Veſtra ſublevari posſit. Quod reliquum eſt ſalutem & felicitatem Celſitudini Veſtræ optamus. Datæ e Regia Noſtra Hamptoniæ, die 25. Menſis Octobris 1607.

LI.

Literæ commendatitiæ a JACOBO I. Angliæ Rege, Jacobo Hill, ad CHRISTIANUM II. Saxoniæ Electorem, traditæ, 1609.

Jacobus Dei gratia &c. &c.

PErmultos eſſe, qui Celſitudini Veſtræ cupiant inſervire, non eſt mirum, quod nonnulli ad eam gratiam obtinendam, Noſtra uti commendatione velint. Quorum alterum dignitati pariter ac virtuti Veſtræ tribuendum eſt, quæ multos undiquaque ad ſe alliciunt atque invitant; alterum mutuæ inter Nos benevolentiæ, qua efficitur, ut qui a Nobis probantur & commendantur, Celſitudini Veſtræ ſe etiam gratiores fore confidant. Hac ſpe fretus haſce literas a Nobis impetravit vir iſte haud quaquam certe indignus vel noſtra commendatione vel gratia Veſtra, Jacobus Hill, qui, licet

in ditionibus Noſtris natus, magnam tamen anteactæ vitæ ſuæ partem in Suecia & finitimis Germaniæ locis transegit, ibique non exigua cum laude multis bellicis muneribus perfunctus, atque etiam e nobili ibidem familia uxore ducta, ſe ipſum tum affinitatis illius nomine, tum etiam rerum uſu & experientia commendatiorem reddidit. Sed quid plura de illo commemorari opus eſt? Iſtud ſatis ſit, huic jam propoſitum eſſe, in Germaniæ partibus illis Sueciæ vicinioribus reliquum vitæ curſum conficere, & Celſitudini Veſtræ ſtudium atque operam ſuam officioſe deferre, ut ſpem facere videatur eam vobis fore non inutilem, ea ſpe Nos etiam adductos eſſe, ut libentius haſce literas commendatitias illi ad Celſitudinem Veſtram daremus; Pergratum Nobis denique fore, ſi pariter illius operam Vobis uſui, atque illi eam quam expetit gratiam concedi intellexerimus. Deus optimus Maximus Celſitudinem Veſtram diutiſſime ſalvam & incolumem conſervet. Dabantur e Palatio Noſtro Weſtmonaſterii, die ultimo Menſis Aprilis Anno Domini 1609.

LII.

Litera CAROLI GONZAGÆ Ducis Nivernenſis, ad CONSILIARIOS ET STATUS JULIACENSES, &c. quibus, ſe verum & legitimum ditionum Juliacenſium &c. hæredem eſſe, exponit, eosque, ut juri ſuo faveant, blande compellat, 1609.

Caro-

Digitized by Google

Carolus Gonzaga Clivenſis, Dei Gratia Dux Nivernenſis & Rethellenſis. &c.

NObiles, Magnifici, ſincere dilecti. Superioribus diebus reditum parans ex Regia legatione in Galliam, certior factus fui in Italia, de obitu Sereniſſimi Ducis Cliviæ, Juliæ &c. conſanguinei mei, quem caſum ita graviter tuli, quod acerbius quicquam accidere non potuerit. Cum ergo propter negotia in Germania mihi occurrentia eo itinere nunc propius appulerim, quemadmodum D. Marchionem de Reinel ad Sereniſſimam viduam Dominam cognatam, Duciſſam Cliviæ, Juliæ &c. antehac eo nomine ex Italia præmiſi, ita intermittere nolui, quin officium iſtud condolendi per hunc noſtrum fidelem & nobilem D. Carolum de l'Orme, quem ad hoc ſpecialiter ablegavi, ex hac vicinia apud Dominationes veſtras etiam complerem, eosdemque admonerem, antiquæ in Domum Clivenſem legitimæ actionis, indubitatæque ex hoc caſu ſucceſſionis meæ, certum & perſuaſum habens, quod nollent mihi, qui unicus demum ex illa familia, & verus ac legitimus hæres cum nomine & armis remanſi, alium quenquam prælatum iri, promittens jus meum, uti incepi, apud Sacram Cæſaream Majeſtatem, cujus juſtitiæ me ſubmiſero, ſtatim ubi ad lares & archivum meum rediero, ſuper eo & accuratiſſime deducturum, & DD. Vras. omnesque ſubditos contra quoscunque indemnes ſervaturum, & eorundem injurias, totis meis ac meorum viribus, cum implo-

imploratione auxilii Christianissimi Regis, clementissimi Domini mei & avunculi, intrepide propulsaturum, prout circa hoc dictus Dominus Carolus de l'Orme defensionem oportunam offeret Dominationibus Vestris, qui me sibi gratiose addictum perpetuo invenient. Datum Confluentiæ, Die Nona Maji M. DC. IX.

Vester semper amicus Carolus Gonzaga Clivensis, Dux Nivernensis &c.

LIII.

Responsoriæ Consiliariorum & Statuum Juliacensium &c. ad præcedentes Ducis Nivernensis literas, 1609.

ILlustrissime Princeps, Domine gratiose. Illustrissimæ Celsi. Vestræ literas nona hujus Confluentia ad nos Consiliarios horum Ducatuum & Comitatuum datas, ejusdem Legatus nobilis Dominus Carolus de l'Orme hodie nobis obtulit, eorundemque tenorem viva voce exposuit. Agimus imprimis eidem Cels. Vræ., quas debemus gratias, quod dolorem suum, quem ex obitu Sereniſſimi Domini Ducis & Principis nostri clementissimi percipere se testatur, nobis tam gratiose significaverit, nobisque, quos dolor ille propius contingit, magisque premit, condolere voluerit. Cæterum de asserta antiqua Celsi. Vræ. contra Domum Clivensem legitima actione, ut nobis hactenus nihil solidi constitit, ita de illa aliquid asseverare aut credere nostrum non est, sed cum multo pro-

Digitized by Google

propiores prædicti Sereniſſimi Ducis noſtri cognati & hæredes exiſtant, quod Celſ. Veſtram, ut undique notorium latere non poteſt, optime fecerit, ſi aliquam actionem ſibi competere putabit, ut eandem adverſus tales ſuo loco & tempore civiliter intentet, & Juſtitiæ Imperialis (cui Celſ. V. ſe ſubmiſit) adminiſtrationem expectet, nec, ut ante quinquennium vivo ſupradicto Sereniſſimo Duce noſtro attentavit, armis quietem publicam, contra omnia jura & Conſtitutiones Imperiales turbare velit. Confidimus certe Chriſtianiſſimum Regem, prout hactenus Juſtitiæ amantiſſimum, pacisque undique conciliandæ, & nominatim in hiſce Provinciis tranquillitatis conſervandæ non dubiis argumentis ſtudioſiſſimum ſe oſtendit, qua de re ſuæ Majeſtati nos plurimum obligatos, volentes habentes profitemur, ita conſilium hoc magis probaturum, ſi Celſ. Vra jus, quod ſibi competere arbitratur, contra propinquiores hæredes & ſucceſſores, legitima via potius quam armis & prohibitis mediis proſequatur. Quod reliquum eſt Illuſtriſſimæ Celſ. Veſtræ noſtra obſequia, quantum licet & poſſumus, humilliſſime offerimus. Datum Düſſeldorpii 12. Maji, Anno 1609.

Illuſtr. Celſ. Veſtræ

Obſequentiſſimi

Juliæ, Cliviæ & Montium Comitatuumque Marchiæ & Ravensburgi Conſiliarii.

LIV. *Li-*

Digitized by Google

LIV.

Literæ CAROLI EMANUELIS I. *ad* JOHANNEM I. *Electorem Saxoniæ, quibus se Prædecessoris ejus mortem acerbe dolere profitetur, & felicia ipsi successionis auspicia gratulatur, 1611.*

Serenisſime Princeps Elector, Domine & Agnate colendisſime.

ENimvero ſuccumberet animus ægritudini ejus doloris, quem ex Sereniſſimi Electoris Chriſtiani, Domini mei colendiſſimi, immatura & improviſa morte contraxi; niſi eum comperta in me ſucceſſoris benevolentia erigeret & recrearet, ut Orator meus Baro Baſtiæ, ex Marchionibus Lullini, prætorianorum Equitum meorum Præfectus, & inter nobiliores Domeſticos meos intimus, Ei copioſius exponet. Non poterat tantæ cladi, niſi tanti ſucceſſoris adventus, remedium vel ſolatium ullum quisquam afferre. In cujus prudentia, conſilio, gravitate & humanitate prope divina, non ſolum deſiderium, quod moriens publice privatimque ſui reliquerat, conquieſcit: ſed omnium ſuſpiria reſpirant, & omnium ſtudia, vota & judicia certiſſimo maximæ expectationis augurio conſpirant. Ego, qui ſuperſtite Sereniſſimo Fratre Tuo, benevolentiam Celſitudinis Tuæ primo gradu voveo habeoque, atque illud viciſſim ab exploratæ mihi tuæ benignitatis indole contendo, ut tuum mihi & Principibus liberis meis amorem prorogare & fraternum repræſentare, atque ita duplici affectu, proprio & hæreditario, res Noſtras amanter intueri & potenter tueri velis, ne quid ego, vel ulli Saxo-

Digitized by Google

Saxonicæ Majeſtatis Clientes & cultores peracerbæ hujus mortis injuriam Sibi deceſſiſſe & depereiiſſe Celſitudine Tua ſuperſtite conquerantur, Quam Deus Optimus Maximus Nobis & terris Noſtris ſoſpitem & incolumem florentiſſimamque diutiſſime conſervet. Auguſtæ Taurinorum die 25. Septembris 1611.

LV.

Literæ CAROLI EMANUELIS I. Ducis Sabaudiæ, ad MAGDALENAM SIBYLLAM Electricem Saxoniæ, quibus ei de felici Mariti ſui, JOH. GEORGII I. ad Electoratum ſucceſſione gratulatur, & ut ejus luctum ſolatio ſuo temperet ac mutuum inter utrasque familias amorem magis magisq; confirmet, peramanter injungit, 1611.

Serenisſima Princeps, Electrix, Domina & conſanguinea colendisſima.

CUm ita a ſuperis comparatum ſit, ut luctum & mœſtitiam lætitia comes conſequatur, & ſemper adverſis & everſis rebus lux aliqua melioris eventus affulgeat: lubet Mihi Saxonicæ Familiæ, quam toto orbe terrarum diffuſam Serenisſimi Electoris Chriſtiani mors inopinata funeſtavit, novæ felicitatis incrementum augurari, & hujus mei augurii ſpem certisſimam colligere ex Tuæ Serenisſimi mariti in tantæ dignitatis faſtigium ſucceſſione. Qui non ſolum Saxonicorum Principum Majeſtatem redditurus eſt, ſed etiam ad veteres titulos nova elogia additurus, & cum ſingularis & pene incredibilis mea erga eum obſervantia in Cel-

Digitized by Google

Celſitudinem Tuam animi ejus conſciam & fortunæ ſociam neceſſario reflectatur : Orator meus Baſtiæ Baro ex Marchionibus Lullini inter nobiliores familiares meos intimus, & prætorianorum Equitum meorum Præfectus, nomine meo pluribus a Celſitudine Tua contendet, ut contractum ex Serenisſimi Chriſtiani morte dolorem exoriente mariti felicitate, tanquam in glorioſo rogo velit deponere, & pro ſua prudentia mariti lachrymas abſtergere, & me mariti ſui amantisſimum & obſervantisſimum inter Clientes ſuos reponere, reciprocamque benevolentiam gratiæ ſuæ ſpiritu & afflatu confovere : ſic enim prudentisſimorum & benignisſimorum ſuorum officiorum merito major omnium in eam veneratio inſurget. Auguſtæ Taurinorum die 25 Sept. 1611.

LVI.

Literæ CAROLI EMANUELIS I. Ducis Sabaudiæ, quibus ad JOH. GEORGIUM I. Saxonum Electorem, quod Ducem Nemorenſem in generum aſciverit, nuntiat, & negotia, apud Imperatorem per Oratorem ſuum tractanda, ipſius patrocinio commendat, 1611.

Serenisſime Princeps, Elector, Domine & Agnate colendisſime.

DUcem Nemorenſem in Generum aſcivi meum, ut eundem proxime affinem haberem, cum quo præter jura ſanguinis ſumma mihi animorum & ſtudiorum conſenſio ſemper intercesſit. Et quoniam filios cœco caſu gignimus & ſortimur, generos

Digitized by Google

tos certo consilio & judicio eligimus & consequimur, Orator meus, Baro Bastiæ ex Marchionibus Lullini hujusce mei consilii & judicii rationes Celsitudini Tuæ exponet. Quam ut familiæ & fortunæ Nostræ autorem & tutorem ambo agnoscimus & prædicamus, oratum volo, ut eundem generum meum & veteris agnationis & novæ hujus affinitatis necessitudine Saxonicos Principes attingentem, autoritatis suæ patrocinio & præsidio velit amplexari. Inciderunt gravissima negotia, quæ me resque meas magnopere premunt & urgent, consilio & auxilio Celsitudinis Tuæ apud Cæsarem pertractanda, quæ idem Orator meus Celsitudini Tuæ explicabit exponetque, quid res meæ ferant & postulent. Et quoniam magnanimitatis est prodesse velle, quantum possis, felicitatis vero, posse quantum velis, non dubito, quin & magnanimitatis & felicitatis Tuæ fructus sim degustaturus. Augustæ Taurinorum, die 25. Sept. 1611.

Celsitudinis Vestræ

propensissimus Agnatus & deditissimus servus

Carolus Emanuel, Dei gratia Dux Sabaudiæ, Chablasii, Augustæ & Gebenesii, S. R. Imperii Princeps, Vicariusque perpetuus, Marchio in Italia & Salutiarum, Princeps Pedemontium &c. &c.

LVII.

Litera a SIGISMUNDO III. *Rege Poloniæ, ad* ORDINES BOHEMIÆ *exaratæ, hortantes,*

ut ſeſe, rejectis turbulentis conſiliis, Cæſareæ Majeſtatis Imperio ſubjiciant, 1618.

Sigismundus Tertius Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livioni æque &c. Nec non Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarius Rex.

ILluſtres, Magnifici, Generoſi, Nobiles, grate nobis dilecti. Cum ex nuntiis famaque ipſa, tum ex literis Sac. Cæſ. Majeſtatis affinis & cognati, vicinique Noſtri charisſimi, non obſcure cognovimus de turbulentis in Bohemia rebus, & de tumultu, qui nuper a nonnullis, rerum novarum cupidis, eſt excitatus. Qui quidem perturbatus rerum ſtatus pro Noſtro erga Regnum iſtud, quod huic noſtro jam inde a majoribus & prædeceſſoribus noſtris conjunctum & vicinum, ſtudio, non potuit nos non commovere. Nec dubitamus iſtiusmodi turbarum atque ſeditionum autores, juſtas pro meritis pœnas, Deo immortali vindice, brevi exſoluturos. Cæterum nunquam rati ſumus, tam contumaces, tamq; rebelles erga ſacram Cæſaream Regiamque Majeſtatem fore Status atque Ordines Bohemiæ, ut non modo bellum contra legitimi Principis imperium ſuſcipere non dubitarent, ſed etiam paratam, cum ad ignoſcendum clementiam, tum & æquas rerum componendarum rationes (quod extremæ atque incredibilis eſt temeritatis) repudiarent & contemnerent. Summa ſiquidem laus ſubditorum integra conſtat erga magiſtratum fide ac obſervantia. Porro claſi-

cum

Digitized by Google

cum canere, monitis ac mandatis legitimi Magiſtratus reniti, fidosque & obſequentes ſubditos violare, quid eſt aliud, niſi publicæ pacis & tranquillitatis ſtudium perturbare, jura Majeſtatis, fideique & conſtantiæ nexus, penitus convellere; atque quod extremum eſt temeritatis & audaciæ ſignum, ipſi Deo reſiſtere velle? Proinde etiam atque etiam ſecum expendant ii, qui Cæſareæ atque Regiæ Majeſtatis refragantur imperio, Status & Ordines Bohemiæ, quid agant, quorſum conſilia conatusque ſuos dirigant, quantisve ſe totumque Regnum involvant difficultatibus. Nam ut ſunt graves & acerbæ violatæ Principum dignitatis injuriæ, ita graviori plerumque & acriori expiantur animadverſione. Quapropter eosdem Ordines atque Status Regni Bohemiæ amice hortamur, ut quantocyius ab armis nefariis diſcedant, benignitatique & clementiæ Sacræ Cæſareæ atque Regiæ Majeſtatis potius ſe permittant, eoque modo & ratione ſibi, commodis ſuis, patriæ, poſterisque conſulant. Cæterum mature hoc parandum, & nondum rebus ad extremum exulceratis hæc eſt urgenda occaſio. Sera enim delicti pœnitentia tollit clementiam, & acuit nonnunquam animadvertendi ſeveritatem. Hæc ad Ordines Bohemiæ pro Noſtro erga eos ſtudio ſcribenda eſſe exiſtimavimus, quæ & ſaluti eorum conducere, & imprimis ad pacem, cui maxime ſerviendum eſt, pertinere arbitramur. Quod ſi huic noſtræ benignæ monitioni locum non reliquerint, diſſimulare non poſſumus, nos pro antiquis pactis & fœderibus, quæ nobis cum ſacra Cæſarea Majeſtate in-

tercedunt, & quæ non ita pridem in Comitiis Posonienſibus utrinque renovata ſunt, pro mutua noſtra conjunctione, communique officio, tam Sacræ Cæſareæ, quam Regiæ Majeſtati, omnibus rebus & imprimis commodo opportunoque ſubſidio præſto futuros. Sin vero quod magis optamus, ſaniora conſilia hisce turbulentis commutaverint, noſtra quoque illis Regia gratia & benignitas benigne patebit. Quos, quod reliquum eſt, ſalvos incolumesque eſſe cupimus. Datæ Varſaviæ XVII. Sept. Anno M. DC. XVIII. Regnorum Noſtrorum Poloniæ XXXI. Sueciæ XXV.

LVIII.

Literæ reſponſoriæ ORDINUM BOHEMICORUM *ad præinſertas* SIGISMUNDI III. *Regis Poloniæ, adhortatorias, 1618.*

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine, Domine Clementiſſime Præmiſſis & oblatis noſtris, ea, quâ par eſt obſervantia, humilibus & paratis officiis, precamur Veſtræ Majeſtati, & toto inclyto Regno Poloniæ, omnia ſalutaria, tum ad hanc, tum ad alteram vitam nobis in Chriſto paratam, pertinentia.

LIteræ Majeſtatis Veſtræ Varſaviæ die XVII. Septembris datæ, nobis ſunt XXIX. ejusdem menſis redditæ. Quibus perlectis, cognovimus, Veſtram Majeſtatem de motibus in Bohemia non ſatis informatam eſſe. Neque mirum! Nam & ad Sacram Cæſaream Majeſtatem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, Sacri Romani Imperii Electores,

Digitized by Google

res, Principes, Provincias, Respublicas & Civitates, ita innocenter ab adverſariis noſtris delati ſumus, ut, niſi de rei ſtatu plenius a nobis edocti fuiſſent, facile nos non modo cupidos rerum novarum, ſed penitus contra magiſtratum noſtrum a Deo nobis datum inobedientes, contumaces, rebelles pronunciaturi, atque ita delatoribus iſtis aſſenſuri fuiſſent. Qui ſane delatores, quantum in ipſis eſſet, univerſum orbem Chriſtianum contra nos ad ruinandam chariſſimam patriam noſtram concitarent, commenti etiam quam plurima, quæ Ordinibus Regni nec in mentem quidem unquam venerunt: Idque eo fine, ut hoc Regnum Bohemiæ in nihilum redigi, ſancta concordia, per Diploma Cæſareum & pacta conventa inter Status ſub Una & ſub Utraque confirmata infringi, & libertates ac Privilegia noſtra tolli poſſent. Atque iſtud nefandum facinus meris artibus, nonnulli inquieti homines, ſuas potius res agentes, quam quieti Cæſareæ Majeſtatis & publico bono conſulentes, clam cudere veriti non ſunt. Quod ut Sacræ Cæſareæ Majeſtati, Domino noſtro Clementiſſimo, & univerſo orbi Chriſtiano innoteſceret, edidimus, pro eo tempore, publice Apologiam noſtram, quam non dubitamus ad Manus Veſtræ Majeſtatis perveniſſe. Scripſimus inſuper compluries ad Cæſaream Majeſtatem, ſumma cum demiſſione & ſubjectione petentes, ne Cæſarea Majeſtas fidem adhibeat iſtis delatoribus, qui nos ita inique apud Sacram Cæſaream Majeſtatem criminati ſunt, & adhuc criminare non deſinunt. Nos enim ſancte Deum & conſcientiam noſtram in teſtem vocare poſſumus, nihil

esse a Nobis contra Cæsaream Majestatem non modo susceptum, sed ne cogitatum quidem. Quæ autem turbatoribus pacis evenere, ea urgente inevitabili necessitate, tum certis de causis, uti ex Apologia nostra apparet, tum occultis, justis tamen Dei, veluti vindicis malarum machinationum, judiciis, a Statibus Regni facta esse: Nimirum, ut qui enormiter peccarunt, acriore animadversione punirentur: Si quidem sacrosancte sancita & inviolabilia, apud nos Regis & Statuum Regni Pacta violarunt, templa Evangelica alia solo æquarunt, alia occluserunt, in carceres viros pios conjecerunt, sententiam condemnatoriam contra innocentes Ordines Regni non auditos tulerunt Et quod gravissimum est, aditum omnem ad Cæsaream Majestatem conquerendi super his intercluserunt. Imo eo progressi sunt licentiæ, ut quævis contra Regni leges, nomine Regio, summo cum Majestatis ejus dispendio, libere patrarent. Unde nihil mirum, si zelo Dei tacti Ordines, in fervore suo quosdam ex his obstinatiores puniverunt. Quod vero Majestas Vestra & hoc in literis suis addit, nos a Cæsarea Majestate nobis oblatam & paratam eum ad ignoscendum clementiam, tum & æquas rerum componendarum rationes repudiasse & contempsisse, unice, & ea qua par est observantia, Vestram Majestatem humiliter oramus, ne talibus de nobis sparsis sermonibus fidem adhibeat: Quinimo certe credere dignetur, Ordines hujus Regni, submisse & humillime facta sui purgatione, Cæsareæ Majestati supplicasse, ut per interpositionem Electorum Sacri Romani Imperii,

origo

origo motuum cognoſci, mali Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarii a bonis dignoſci, & tandem publicæ tranquillitati, & pacatisſimo, felici atque diuturno Cæſareæ Majeſtatis Regimini (id quod omnes aſſiduis votis expetimus) conſuli poſſet. Super quibus, etſi ſpem conceperimus, fore, ut illa omnia, per dictam interpoſitionem Sacri Romani Imperii Electorum ad optatum finem perducerentur: obſtitit tâmen inquietorum hominum & malorum Conſiliariorum conceptum odium & propoſitum evertendi patriam, noſtram, quo ipſi in turbatis aquis commodius piſcari, vitæ & fortunis noſtris inhiare, atque ita ex ruina noſtra creſcere quirent. Unde ad hunc uſque diem non modo illa interpoſitio Electorum ſuſpenſa manet, ſed etiam hoc adverſarii noſtri agunt, ut ſub ſpe futuræ tractationis, nos ſecuros reddant, & interim charisſimam patriam noſtram, ingreſſi in eam cum hoſtili & magno exercitu, & ſubſecuturum majorem expectantes, armis & flammis devaſtent, & nec ſexui, nec ætati, nec ipſis infantibus parcentes, crudelitatem plus quam Scythicam exerceant: Ita ut nos patrocinio divino innixi, atque bonitati cauſæ confidentes, cogamur inevitabiliter, injuſtis & crudelibus inimicorûm armis, juſta noſtra arma opponere; ſic tamen ut pro felici, ſecura & diuturna pace, vota noſtra ad Deum fundamus, & Cæſareæ Majeſtati ſupplicemus: Prout Regia Veſtra Majeſtas ex copia literarum, quas ad Sacram Cæſaream Majeſtatem dedimus, adjecta cognoſcere, & criminationes obtrectatorum, ab hac vera noſtra informatione

dignoſcere poterit. Gratum autem nobis fuit legere & audire ea, quorum Veſtra Majeſtas in literis ſuis meminit; Nimirum, ſe pro ſuo jam inde a majoribus & prædeceſſoribus ſuis erga Regnum Bohemiæ ſtudio, non potuiſſe non commoveri hiſce in Bohemia motibus, adhortando Ordines, ut omnia ad pacem dirigant, & optando illis, ut ſalvi & incolumes ſint. Pro quo clementi & benevolo in nos affectu, Veſtræ Regiæ Majeſtati ſubmiſſe gratias agimus, oramusque, ut apud Cæſaream Majeſtatem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, pro nobis clementer intercedat, quo petitio noſtra finem optatum ſortiatur. Suadet hoc vicinitas Regni Bohemiæ cum Regno Poloniæ; ſuadet & una gentis origo, eadem lingua, antiqua mutui & conſtantis amoris & benevolentiæ utriusque gentis pacta; ſuadet pietas erga Deum; ſuadet denique amor erga Cæſaream Majeſtatem. Quo pacto fiet, ut nos ſub felici, pacato & diuturno Cæſareæ Majeſtatis regimine & paterna protectione, in pace quoque Deo & Cæſareæ Majeſtati, ſalvis noſtris privilegiis & immunitatibus, ſerviamus. Quod ſi adverſarii noſtri, inimici nimirum illi publicæ tranquillitatis & perturbatores, ſpreta dextra horum motuum & pacifica per Sacri Romani Imperii Electores interpoſitione & compoſitione, quam tantopere expetimus, non deſinent Cæſareæ Majeſtati ſuadere, ut ſicut ab aliis, ſic a Veſtra Regia Majeſtate, auxilia contra nos, Cæſarea Majeſtas petat: Confidimus, Veſtram Regiam Majeſtatem, cognita cauſæ noſtræ bonitate & æquitate, Cæſaream Majeſtatem ad Paternam

Digitized by Google

ternam harum rerum compoſitionem adhortaturam. Hiſce Veſtram Regiam Majeſtatem, cum potentiſſimo ipſius Regno, & Illuſtribus atque Inclytis Regni Poloniæ Ordinibus, tutelæ Dei, ſinceris ad Deum votis, commendamus, nec deſinimus de clementi Veſtræ Regiæ Majeſtatis erga Nos affectu optima quæque nobis polliceri. Datæ in Arce Pragenſi III. Octobr. Anno M. DC. XVIII.

Serenisſimam Regiam Majeſtatem Veſtram

humiliter

Venerantes

N. N. N. Directores & Conſiliarii a Statibus Regni Bohemiæ delecti.

LIX.

Literæ credentiales JACOBI I. Regis Angliæ ad JOH. CASIMIRUM Principem Anhaltinum, Jacobo Hajo, ſuo ad S. Rom. Imperii Vicarios Legato, traditæ, 1619.

Jacobus Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c. Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principi ac Domino, Domino Joanni Caſimiro, Principi Anhaltino, Comiti Aſcaniæ, Domino Serveſtæ & Bernburgi, Conſanguineo & amico noſtro chariſſimo, ſalutem & felicitatem.

Illuſtriſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

QUum ad Chriſtiani orbis tranquillitatem & Germanici Imperii ſtabilimentum, & religio-

Digitized by Google

nis, cujus communi fœdere tenemur, propagationem non leviter conducat, honeſtis conditionibus ſopiri bellum illud, quod in Bohemia ſuperiore anno concitatum, vicinas quoque regiones implicuit; Nobilem hunc & Illuſtrem Virum Jacobum Hajum, Doncaſtriæ Vice-Comitem, Conſanguineum & Conſiliarium & familiarem noſtrum ab interiore Cubiculo, quem eo præcipue nomine ad Sacri Romani Imperii Vicarios legatum miſimus, ad Veſtram quoque Celſitudinem & officii & conſilii cauſa voluimus accedere: ut, dicta noſtris verbis ſalute, ſuam operam, ſicubi ea opus eſſet, offerret, ſimul Veſtræ prudentiæ opem pro re nata & ea, qua valetis, totius controverſiæ notitia, expoſceret; quod non dubitamus, quin prompte & benevole præſtitura ſit Celſitudo Veſtra, memor ejus, quæ inter nos intercedit, neceſſitudinis; memor negotii ipſius, cujus transactio, qualiscunque demum ea futura eſt, non ſolos tangit Bohemos, ſed plerosque omnes Germaniæ Principes lætos aut ſollicitos habebit. Cætera intelligere erit ex ipſo Vice-Comite, cui eandem per omnia fidem haberi volumus, quæ nobis ipſis præſentibus deberetur: Deus optimus Maximus providentiæ ſuæ nutu hominum mentes ad ſana flectat conſilia, & Veſtram Celſitudinem quam diutiſſime ſoſpitem & florentem conſervet. Dat. e Palatio noſtro Weſtmonaſterii 30. Aprilis Anno 1619.

Celſitud. Veſtræ

Conſanguineus & Amicus

Jacobus R.

LX. *Li-*

LX.

Literæ FRIDERICI V. Electoris Palatini ad PHILIPPUM III. Regem Hiſpaniarum, quibus ſe a turbis & odio erga Domum Auſtriacam valde alienum, & pacis ac concordiæ amantiſſimum eſſe aſſerit, 1619.

LIteras Regiæ Veſtræ Dignitatis 23. Aprilis datas recte accepi, & ut ex iis ſollicitudinem ſuam de Sanct. Rom. Imperii incolumitate libens cognovi: ita vicisſim ſpero teſtes mihi futuros omnes, quicunque vitæ & inſtituti mei rationes norunt, de meo ardenti deſiderio, conſervandæ pacis publicæ & amoliendis omnibus ingruentibus turbis atque diſſidiis, meque unice laborare, ut pax & concordia conſervari, omnes cauſæ diſcordiarum reſcindi & aboleri poſſint, quemadmodum Jacobo Bruneo, quem Comes de Ognate Regiæ Dig. Veſt. Legatus, huc miſit, latius coram explicavi. Cæterum, uti mihi conſtat, majores meos in inclytam Domum Auſtriacam omni officio paratos perpetuo fuiſſe, ita non minori ſtudio feror, ad teſtificandum ipſi quavis occaſione promptam paratamque voluntatem meam, Regiam Veſt. Dignitatem Deo Opt. Max. devote commendans. Dat. Heidelberg. 10. Julii 1619.

LXI.

Litera Principis Tranſylvaniæ, GABRIELIS BETHEN, ad BOHEMIÆ DIRECTORES, quibus ſe ad auxilia Regno Bohemiæ ferenda, ac exercitum proxime in Moraviam deducendum paratum eſſe declarat, 1619.

ILluſtriſſimi Domini, Amici nobis obſervandiſſimi &c. Servitiorum noſtrorum commendatione præmiſſa: optandum ſane bonis omnibus videbatur, ut ſtatim a primo periclitationis rerum Bohemicarum initio, publica tam inclyti Regni calamitas, non niſi incertis iisque diverſiſſimis apud nos circumducta rumoribus, a vicinioribus rei Chriſtianæ ſtudioſis Principibus ac Dynaſtis, in eam vocata fuiſſet ſollicitudinem; qua nobis tanto locorum intervallo diſſitis, prius de complanationibus earum ſalutiferis, læta, quieta & pacata omnia, quam de injuriis invicem perpetratis innoteſcere potuiſſet. Sed cum ab eo temporis ſpatio, nec Regia Serenisſimi Domini Ferdinandi clementia, nec cura aliorum Principum tantum valuerit, ut tam noxium in Chriſtiana Republica incendium ullum vel repreſſionis, vel extinctionis modum invenire potuerit, quin exacerbatis indies utrinque hominum animis, longe lateque ſerpſiſſe, divagaſſe, majoresque ſibi vires eundo acquiſiviſſe, palam eſt. Unde in tanta rerum Chriſtianarum perturbatione & longe majorum hinc aſſurgendorum periculorum certisſima expectatione, utrum otioſos ſaltem ſpectatores nos eſſe, vel animum manumque curæ ac ſalutari ſollicitudine in medium adhibere debuiſſe convenerit? facile ſanorum omnium judicio ſubjicere licebit. Nam cum Patria hæc Regnumque Noſtrum in apice ac faucibus Turcarum conſtitutum ſit, qui in ſuis conſiliis, inſtar fluctuum vaſtisſimi maris, nunquam quieſcere, ſed ad minores qualescunque Chriſtianorum diſcordias arrectis animis intentisſime vigilare ſoleant,

leant, præſertim nunc, cum in Aſia Perſiaque res ſuas pacatas habeant, ſcientes nullum iſtorum in Europa motum ſine noſtro motu, nullum periculum ſine noſtro periculo verſari: ut & ipſis nocendi, & in Regna viciniora irrumpendi, occaſiones præcluderemus: & ſopitis quantocius Chriſtianorum diſſidiis, rem undique in majorem longe, quam hactenus ſecuritatem locaremus: Duo ſimul & ſemel nobis attentanda propoſueramus; Unum ut favorem voluntatemque Imperatoris Ottomannici ad parandam talem concordiam nobis redderemus devinctiſſimam: alterum, ut ſtatum ſimul & intentionem Veſtrarum Illuſt. Dominationum in noſque affectum haberemus quam exploratiſſimum. Igitur Deo præpotentiſſimo Duce & Conſultore, cum fatales utrinque occaſiones ita occurrerint, ut & de Illuſtr. Dn. Dn. Veſtrarum animi in nos propenſitate & alacritate, ex literis earundem die 14. præſentis Menſis certiores facti ſimus: Et ex Porta 17. ejusdem aſſenſum & favorem, ſupra quam ſperabamus, in conſervationem rei Chriſtianæ accepimus. Talibus jam jactis & præparatis fundamentis, quamtumvis nos multæ magnæque Domus Auſtriacæ, Romani Pontificis, aliorumque ipſis faventium autoritates & poteſtates a tali inſtituto deterrebant; vicit tamen zelus pro gloria Dei, vicit fides & pollicitatio a Veſt. Illuſtriſſimis D. D. proprio, & Ordinum nominibus per noſtrum Marcum Waiwodam allata, quam cum juſta veneratione amplectimur, omni mora & cunctatione poſtpoſita, in nomine Domini Dei Exercituum, itineri nos ſtatim accingemus, ac niſi

in

in Hungaria cauſæ morarum (quod nequaquam ſperamus) nobis objectæ fuerint, maximis conatibus menſe Septembr. ad fines Moraviæ contendemus. Interim Illuſtriſſimas Dn. Dn. Veſtras amanter & ſedulo monendas exiſtimantes, ne cum hoſtibus ullam belli aleam interea periclitari velint, ſed ſe ſuaque ſolummodo diligenter tutando, viribus integris adventum noſtrum omnino præſtolari ſtudeant; Spem firmam in Deo habentes, junctis animis, junctis conſiliis longe certiore facilioreque modo hoſtes a nobis depellendos fore. Quod ut pro voto noſtrorum omnium ac feliciſſime ſuccedat, Divinum Numen aſſidue ardenterque implorandum. De reliquis negotii circumſtantiis fideli Noſtro Nobili Stephano Hattwanii præſentium allatori oretenus etiam Veſtris Illuſtriſſimis Dominationibus referenda commiſimus. Quarum amori, ſinceritati & conſtantiæ nos, noſtraque omnia diligenter commendantes, easdem feliciter ac proſpere valere exoptamus. Datum in Civitate Noſtra Alba-Julia, die 18. Auguſti, Anno M. DC. XIX.

Illuſtriſſimarum Dominationum
Veſtrarum

Amicus benevolus ad ſerviendum
paratus

Gabriel Princeps.

LXII.

Literæ Intercessionales a PHILIPPO IV. Hiſpaniarum Rege, ad FERDINANDUM II. Rom.

Digitized by Google

Rom. Imperatorem, pro FRIDERICO *V. Comite ac Electore Palatino exaratæ, 1619.*

renisſime & Potentisſime Imperator, Domine frater, Conſanguinee & amice charisſime.

B initio eorum, quæ in Bohemia transacta ſunt, Serenisſimus Rex Magnæ Britanniæ cerem reddidit Regem, Dominum & Patrem eum (cujus anima ſit in gloria) Inſtantiæ, quam hibebat cum Comite Palatino genero ſuo, ut ilm a pernicioſis conatibus, quos poſtea executus , averteret, quodque ſemper, tanquam Princeps eo zeloſus boni publici, ſimile officium contio præſtiterit, deſiderans, ut re ipſa ad obedientiam ajeſtatis Veſtræ reduceretur. Nunc autem idem ex mihi ſcripſit, Comitem deſiderare gratiam Veæ Majeſtatis, inſtatque ut ad hoc dirigendum, uſam hanc & negotiorum ſuorum cum Majeſta- Veſtra compoſitionem adjuvem; ego vero proer bonam amicitiæ & conſanguinitatis correondentiam, quæ huic Coronæ cum eodem Reſemper intercesſit, exoptans, ut, quantum ad e ſpectaverit, continuetur, Majeſtati Veſtræ ſignicandum putavi, quod ſi Comes tanquam obediens aſallus & Conſanguineus ſeſe reduxerit ad voluntem & arbitrium Majeſtatis Veſtræ, magni faam, quod conſervato imprimis decore ſuæ dignitis & perſonæ, utatur, quacunque poterit, clementia & liberalitate erga Palatinum, reducendo ſum ad ſervitium ac gratiam ſuam Imperialem; tabitur hoc ipſo Majeſtas Veſtra ſingularem curam

Digitized by Google

ram & æſtimationem, quam domus noſtra habere debet cum perſona Regis, & conſiderationem rationi conſonam cum Filia & Nepotibus, eorumque proſperitate & quiete. Deus conſervet Majeſtatem Veſtram uti deſidero. Madriti 20. Junii, Anno 1621.

LXIII.

Litera Apologetica SENATUS RIGENSIS, ad SIGISMUNDUM III. Regem Poloniæ, poſt expugnationem urbis ſuæ, a Rege Sueciæ, GUSTAVO ADOLPHO, factam, ſcriptæ, 1621.

Sereniſsime ac Potentiſsime Princeps, Domine Clementiſsime;

Servitia & obſequia noſtra promtiſsimæ cum veneratione.

NOn dubitamus, Regiam Majeſtatem Veſtram auditione jam accepiſſe, ſummoque dolore affici, in eam fortunam nos fatali quadam rerum converſione deveniſſe, quam nec ipſamet Regia Majeſtas Veſtra unquam credidit, nec nos eventuram aliquando opinati ſumus: Sed Deus Regnorum & Imperiorum terminos conſtituit ac mutat, prout ei viſum fuit, nec humanæ ſagacitati datum eſt, reconditos divini myſterii receſſus perſcrutari, qualemcunque tandem duritiem vel iniquitatem præ ſe ferre videantur. Meminit Reg. Maj. Veſtra in proxime præteritis Generalibus Comitiis per Nuncios Noſtros tam publice quam privatim literis Noſtris frequentibus periculi magnitudinem a Sueciæ Regno nobis imminentem, nos

os humillime ac querula voce expoſuiſſe. A nonnullis ſane, rem & tempus prudenter penſi-ntibus, fides nobis habita fuit, a nonnullis vi-liſſim derogata, qui vel præoccupati animi affe-tione, vel ſiniſtra aliorum credulitate & opinione ducti fuerunt. Gaviſi tamen fuimus, quod Re-publica graviſſimo Turcico bello alibi implicata, Regia Majeſtas Veſtra partem aliquam ſollicitu-dinis ſuæ in miſeram Livoniam derivare ac perfi-cere dignata fuerit, ut Illuſtriſſimo Principi, Do-mino Radzivilo, Campiductori Magni Ducatus Lithuaniæ, cura tuendæ Livoniæ, publica autori-tate committeretur. Collegerat is mox copias aliquas, ut nobis relatum eſt, ſed quæ alio poſtea abductæ ſunt, quod non leves autores ſecuritatem Livoniæ, quocunque tandem animo pollicerentur. Deinde aures Regiæ Majeſtatis Veſtræ iteratis literis cum fatigaremus, reſponſum tulimus, Illuſtriſsimo Domino Palatino Vilnenſi hanc curam Livoniæ defendendæ incumbere: Quo audito haud parum turbati ſumus; quippe jam notum erat, eundem Dominum Palatinum, ad ſubeundas Generalis in Polonia Ducis vices, eſſe a Regia Majeſtate Veſtra in Podoliam evocatum. Cui graviſſimo oneri ſuſcipiendo, ut maxime ſuffecturus ſit, tamen Livoniæ curam eum vix in tanta rerum mole gerere poſſe, & jure fore excuſatum ſtatuimus: Poſtea iterum ad Illuſtriſſimum Dominum Campiducem remiſſi fuimus, cum bona pars temporis effluxiſſet, hoſtis vero noſter ſummo ſtudio ac diligentia ad rem conficiendam pergeret.

Quamobrem non deſtitimus deinceps quoque tam Regiam Majeſtatem Veſtram, quanquam maximis occupationibus diſtentam, quam ipſum Dominum Campiducem, orare, interpellare, obſecrare, ut qua fieri poſſit, ſumma celeritate, auxiliares copiæ cogerentur, ac in Livoniam mitterentur, facilem enim & expeditum, brevemque eſſe e Suecia in Livoniam tranſitum, qui a nemine præſentiri vel prænuntiari queat. Itaque operam dandam eſſe Domino Campiduci, ut prior poſſeſſionem campi adipiſcatur; ſic enim multis rebus potior futurus ſit, poſteriorem vero ut & bene inſtructus armatusque veniret, multis incommodis obnoxium fore. Quamvis autem Dominus Campidux ad ſummam diligentiam nihil reliquum feciſſe videatur, quo minus juſtum exercitum, & mature colligeret ac in Livoniam duceret: Tamen ab hoſte tum noſtro, diu bellum præparante, præventus fuit, qui claſſe ſua inſtructiſſima portum flumenque Dunæ mox occupavit, militemque in continentem expoſuit, ac poſt paucos dies, adventantibus reliquis copiis terreſtri itinere, in urbis conſpectum univerſus exercitus prodiit & caſtra metari cœpit, aggeres, foſſas, munitionesque plurimas, admirabili feſtinatione duxit & firmavit: Deinde grandioribus tormentis ſumma vi ac vehementia pinnas munitionum noſtrarum ita verberavit, ut vix conſiſtendi locus fuerit: Nihilominus animo impavido, quantum omnino per vires noſtras licuit, reſtitimus & vices reddidimus, ut non pauci in caſtris hoſtilibus ce-

cide-

ciderint. Sane non parva nos ſollicitudo curaque inceſſerat, quod trecentos tantum milites, licet ſummo ſtudio, in viciniori Germania ac Livonia conquiſitos, conducere potuimus. Nam Daniæ Rex, aliique Principes militem cogentes, & amplo ſtipendio allicientes, magno nobis impedimento fuerunt. In ipſa vero Livonia, armis virisque omnino exhauſta, fruſtra milites conquiſiti fuerunt. Huic tamen malo, ut quacunque ratione mederemur, Equitum Præfectos, Ceridonem & la Barre, qui Illuſtriſſimo Domino Zamoſcio Palatino operam obſtrinxerant, ſed ſero venturi erant, peculiari ſtipendio conduximus, ut arci in communi periculo præeſſent: Quæ res vires noſtras diſtraxit & labefactavit. Quamvis autem cives noſtri militesque mira animorum alacritate, quævis pericula ſubire non detrectaverint: Tamen ſingulis fere diebus, non paucos fortuna belli abſumpſit. Sed ſpes auxilii a Republica ferendi animos diu ſuſtentavit, præſertim cum Illuſtriſſimus Dominus Campiductor ultra Dunam conſpiciendum ſe præbuit, ac velitando hoſtiles ibidem copias aggreſſus fuit, quæ tamen vix duodecimam partem exercitus efficiunt, qui, ut ex certiſſimis autoribus didicimus, nonaginta novem vexilla peditum, equitum viginti & unum, in ſingula vexilla centum & quinquaginta viris computatis complectitur. Poſtea vero quam a dúabus ſeptimanis aliquotque diebus, ex quo Dominus Campiductor, unam tantum noctem moratus, receſſerat, nulla amplius ſpes ſuppetiarum affulſit, civitas autem arctiori indies obſidione

Digitized by Google

premeretur, numerus militum ad dimidiam partem imminueretur, civium quoque juvenum non pauci interiiſſent; non ita ex omnibus partibus hoſti occurri potuit, ut voluntas & neceſſitas noſtra requirebat. Igitur propius ad munimenta noſtra movens hoſtis, nocturno tempore ea ſuffodere, cuniculosque agere ita properavit, ut tribus in locis eos perfecerit, longumque in ſpatium, quatuordecim nimirum orgyarum diduxerit, ſuppoſitis viginti quatuor cadis pulvere nitrato repletis, jam jamque in aerem cum certiſſima ſuperſtantium pernicie vallum disjecturus erat, niſi fœminei ſexus & parvulorum miſericordia animum oppugnantis ſubiiſſet. Itaque omni humani auxilii reſpectu nobis præciſo, cum ne unus quidem de quingentis illis peditibus, quos Gedano ſubmiſſum iri, Regia Majeſtas Veſtra promiſerat, compareret, eſſetque res ad extremum adducta discrimen, habito cum Domino Caſtellano Venden, aliisque Nobilibus, tum Equitum Præfectis, Capitaneisque rei bellicæ peritis, conſilio, rem deſperatam eſſe, omnibus conclamantibus, in colloquium deſcendimus; pactique incolumitatem uxorum, liberorum, tum omnium jurium ac libertatum noſtrarum, in fidem ac ditionem Serenisſimi Regis, Guſtavi Adolphi, concesſimus. Qua in re admirabilem Victoris clementiam & lenitatem ſatis prædicare non poſſumus, qui ſumma moderatione animi hanc fortunam ſuam ſuperavit, ac nos vivere coegit; idque ſupplicantibus nobis benignisſime largitus eſt, ut, ſi intra triennii ſpatium, pax æquis conditionibus inter utrumque Re-

egem coiret, cum omni jure & libertate illibata ditionem Regiæ Majeſtatis Veſtræ redeundi nobis poteſtas ſit. Sancte coram Sacra Regia Maſtate Veſtra affirmamus, idem coram Dei juſtiſmi & omnium Angelorum facie, in ultima illa mundi disquiſitione teſtificaturi, paratiſſimos nos fuiſſe, una cum uxoribus & liberis, omnibusque fortunis, certiſſimam oppetere mortem, ſi illa vel laus, vel utilitas ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram & Rempublicam promanare potuiſſet; niſi quoque pietas erga Deum, & fidei noſtræ commiſſos, e tam crudeli facinore ac furore nos revocaſſet; quin & ipſam Regiam Majeſtatem Veſtram id improbaturam, perſuaſum nobis fuiſſet. Quorum autem culpa hoc Reipublicæ Polonæ detrimentum acciderit, Deus judicabit, qui omnium animorum occultos receſſus perſpicit. Dum autem facere coacti ſumus, quod divina humanaque jura, ac naturalis ratio, tum omnium gentium laudata exempla permittunt, quæſumus Regiam Majeſtatem Veſtram, non voluntati vel ulli culpæ noſtræ, ſed fatali cuidam ac immutabili rerum converſioni imputare dignetur: Quin ſumma ope in eam curam incumbat, ut omnis cauſa fundendi innoxii Chriſtiani ſanguinis in cœlum clamantis, e medio tollatur, pax firma tandem ſtabiliatur, vaſtationibus ac direptionibus finis imponatur, quiesque oppreſſis & defatigatis populis reſtituatur. Alioquin cœlum & terra teſtimonium contra injuſtos oppreſſores perhibebunt, & ira divina magis magisque incenſa, iisdem dolorem ſempiternum inuret.

Certe Livonia omnis, tantam Chriſtiani ſanguinis effuſionem nunc nauſeatac horret. Deus victoriarium autor Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ optatisſimum triumphum contra barbaras gentes largiatur, cujus gratiæ innocentiam noſtram commendamus. Datum Rigæ, die 20. Sept. Anno 1621.

LXIV.

Literæ ejusdem cum præcedentibus argumenti, a SENATU RIGENSI, poſt occupatam a Suecis Urbem, ad CHRISTOPHORUM PRINCIPEM RADZIVILIUM exaratæ, 1621.

Illuſtriſsime Princeps, Domine Gratioſisſime,

Obſequiorum noſtrorum promptitudinem debita cum obſervantia.

QUantas in difficultates graviſsimum hoc bellum, noſtram Civitatem, diuturnis calamitatibus jam antea concuſſam, conjecerit, Ipſamet Illuſtriſsima Celſitudo Veſtra jam antea, tam ex publica fama, quam ex crebris literis noſtris cognovit. Equidem memoria tenemus, in nuper præteritis Comitiis, apparatum hoſtilium armorum præſentientes, per nuncios noſtros, & Sacræ Regiæ Majeſtati, & univerſis Ordinibus, nos periculi magnitudinem ob oculos poſuiſſe, maturaque auxilia nobis ſubmitti, opemque ferri, prout Respublica tenetur, ac fides publica expoſcit, ſummis precibus oraſſe: Non enim eſſe in noſtra poteſtate, totius belli molem cervicibus noſtris ſuſcipere aut ſuſtinere, non eſſe prudentiæ, cum univerſi

verſi Sueciæ Regni viribus, noſtras imminutas & afflictas vires comparare, aut vana oſtentatione ſupra ſortem fortunarum noſtrarum, imbecillitatem ægræ civitatis extollere, id agentes, ne publica cura imminueretur, & noſtræ fortitudini onus graviſſimum permitteretur. Eandem quoque in ſententiam Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram multa dixiſſe & ſcripſiſſe non ignoramus: quo minus autem ſecundis auribus hæc omnia acciperentur, fatalis quidam torpor, aut præconcepta ex privatis opinionibus & ſiniſtris ſuggeſtionibus ſecuritas effeciſſe videtur. Quamvis autem ex publico Comitiorum decreto, Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ Livoniæ defendendæ partes, ut publica dignitas fidesque efflagitat, commiſſæ fuerint: Tamen poſtea neſcimus, quorum inſtinctu aut artificio, multa objecta fuerunt impedimenta, quo minus tam neceſſaria defenſio tempeſtive ſuſciperetur. Quamobrem non deſtitimus, frequentibus literis, aures Regiæ Majeſtatis & Procerum fatigare, ne tantum periculum negligerent, aut longe remotam enervatamque Provinciam Livoniam, incendio proximam, tempeſtivis ſubſidiis deſtituerent. Non defuit quidem Regiæ Majeſtati voluntas aut animus clementiſſimus, ſed, quod contra commune Comitiorum placitum ad Illuſtriſſimum Dominum Palatinum Vilnenſem rejecti fuerimus, qui Livoniæ defenſionem præſtiturus ſit, valde mirati & ſimul turbati ſumus, quod Dominum Palatinum ad totius Regni & Reipublicæ univerſæ tutelam, & ſupremi Ducis munus jam in Podoliam evocatum & deſignatum eſſe ſciremus. Interim non pa-

rum temporis pretioſiſſimi periit; cujus quidem jacturam nos ſummo cum dolore deploravimus. Itaque literis iterato ad Regiam Majeſtatem miſſis, hanc moram deprecati ſumus; tum demum reſponſum nobis fuit, Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ hanc Provinciam eſſe commiſſam. Ab eo tempore non quieviſſe Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram ſtatuimus, quin omnia, quæ tanti negotii magnitudo requirit, ſumma diligentia & celeritate paraſſe, ut in tempore rebus laborantibus ſuccurreret, ac muneris ſui dignitatem, ac Reipublicæ fidem tueretur, idque pluribus literis ſuis teſtatum fecit. Sane non mediocriter, hisce auditis, recreati fuimus; attamen temporis & rerum momenta ponderantes, ſolicitudinem noſtram de partis adverſæ mirifica vigilantia & celeritate omittere non potuimus, jam tum animo providentes, qui prior campi poſſeſſionem adeptus fuerit, eum multis modis fore potiorem, poſitisque ac firmatis ſemel caſtris, difficultates maximas alteri objecturum. Non inficias ibit Illuſtriſſima Celſitudo Veſtra, crebras in eam ſententiam nos literas ſcripſiſſe, quarum Exempla, ſi opus fuerit, bona fide publice ubique exhiberi ac recitari non abnuimus. Nunc plurimo labore ac moleſtia, militis conſcribendi & neceſſaria parandi diligentiam Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ conſtitiſſe, facile conjicimus, eo præſertim tempore, quo immaniſſimus Chriſtiani nominis hoſtis Turcarum Imperator, bello Regnum Poloniæ aggreſſurus erat, omnesque vicinæ regiones, armis virisque exhauſtæ, vix domeſtico ſuo ſubſidio ſufficerent. Interea, quod

valde

valde metuimus, classis Suecica instructissima portum nostrum occupavit, militem exposuit, exercitus reliquus una cum Serenissimo Sueciæ Rege, terrestri itinere Pernavia supervenit. Nec mora ubi locorum opportunitatem contemplatus fuit, castra & tentoria fixit, aggeres & munitiones circa Civitatem, cis ultraque Dunam extruxit, magnaque festinatione, quod valde mirandum est, omnes viarum aditus & itinera intercluſit, arctissimaque obsidione civitatem terra marique circumvallavit. Haud tamen ita animis consternati fuimus, ut non modis omnibus pro virium nostrarum mediocritate resisteremus: Et quamvis numerus conductorum militum supra trecentos non assurgeret, tamen promptissima civium & juvenum alacritas supplevit & summo conatu vim hostilem propulsavit. Cæterum singulis diebus, aliquot ex tam exiguo numero tum civium tum militum, violentissima & continua tormentorum verberatione fortiter ceciderunt: Spe tamen auxilii Reipublicæ animos sustentarunt; præsertim cum Illustrissima Celsitudo Vestra ante dies circiter novendecim ultra Dunam in conspectum hostis venisset, ac velitando eum provocasset. Verum enim vero cum præter opinionem Illustrissima Celsitudo Vestra, perspecta hostilis aggeris firmitudine, tum militis copia ibidem collocata, quæ tamen vix duodecima pars totius exercitus fuit, ab eo die succurrere nobis non potuerit: Civitas autem majori vi in dies, non tantum aperto Marte, sed clandestinis quoque cuniculis oppugnaretur, & pulvis nitratus in locis subtus aggerem & propugnacula nostra, circa por-

Digitized by Google

tam arenoſam poſitus & occultatus, certiſſimam ac inevitabilem perniciem nobis omnibus minitaretur, nobisque nulla ratione tanto periculo obviam ire liceret: habito cum Domino Caſtellano aliisque Nobilibus, tum Capitaneis & equitum præfectis, rei bellicæ peritis, conſilio, rem deſperatam eſſe animadvertimus: ac proinde in ipſo extremo periculi articulo, ut omnes jam tum fatebantur, & nunc, viſa adverſæ partis potentia ac horribili apparatu, ſine dubitatione affirmant, colloquendi veniam petiimus, eaque impetrata, certis conditionibus, in poteſtatem ac ditionem Sereniſſimi Sueciæ Regis, omnium conſenſu, juxta certæ formulæ præſcriptum, concesſimus, vitamque ac ſalutem omnium reliquorum civium, uxorum & liberorum, tum fortunas, admirabili ac perpetuo prædicanda victoris clementia, cujus animum Deus ipſe inclinavit, conſervavimus, id quod jure divino & humano, tum laudatis exemplis omnium gentium, conceſſum eſſe omnes ſana ratione præditi noverunt, ſatius habentes, fatali diſpoſitioni, cujus myſteria perſcrutari mortalibus non eſt datum, ceu vi majori cedere, ac meliori fortunæ nos Civitatemque, prudenter tam validum ictum declinando, reſervare, quam vana ac ſtolida ferocia, viriumque noſtrarum ignoratione, inſtar brutorum in cædem promiſcuam ruere, uxoresque ac parvulos innoxios, furentis militis libidini cædique proſtituere: ex qua re nulla laus nobis, nullum emolumentum Reipublicæ fuiſſet expectandum. Nunc divino beneficio, tum Sereniſſimi Sueciæ Regis, Domini noſtri Clementiſſimi, ſumma mo-

dera-

deratione Chriſtianum ſanguinem fundere abhorrentis, vivimus, & intuentes exercitus robur viginti millium virorum bene armatorum numerum ſuperans, tum cuniculorum tribus in locis ſtupendo opere factorum, qui univerſæ civitatis ruinam attraxiſſent, ſummis in cœlum laudibus efferimus clementiam Sereniſſimi Regis Guſtavi Adolphi, qui inſciis nobis ac minime credentibus, militis impetum, prædæ ac direptionis avidiſſimum, imperio ac ſapientia ſua cohibuit; alioquin ante dies aliquot extremam cladem ignorantes paſſi fuiſſemus. Nunc Illuſtriſſima Celſitudo Veſtra ſine animi paſſione aut affectione judicet, judicent omnes Chriſtiani Reges & Principes, num præter jus ac fas quicquam commiſerimus, quod cum cives noſtri continuis ſex fere ſeptimanarum diurnis ac nocturnis vigiliis, excubiis ac laboribus in reſtauranda munitione defuncti eſſent, militum vero pars dimidia ac non pauci civium juvenumque, jam bajulorum occubuiſſent, nobisque validiſſima hoſtilis impreſſio, diverſis in locis, tum ſubterraneum periculum, ubi viginti quatuor cadi pulveris pyrii, occultabantur, ob oculos verſaretur, ſuppetiarum ſpes nulla appareret, denique alia quoque neceſſaria nos deficerent, humanitatis quam crudelitatis majorem rationem habuerimus, ac certam victoris clementiam experiri quam interire maluerimus. Quanta animi magnitudine ac moderatione fortunam ſuam temperaverit victor, vel hinc apparet, quod ſubjectionis noſtræ pacto hanc conditionem apponi permiſerit, ut ſi interea pacis negotium æquis legibus tranſigi poſſet, eadem fide & integri-

gritate, qua nos ſuſcepit, ſalvis juribus & libertatibus nos e nexu ſuo dimittere ac redire ad priſtinum Dominum pateretur. Damnoſiſſima nobis fuit hæc obſidio, in qua ſupra quindecim millia globorum in civitatem ſunt miſſa, a noſtra quoque parte in principio pro virili reſponſum fuit: At poſtea, propugnaculis ſuperioribus violentia hoſtili deturbatis, ceſſare coacti ſumus. Igitur hoc ſolum ſupereſt, ut Illuſtriſſima Celſitudo Veſtra ſumma animi contentione, pro ſua autoritate, elaboret, ut funeſtiſſimo huic bello Livoniam conſumenti, Lithuaniæ ſimilem fortunam minitanti, invito quoque Rege, a Prudentiſſimis Ordinibus finis imponatur, Reipublicæ decus & exiſtimatio vindicetur, & oppreſſis per ſummam injuriam populis ac ſubditis fideliſſimis & innocentiſſimis, de quorum ſanguine luditur, pax & tranquillitas tandem reſtituatur. Hanc multis precibus ac votis continuis ſupra annos jam viginti oravimus, hanc etiamnum jure expoſcimus: Alioquin ad ſanctiſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti tribunal, in ultimo & æquiſſimo judicio eos ſumus accuſaturi, qui privatæ ſuæ cupiditati, gloriam Dei & Eccleſiæ ſalutem poſtpoſuerunt. Deum autem ſine pace nemo videbit. Hæc libero & ſoluto animo, nullo metu aut minis oppreſſo, ingenue ſcribimus, ut utraque fortuna animi noſtri firmitudinem probaremus. Deus Optimus Maximus, Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram ſalvam conſervet, ac Rempublicam Polonam contra immaniſimos Chriſtiani nominis hoſtes tueatur. Datum Rigæ 20. Sept. Anno 1621.

LXV.

Digitized by Google

LXV.

Litteræ CHRISTOPHORI PRINCIPIS RADZIVILII ad SENATUM RIGENSEM responsoriæ, 1621.

Chriſtophorus Radziwil, Dei gratia Dux Birzarum & Dubinkorum, Sacri Romani Imperii Princeps, Exercituum Magni Ducatus Lithuaniæ Dux.

Spectabili Senatui ac omnibus Ordinibus Civitatis Rigenſis ſalutem.

POſtea quam de deditione urbis veſtræ certis primum nunciis, deinde literarum veſtrarum ſignificatione accepi, equidem pro eo, ac par erat, graviter caſum hunc & acerbe tuli; non quod jacturam iſtam Sacræ Regiæ Majeſtati Domino noſtro clementiſſimo & Reipublicæ damnum aliquod irreparabile afferre exiſtimem, ſed quod vobis fortunisque veſtris fatalem quendam ac funeſtum diem præſentiſcere mihi videar. Non enim tam inhumanus ſum, ut humanis non ingemiſcam caſibus, nec tam durus, ut amicitiæ, quam vobiscum integre colui, obliviſci queam. Qualem itaque habueritis amicum hactenus, nunc tandem cum Sacræ Regiæ Majeſtati & Reipublicæ, eademque opera mihi quoque amici eſſe deſiiſtis, cognoſcite, & ſimul, quid de facto veſtro ſentire cogar, quidque Sacram Regiam Majeſtatem & Rempublicam de eo judicaturam putem, accipite. Urbem florentiſſimam omnique rerum & armorum copia inſtructam & abundantem, cum ſpes propinqui auxilii præſto eſſet, ultro hoſti tradidiſtis, obliti

nexus

nexus & ſacramenti, quo Regiæ Majeſtati & Reipublicæ obſtricti tenemini, nec memores, tam feſtinatum & præceps conſilium quis tandem maneat exitus. Quod enim deſtitutionem primum, deinde vim hoſtilem querimini, excuſationem hanc quonam pacto Sacræ Regiæ Majeſtati totique orbi ſitis approbaturi, vobismet ipſis reputandum relinquo. Ac primam quidem prætenſionem quod attinet, efflagitaſſe vos opem & auxilia Reipublicæ, verum & fatendum eſt; ſed nec id falſum aut diffitendum, opem & auxilia Reipublicæ in Comitiis Regni decreta, ac tandem ingruente bello ſubmiſſa vobis eſſe. Hic fortaſſis vel tarditatem, vel infirmitatem accuſabitis; ſit ſane aliqua in ferendo auxilio mora interjecta; idcircone vos a nobis publice deſertos, usque ad invidiam apud exteros jactabitis? cum auxilia, licet non ita, ut cupiebamus, mature, non tamen vicisſim ſic ſero venerint, quin præſentem calamitatem ſaltem ad paucos adhuc dies durando declinare in manu veſtra eſſet, ac tarditas iſta cuivis potius cauſæ, quam oblivioni & incuriæ veſtri periculi imputari deberet. Quicquid enim hic moræ fuit, totum id cum in hoſtem Commiſſarios noſtros in tractatibus ludentem, & ſub induciarum ſpe bellum integro triennio contra nos præparatum occultantem, rejici debet, tum in ſiniſtras ſuggeſtiones, quæ, ut ſcribitis, effecerunt, ne nos priores poſſeſſionem campi adepti fuerimus. Quodſi penes eos, qui infidam pacem ſuggeſſerunt, hæret crimen hujus tarditatis, quid cauſæ eſt, quo minus veſtra vos iſtius culpæ condemnet confeſſio, qui literis quibusdam veſtris pacis

Digitized by Google

cis futuræ ſpem facere, non dubitaſtis? Quid multis? veniſſe auxilia multos ante deditionem dies, diffiteri non poteſtis, cum ante vigeſimum diem cœptæ obſidionis exactum, ſigna noſtra volitare in veſtro ac hoſtis conſpectu videretis. Nempe noſtra vos paucitas animos deſpondere coegit? An vos fortunam belli numero bellatorum metimini, ac non potius præpotentis Dei patrocinio, qui meliori cauſæ deeſſe non ſolet? Quoties in eadem cauſa eundem hoſtem longe imparibus copiis congreſſi ſuperavimus? Exciderantne animis tot inclyta noſtrorum decora & victoriarum trophæa? quibus magnum illud numen teſtatum eſt, eſſe ſibi curæ inique ſuſcepti belli ultionem. Nec mihi deerat animus, per auſa & veſtigia majorum vadendi; dediſſet mihi, utinam, nuper ad ripam Dunæ pugnandi copiam hoſtis, cum etiam afflictam morbo & profligatam valetudinem meam, decernendi cupidus, in propulſationem periculi veſtri impendere non dubitarem. Sane longo jam poſt hominum memoriam tempore, Regiones iſtæ non niſi exigua manu contra numeroſos hoſtium exercitus defenſæ ſunt; ut mirari mihi ſubeat, potuiſſe vos hoc tempore numerum exercitus noſtri deſpicere, cum præſertim indies auctior fieret, & confluentes undique copiæ expectarentur. Paucitatem quoque conducti præſidii prætenditis; Id vero ſub admirationem venit, civitatem longo jam tempore præſentis belli præſciam, tam male de mercenario milite ſibi proſpexiſſe, cum tamen memoriam hominum nondum exceſſerat, tempore pacis longe majorem eorundem nu-

Digitized by Google

numerum intra mœnia ſua alere conſueviſſe: Quid? quod præter urbanam cohortem, equitum quoque præſidium a me conceſſum tuendæ urbi ſuperfuit. Sed præterea, itane maſculæ virtutis Riga inops fuit, ut etiam absque conducto milite vigiliis ac laboribus civium veſtrorum ultra exiguum menſis unius & octo dierum ſpatium defendi nequiverit? Miles ſtipendio adſtringitur; vobis vero pietas, vobis fides, vobis omnia divina humanaque jura in tanta præſertim plebis concordia & conſtantia, neceſsitatem durandi imponebant. An pauca præteriti præſentisque temporis habuiſtis urbium exempla, quæ in triſtisſimam conditionem & deploratisſimam fortunam (licet in cauſa haud juſta) ſeſe ultro dejicere, quam in fidem oppugnantis concedere maluerunt? Vobis vero quid defuit? An vos inopia Civitatis commeatu & annona non modo ad neceſſitatem, ſed etiam ad abundantiam inſtructiſſimæ terrebat? An de ſuppetiis Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis jam jam redituris deſperabitis? At literis meis per veſtros internuntios transmiſsis, teſtatum vobis feceram, me ab urbe recipiendarum reliquarum copiarum cauſa ſaltem ad caſtra digreſſum, ac interea minime otiatum fuiſſe, licet id in conſpectu veſtro non fieret. Quis animo ſuo præſentiſcere aut conjectura aſſequi poterat, vos nulla fracti animi ſignificatione data, interea dum redeunte morbo implicitus, jam jam ventura auxilia præſtolor, tam feſtinatam deditionem, me nullo modo præmonito, deproperaturos fuiſſe? Sed nimirum ruinam turrium ſuppoſito pulvere pyrio machinatam declinare voluiſtis.

Digitized by Google

luiſtis. Primine Rigenſes hoc genere oppugnationis ſunt petiti? aut nulla ex arte militari evitandi cuniculos ratio oſtendebatur, cum in affluentia promtisſimæ plebis foſſores deeſſe non poſſent? Denique cum tanta vos premeret neceſſitas, aut jam animos deſpondere inciperetis, grave videlicet aut factu nimis difficile fuit, me vix aliquot milliaribus ab urbe diſtantem impendentis diſcriminis commonefacere, qui dedecus hoc & decrementum Reipublicæ etiam capitis mei periculo, ſi qua forte ſineret cauſave Deusve, avertendum putaviſſem. Clementiam Victoris prædicatis. Hæc quidem homine & Principe Chriſtiano, ſi quæ alia virtus, maxime digna eſt. Sed ſi hæc vera ſunt, ut vera ex noſtratibus intelligo, ac ideo libenter ipſi licet hoſti laudem hac in parte tribuo, certe in iſtam clementiam deliquiſtis, ſiquidem vano terrori ac metui ante deditionem nimium indulſiſtis. Quantum dedecus, quæve culpa commiſſa ſit, videtis! Nunc quam miſer ſit futurus hic calamitoſus adeo præcipitis conſilii eventus, conſiderate. Ac neſcio ſane, an non perire ſemel expugnatis ſatius fuerit, quam lento veluti cruciatu confici, & cum ſempiterna nominis infamia, non uno letho interire? Riga enim, ut Suecis nunc, ita brevi noſtratibus expugnabilis erit. Sed Vos, o Rigenſes, qualem ſortem Civitati Veſtræ, ex quo caſtitatem & integritatem fidei ſuæ amiſit, tempora minitentur, videte. Taceo mala, quæ vos ab hoſtilibus præſidiis maneant, utut ſe prima initia dant, qui vobis Civitatis veſtræ munitiones, quas tam parvo negotio capi permittitis, nunquam ſi-

Digitized by Google

ne numeroſa militum cuſtodia concredent. Nam libertatem quidem verbis polliceri, quam re vobis incolumem præſtare proclivius erit, qua ſemel delibata florem ſuum utinam recuperare poſſit. Judicate, quantum de opibus veſtris decreſcat, mercatura Civitati adempta? Sed quid dico de opibus? Immo quam anguſtam ſortem extremamque pauperiem rationes veſtræ ſubituræ ſint, mature expendite. Quid vobis nunc veſtra in Rempublicam proſunt merita? Quid decantata fides & fortitudo? Si, cum maxime florere debebant, exaruerunt. Infelix & nefaſtus dies ille, quo primum ad tractatus allecti eſtis, vobis invidit, quo minus fiducia meritorum veſtrorum, jura & libertates veſtras apud Regiam Majeſtatem & Rempublicam longius proferre poſſetis. Bene cum iis actum video, qui pulcherrima morte damnoſam patriæ deditionem in iſta obſidione præverterunt: Melius cum iis, qui pro aris & focis ſtrenue dimicantes, ab omnibus tractatibus puros & immunes animos retinuerunt; optime cum illis, qui ſponteneum exilium amplecti, ac deſertis patriis laribus, clementiam Sacræ Regiæ Majeſtatis, & fidem Reipublicæ implorare conſtituerunt. Veſtra de pace obteſtatio ſatis eſt pathetica, ſed hoc tempore, permiſſis Marti habenis, vix aliquid ponderis habitura, niſi tota res in integrum reſtituta fuerit. Quis enim non vitio verteret Sacræ Regiæ Majeſtati & Reipublicæ, ſi tam enormem injuriam, quam nobis Barbarico bello intentis, hoſtis hic, nulla Chriſtiani ſanguinis ratione habita, intulit, negligeret? Ut ut tamen eſt, veſtrum eſt pacem opta-

optare, non vero nos ad eam, Rege invito, faciendam commonefacere: Apud nos enim, ut cuivis ordini, ita multo magis Magiſtratui a Deo nobis conceſſo ſua debet conſtare libertas & prærogativa, quam imperioſis contentionibus, in cauſa præſertim tam iniqua, violare fas non eſt. Quamvis autem Dei gratia ita comparatus ſum, ut æquitate cauſæ fretus, modo pugnam non detrectet neque defugiat hoſtis, de ſumma rerum decernere poſſim & audeam: Tamen ne a pacis conſiliis abhorrere videar, ſiquidem pars adverſa animum ſuum nobis candide declaret, pro ea, quam a Sacra Regia Majeſtate & Republica accepimus facultate, non parceremus labori, ut aliquid in ſalutem harum provinciarum confici poſſet. Hæc ſunt, quæ literis veſtris provocatus reſpondendum duxi, quæ quidem a vobis eo, quo a me ſcripta ſunt animo, acceptum iri confido, cum in his literis non hoſtem, ſed veterem veſtrum amicum egerim, plus condolentiæ quam iracundiæ, benevolæ commonefactioni, quam minacibus verbis, utpote ſalutis non exitii veſtri cupidus indulſerim. Non poſſum enim diſſimulare meum veſtri cauſa dolorem, cum non mœnia, non ædificia, non turres veſtras, ſed virtutum Rigenſium toties a me ſummo conatu defenſam & laudatam, concidiſſe, elanguiſſe, fractam, conculcatam, inſultationibus malevolorum, qui talia de vobis dudum ominantes, meum in vos affectum criminabantur, proſtitutam intelligam. Valete, priſtinos animos capeſſite, & Regiæ Majeſtati & Reipublicæ noſtræ de profligatis ante viginti ſeptem dies barbarorum quinquagin-

Digitized by Google

ta millibus, ac obtento in Wallachia campi Dominio, congratulamini. Datum ex Caſtris ad prædium Newgut, die 12. Octobris Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo.

LXVI.

Literæ MAXIMILIANI Ducis Bavariæ ad JOHANNEM DIGBIUM, Magnæ Britanniæ Regis Oratorem, quibus nihil amicitiæ & conſanguinitatis legibus contrarium, ſed obligationi & fidei ſuæ, Cæſari & Imperio debitis, ſatis ſe feciſſe, ac minime æquarum pacis conditionum abſtemium eſſe, declarat, 1621.

Illuſtriſſime Domine,

SUb noctem heri redditæ fuerunt nobis literæ Illuſt. Dom. Veſt. & ſimul relata, quæ per Conſiliarios Noſtros nobis exponi petiit. Ex quibus intentionem ac ſtudium pro reſtituenda firma pace, & medendis Imperii vulneribus, mandata Regia; & operam Ill. Dom. Veſt. Viennæ in obtinendis interea induciis præſtitam, ac quoad Mansfeldium præſtandam; nec non ſingularem Sereniſs. Regis Magnæ Britanniæ in Nos propenſionem, fuſius intelleximus. Optaſſemusque occaſionem loci & temporis ferre, ut Legatum Sereniſſ. Regis, Domini Conſanguinei noſtri chariſſimi, pro ea, qua decet, dignitate, & noſtra in eum devotione, excipere, & quæ exponenda habuit, audire licuiſſet; ſed id, quod eſt impedimento, Veſt. Illuſtriſſ. Dominatio ex dictis noſtris Conſiliariis ad eam miſſis percepit. Ac perſuaſum ſibi habeat, alioquin id fuiſſe nobis tam gratum, quam quod ſperemus poſthac, quæ intermiſ-

Digitized by Google

termiſſa ſunt, majori cum fœnore reſtitui poſſe. Cæterum ad propoſitionem ſuam deveniendo: Nos a principio turbulentisſimi hujus Status Bohemiæ, Hungariæ, reliquarumque Provinciarum Auſtriacarum publice & privatim officium fideliſſimi amici & conſanguinei egimus, pericula hæc prævidimus; pacem quietemque publicam, occupatione eorum, quæ alterius ſunt, non turbandam petivimus, & ſumus conteſtati, ac ingenti dolore vidimus. Videmus quoque quorundam inordinato deſiderio, Cæſ. Majeſtatis ejusdem Domum, Provincias, S. Rom. Imperium, & Nos ipſos, in deplorandum hunc ſtatum, extremumque quaſi præcipitium incidiſſe, probe noſcentes, *Quid Sanguini, Naturæ & Familiæ debeamus.* Sed in publica hac calamitate, ubi officium conſanguinei & amici veri ſine fructu proceſſit, *obſervandum quoque fuit, vinculum & obedientia, qua Supremo Noſtro Capiti, extreme periclitanti, eamque obedientiam a Nobis inſtantisſime efflagitanti, Natura, Legeque Divina & Humana, aſtringimur: Et citra injuriam, felonias ac alias Conſtitutionum pœnas, noſtro quamvis maximo labore, ſumptu ac incommodo, Jura Cæſaris & non Noſtra, præſtare erat neceſſe:* Ita tamen ut ſemper Naturalis inclinationis, Conſanguinitatis & Amicitiæ memores, Amicum, Conſanguineumque ab incepto deſiſtere, aliena reddere, ſeſe Clementisſimo Cæſari ſubmittere, ac extremam belli fortunam non tentandam eſſe, etiam ſub ipſo prælio Pragenſi fuerimus adhortati. Et cum ab illo tempore, ob Cæſaream Majeſtatem nobis incumberet, ut Bohemia tota Cæſari Regi & Domino

Digitized by Google

ſuo reſtitueretur, paxque alma tandem reviviſceret, unum hiſce partibus obſtitit, nempe Mansfeldius, primo ſub ſpecie defenſionis Palatinatus Superioris exiguo numero: poſtea vero pedetentim ad 20. millia in finibus Bohemiæ auctus; deinde in ipſam Bohemiam, & quidem in locum ad irrumpendum aptiſimum, omnique arte præſidio & inſtrumentis militaribus inſtructiſimum deductus. Ex quo irruptiones, ſpolia, deprædationes, in Bohemiam ipſam, & vicinas partes ſunt ſubſecutæ, Noſtris & aliis multa mala illata, ac exercitus noſter intra fines Bohemiæ, præter expectationem & præcedentes declarationes, invaſus; Et cum ex altera parte Marchio Jægerendorffenſis, cum Ungaris rebellibus, Bohemiam petere, ſeſe cum Mansfeldio conjungere, Nos undiquaque includere velle nitebatur, coacti fuimus magno incommodo copias noſtras augere, loca vicina munire, ac tandem contra hoſtem Cæſaris & ſui Regni procedere, & quidem ea via, quæ patuit (ordinaria præcluſa) per Palatinatum, in quo erat primaria ſedes & confluxus belli. Facile quidem judicandum erat, id ſine omni damno incolarum fieri non poſſe, maxime, ſi progreſſum noſtrum impedirent; a parte Mansfeldii ſtarent, in promovendo ejus commeatu, munitione, & aliis, non ceſſarent, & Nos de ſua devotione ad parendum Commiſſioni, Nobis a Cæſ. Majeſtate demandatæ, non rederent ſecuros. Ac proinde eos omnes ac ſingulos & in ſpecie Cives & milites Cambenſes, ſingulari ſtudio & declaratione noſtræ intentionis admonuimus, omnemque operam, ne quid inde illis

illis adverſi accideret, illis obtulimus. Sed præter opinionem, non ſolum æquiſima petita denegarunt, verum ipſi primi, antequam noſter exercitus in Palatinatum ingrederetur, incendio, & præda ablata, in noſtro territorio ſeſe hoſtes demonſtrarunt; magno (ut videbatur) præjudicio, quo ad progreſſum expeditionis contra dictum Mansfeldium, quem a fronte cum copiis maximis inſtructum, a tergo vero ſtatim primam haberemus inimicam Civitatem. Unde quod amice fieri debebat & potuit, armis coacti ſumus aſſequi. Meliusque longe ceſſiſſet res, ſi armis viſis ſeſe dediſſent, quam ſe & cives in apertum diſcrimen conjicere; militem noſtrum armis, injuriis, calumniisque, tam verbo quam facto laceſſere & pertinaciter defendere id, quod non erat conveniens, aut in eorum viribus, conati fuiſſent. Quodſi paruiſſent monitis & noſtræ juſtæ requiſitioni; Civitas hæc potuiſſet gaudere ac uti iis, quæ ex benigna intimatione Noſtra intellexit. Proinde, quod minus id factum ſit, non per nos ſtetit, ſed ipſi, quod inde ſecutum eſt, culpæ ſuæ imputare debent. In ipſo progreſſu noſtri exercitus, & inchoato jam opere, Sac. Cæſ. Majeſtas nobis quidem petitam ſuſpenſionem armorum ſignificavit, mentemque noſtram expetiit quidem: Sed illico revocare gradum, negotium ſuſpendere, nec erat integrum, nec poſsibile: maxime quod hæc ipſa ſuſpenſio fuerit principaliter ad Ser. Infantem Hiſpaniæ remiſſa: ac Nos, cum quibus opus erat, nondum rem communicaſſemus, Mansfeldius foret præ foribus: & cujus miles Landgraviatum

Luchtenberg jam antea deprædatus, facili negotio, paucisque horis, exercitum noſtrum ac Provinciam invadere potuiſſet: præſertim quod Veſt. Illuſt. Dom. nullam abſolutam poteſtatem in dictum Mansfeldium & Marchionem Jægerndorffenſem haberet, aut uti vellet; ſed firmatis indueiis, Reg. Dign. Magnæ Britanniæ, ad eas obſervandas Mansfeldium, revocata ab eo & Jægerndorffio per Generum poteſtate, primum inducturam, ſin nollet, demum hoſtem declaraturam. Nullo itaque modo conſultum erat, in Inducias, adeo inopinate & celeriter ſignificatas, conſentire, hoſte inſtructo ob oculos verſante, qui interea præſentiſſimam nobis nocendi occaſionem nanciſceretur; Nos revocato exercitu ſub figura ſuſpenſionis ex Anglia & Belgio, ſi Mansfeldius nollet, revocationem poteſtatis collatæ, vel ad actionem primam expectaremus proceſſum. Itaque nullo modo a pace & conditionibus æquis alieni fuimus. Sane putabatur ea multum promoveri, vel etiam ab eo tempore majori ex parte forte concludi potuiſſe. Si Veſt. Ill. Dom. dum a Cæſ. Majeſtate reconciliationem Palatini ante omnia urgeret, una etiam vel prius, conditiones pacis, ut ſua Maj. ſuaſit, adderet. Nec ſuſpenſionem denegandam cenſemus. Ubi prius juxta voluntatem Sac. Cæſ. Majeſtatis Votum Sereniſſ. Infantis Hiſpaniæ, & quid in inferioribus partibus rerum geratur audivero, nec non mens eorum, quorum intereſt, pateat. Res namque magni momenti aliquo deliberandi egent ſpatio. Sed & in effectu ipſa ſuſpenſio tantopere deſiderata & via ad pacem ſeſe offerre videtur, dum ob ſtipendia aliquot

quot annorum & menſium non ſoluta, & creſcente indies penuria, miles Mansfeldicus impatientiſſimus, ſublevationi proximus, noſtram opem implorat: Ut ſolutione certa ſumma pecuniarum, ejus inopiæ ſuccurramus, & Palatinatum hunc ab imminenti præſentiſſimo periculo deprædationis, devaſtationis, neve ibidem hybernet, eripiamus; & medio hoc, is miles ſine damno dimittatur. Quo ipſo Provincia hæc aliena ope ſalvaretur, & incommoda belli everterentur: Modo beneficium hoc agnoſcatur, & cœptum opus, in medio, per diverſa conſilia & conatus, non interrumpatur. Siquidem Palatinatus hic ſuperior, modo velit, ab omni injuria belli & hoſtilitate, ſecurus reddi, & pax quamprimum accelerari poteſt. Sed dubitare licet: An negotium hoc ſerio nobiſcum geratur? Et annon ab alio in præjudicium & noſtrum, & Cæſaris ſit excogitatum? Et miles Mansfeldicus, licentiæ nimiæ aſſuetus, ne ſine damno dimitti, facile alia conſilia capere, vel caput factionis tumultuantis ſibi conſtituere, urbes & loca fortiora occupare, novos motus & ſublevationes hiſce in partibus excitare queat? Ac pro moderno ſtatu Bohemia nondum ſecura eſſe poteſt. Interea Ungari rebellionem, excurſiones, direptiones, incendia, capturas, occiſiones, ad portas Viennenſes uſque; nec non Marchio Jægerndorffenſis, exercitum inimicum contra Cæſarem ducere continuat. Palatinatus inferioris Gubernator, Horatius Veer, Epiſcopatus Spirenſis loca hoſtiliter invaſit: eidem Dno. Epiſcopo, & Dn. Electori Moguntino bellum & hoſtilia denunciavit: Reliquis Catholicis vicinis ſimiles

invaſiones imminent. Nos in omnem eventum, quod e re publica & Cæſareæ Majeſtatis erit, attendimus & curamus. Nec tamen pacis ſalubris & jucundæ ratio difficilior reddatur, ſpe firma ſumus, ubi tam Regia Magnæ Britanniæ Dignitas, quam Illuſt. Dom. Veſt. rem omnem, principia & curſum, cum circumſtantiis, mature conſideraverint; reperturos ipſos, negotium longe alio modo ſe ſe habere; nec cauſam eſſe aliquam offenſionis, quam quæ a quibusdam imprimitur. Eidem Regiæ Dignitati officia grata exhibere, deferre, ſalutem publicam Imperii, ſatis convulſam, Pacemque æquam & juſtam curare, promovere, augere, ſtabilire, ſumus parati, quantum licet, convenit, noſtrarumque eſt virium & partium. Ac ideo nemo actiones noſtras, quarum rationes reddemus ſemper, male interpretabitur, aut offenſione ſiniſtra aliquid adverſi molietur. Alioquin intentiones optimæ diverti, majora pericula ac incommoda loco remedii inferri, ſalusque Publica impediri poſſent. Illuſt. Dom. Veſtram ejus præclari ſcimus eſſe judicii & prudentiæ, qua facile contraria moderabitur, magnumque ſibi conciliabit nomen. Rem porro nobis gratam faciet, dum Regiæ Dignitati Noſtrum propenſum ad ſerviendum animum teſtatum fecerit.

Et nos habet Veſt. Illuſtriſſ. Dominatio ad beneſaciendum promtos. Data ex Caſtris 27. Sept. a. 1621.

Illuſtriſſ. Veſt. Dominationi

ad gratificandum paratus amicus

Maximilianus,

Inſcriptio:
Ad Illuſtriſſ. Baronem, Johannem Digbyum.

LXVII. *Re-*

Digitized by Google

LXVII.

Responsoriæ Domini JOANNIS BARONIS DIGBII, ad præinsertas MAXIMILIANI, Ducis Bavariæ, Literas, 1621.

ACcepi literas a Celsitudine Vestra 27. Septembris ad me datas: proque summo illo favore, quo in iis immerentem me dignata fuit, gratias, quas possum cumulatissimas, submisse refero. Quod responsionem Celsitudinis Vestræ de induciis attinet, aliena certe fuit illa cum a voto tum ab expectatione mea: Magis autem alienum, quod accipio indies de impressione a Celsitudine Vestra in Palatinatum facta, ejusque incolis in obedientiam Vestram sacramenti religione adactis. Cæsarea quippe Majestas in se recepit, sancteque (ni fallor) promisit, durante hac cum Magnæ Britanniæ Rege, de pace ineunda, tractatione, ulteriorem se, pro Banni Imperialis executione in superiore Palatinatu, Commissionem non concessuram. Quantum autem ad priorem excusationem, in qua delegata Celsitudini Vestræ potestas asseritur, Mansfeldium, tanquam hostem publicum, aggrediendi, Bohemiam ab imminenti procella liberandi; illa dudum exolevit: cum hæc jam sit extra omnem periculi aleam, ille autem propositis conditionibus de deditione cogitet. Non est ergo, quod in malam partem accipiat Celsitudo Vestra, si hac in causa Cæsarem appellem, Vosque obnixe obtester, ne soli, Christiani orbis pacem copiis vestris difficilem redderetis; quæ tanti Principis conatibus facta, brevi revivisceret.

Digitized by Google

ſceret. Quantum ad clauſulam illam in literis, qua ſtatuit Celſit. Veſtra, Negotium hoc a me felicius promoveri potuiſſe, ſi propoſitionibus meis, Pacis etiam conditiones adjunxerim: dabit veniam Celſitudo Veſtra, ſi in ulteriorem (reſponſionem) illud adjiciam: Sæpius me ad hoc, cum Cæſarem, tum illius Conſiliarios, invitaſſe; illos autem ad Conventum Ratisbonæ indictum rejeciſſe, ubi communicanda prius conſilia cum iis Principibus, quorum hac in tempeſtate ope & auxilio uſi fuerant. Et quamvis ad eos magis proprie ſpectaverit, ſatisfactionem urgere, quam ad me afferre: Non detrectavi tamen ſæpius, in me recipere, Principem Palatinum Cæſaris voluntati in omnibus reſponſurum, quæ aut ad Cæſaris dignitatem, aut ad pacem ditionum ſuarum inſtaurandam, offenſosve Principum animos leniendos, conducerent. Reſtat ergo denuo roganda Celſitudo Veſtra, ut cœptum hoc opus non tantum non impedire, ſed & pro viribus promovere dignetur, operamque ſuam conferre, ad belli hujus civilis flammam, aliquantulum jam ſopitam, penitus reſtinguendam. Quæ ſi in incendium rurſus proruperit, merito non Germaniæ tantum, ſed & Univerſo Chriſtiano Orbi timenda erit. Extrema quippe pericula, conſilia plerumque ſuggerunt inexpectata & funeſta. Quod malum avertat Deus, Veſtræque Celſitudini in animum inducat, Chriſtiani Orbis & Imperii Paci, quæ jam Veſt. Celſit. eſt in manibus, conſulere, Deus Opt. Max. Celſ. Veſt. ſervet incolumem. Dat. Ratisb. die 1. Octobris, 1621.

LXIIX.

Digitized by Google

LXIIX.

Reſponſoria MAXIMILIANI, Ducis Bavariæ, ad proxime præcedentes, BARONIS DIGBII, reſponſorias, 1621.

Illuſtriſſime Domine.

REſponſorias Illuſtr. D. Veſtræ ad noſtras literas, 27. præteriti menſis Septembris ad eam ſcriptas, accepimus: Atque ex iis animadvertimus, plurimum ipſi, tam circa noſtræ expeditionis ſtatum, quam Cæſareæ Majeſtatis juſſa, & utriusque ſcopum, veræ ac genuinæ informationis deeſſe. Aſſerit enim, Nos impreſſionem in Superiorem Palatinatum feciſſe, & incolas in obedientiam noſtram ſacramenti religione adegiſſe. Norunt autem omnes, qui poſt ingreſſum noſtrum in dictum Palatinatum, vel vi militari adacti vel ultro ſeſe offerentes (quorum ſane major pars eſt) juramentum præſtiterunt, ſe nullatenus in obedientiam noſtram ſacramenti vinculo coactos, ſed ab ipſis petitum ac præſtitum fuiſſe, de non officiendo Nobis, nec de proficiendo adverſariis, juramentum; utpote non injuſtum, ſed Cæſareæ Majeſtatis mandato conforme & debitum. Præterea ſcribit Illuſtriſſima Dom. Veſtra, Noſtram Commiſſionem, in qua nobis poteſtas de liberanda Bohemia ab imminenti periculo Mansfeldii conceſſa fuit, exoleviſſe. Quod unde ipſi ſuggeſtum ſit, aut in mentem venerit, ignoramus. Hoc tamen probe ſcimus, & ſciunt alii æqui rerum arbitri, nec Bohemiam, nec noſtras & vicinorum Provincias, a periculis & invaſionibus Mans-

Digitized by Google

Mansfeldii immunes esse, donec ejus copiæ militares dissipentur. Commissio insuper a Cæsarea Majestate nobis injuncta, quod expiraverit, tantum abest, ut novis etiam rescriptis fuerit repetita: Quod ex incluso literarum, a Sacra Majestate Cæsarea hisce diebus ad Nos directarum, exemplo videre, & exinde duo præsupposita aliter, atque ipsa sibi persuadet, sese habere, intelligere potest: Videlicet, Mandatum Cæsareum non exoleviss̃e, & Nos multo remissius ac restrictius, atque Cæs. Majestati mens fuerit, ob certos respectus, executos fuisse, eamque moderationem adhibuisse. Proinde liberum & integrum Ill. Dign. Vestræ est, Cæsarem appellare. Nos jussis Cæsareis, & quidem moderatius, ut dictum est, paruimus. Quid vero Cæsaream Majestatem ad hæc rescripta moverit, Nobis inquirere aut indagare non convenit: Conjicere tamen cuilibet facile licet, quod nempe Princeps Palatinus, non tantum nullum pœnitentiæ aut submissionis signum hactenus ediderit; verum etiam in cœpto suo contra Cæsarem perstiterit & adhuc persistat, aliosque eo invitet. Cujus rei testimonium est, quod de Propositione, Hollandicis Statibus facta, ad nos perfertur: Ut patet ex inclusa copia. Quæ porro sit mens nostra, & quis nostri ingressus in Palatinatum finis, ex nuperis literis, & Mandato Cæsareo, intellexistis. Quapropter, si & Mansfeldius & Palatinatus incolæ sibi consultum velint, Cæsareis jussis parere convenit. Interim Illustr. Dom. Vestra persuasum sibi habeat, Nos nihil nisi Pacem & securitatem tranquillitatemque

que publicam quærere. Unde eſt, quod ad præcavendam Chriſtiani ſanguinis effuſionem, pacemque tanto celerius reducendam, tractatum ab ipſo Mansfeldio propoſitum amplexi fuerimus & in conditiones honeſtas conſenſerimus. Quod Univerſo Orbi teſtimonium ſit, nos pacem non reſpuere; quin eam depoſcere, quærere & deſiderare. Proinde alii, qui hanc impediunt, ſibi, non nobis, culpam, & quæ funeſta Chriſtiano orbi inde evenire poſſunt, adſcribant. Deus Illuſtriſſimam Dom. Veſtram longum ſoſpitet. Ex caſtris noſtris ad Schwartzfelden, die 2. Octobr. 1621.

Illuſtr. Dom. Veſtræ

ad gratificandum paratus
amicus

Maximilianus.

LXIX.

Litera FERDINANDI II. Rom. Imp. ad Dn. BALTHASAREM ZUNIGAM, PHILIPPO IV. Hiſpaniarum Regi intimum ac amicorum longe chariſſimum, de Electoratu in Ducem Bavariæ transferendo agentes, ac, uti ſequentes docent, propria ejus manuſcriptæ, 1621.

Ferdinandus.

ILluſtris ſincere dilecte. Quæ circa translationem Electoratus in Bavariæ Ducem, vigore promiſſi ei facti, mihi mens & animus ſit: Et quamobrem exiſtimem, negotium illud tam Univerſæ Germaniæ, quam imprimis Domui noſtræ Auſtria-

Auſtriacæ, ab Hæreticorum machinis vindicandæ, neceſſarium ac utile, ulterius non differendum (prout & Sanctiſſimus Pontifex me hortari non deſinit) amplius ex Patris Hyacinthi, quem ea de cauſa Pontifex ad Me, ac Sereniſſimum Hiſpaniarum Regem, Conſanguineum & Nepotem meum nec non alios Germaniæ Catholicos Principes, deſtinavit, relatione intelligetis. Rationes vero potiſſimum hæ ſunt: Quod quando regiminis mei curſum ab initio reputo, easque difficultates, quibus Regna Provinciasque adivi, perpendo; admirabilem quandam Dei circa me providentiam venerans ſuſpicio: Eoque magis Deo confidere, neque occaſionibus ejusdem honorem & gloriam proferendi deeſſe, tamque admirabiliter expertæ divinæ providentiæ, quam humanæ prudentiæ, majorem rationem ducere, me obligatum cenſeo: Eaque maxime de cauſa, divinitus ante annum præclariſſimam mihi victoriam oblatam, ut ea ad Dei gloriam & honorem proferendum, & exſtirpandas ſeditioſas factiones, quæ a Calviniſtica potiſſimum hæreſi foventur, uterer; Meque illo judicio ſubtraherem, quod Propheta Iſraelis Regi comminatur: Quia dimiſiſti virum, dignum morte, erit anima tua pro anima ejus. Nunc Palatinus jacet apud Hollandos exul, non tantum Regno Meo, quod male tentavit, ſed propriis ferme ditionibus exutus, ac extremum quaſi fortunæ ictum præſtolatur. Quem ſi prava miſeratione, vel callidis precibus perſuaſus, tanquam torpentem & ſemianimem colubrum, ſinu foveam, ac Electorali dignitati reſtituam, aliud nihil

hil quam lethalem ab eo morſum expectem. Fruſtra enim eſt, ut beneficii magnitudine illum demereri poſſe exiſtimem. Nimis ſiquidem verum Politicorum effatum eſt, *Ultionem quæſtui, Gratiam oneri, haberi.* Præcipue cum tam atroces illius in me ſint injuriæ, tam ſubdolæ artes; ut quamvis Chriſtiana charitate ego animum vincere, ille tamen tot facinorum conſcientiam nunquam exuere, aut ſolidam mihi fidem præſtare poſſit, quin ſemper occaſioni inhiaturus ſit, quomodo ſe ejus, quod promeruiſſe ſcit, timore exſolvat, & ſemel proſtitutam famam, novis facinoribus cooperiat. Accedit Calviniſtica inſtitutio, cujus ſectæ hic proprius genius eſt, nullam fraudem, nullum ſcelus putare, quod pro eorum religione ſuſcipiatur: nulla hic juramenti ſanctitas, nullus ſiniſtræ famæ metus obſtat. A tali vero, quam Cautionem, vel Domus Auſtriaca, vel Catholici reliqui Principes, quibus ille non minus infeſtus eſt, & ob religionem, quia nobis hoc bello adſtiterunt, poſſunt recipere? Spondebit Angliæ Rex? At eadem religione. Neque quidquam facilius eſt, quam ubi occaſio patrandi ſceleris datur, læſæ fidei prætextum obducere. Plena eſt hiſtoria exemplorum. In ſumma, Nulla in tali re cautio eſt, quam eo redigere inimicum, ut nocere nequeat. Cætera fragilia ſunt. Et is qui credidit, denique contemnitur. Eſt ea quoque non minoris ponderis conſideratio, illuc Palatinum reſtitutum, machinas omnes atque cuniculos, uti hactenus, ita & deinceps admoturum, ubi maxime & facillime ſe nocere poſſe exiſti-

Digitized by Google

mat: Per Bethlemium nimirum & Turcas, quos jam ante contra me hoſtes conſcivit, neque adhuc incitare ceſſat. In his Calviniſtarum ſpes omnis ſita eſt. Hos, donec ipſi reſpirent ac vires recolligant, ad me exarmandum, ac ſumptu exhauriendum, vaſtatis meis ditionibus, quemadmodum hactenus ferro flammaque, ſubſtituere nituntur. Quodſi & cum illis pacem (cui tamen æque fidere non poſſem) inire velim, quas conditiones Gabor nondum victus præſcribet, ſi Palatino victo Electoralem digitatem cum ditionibus reſtituam.

Ergo, cum jam olim, antequam celeberrimam mihi Deus victoriam conceſſit, conſtitutum fixumque haberem, non poſſe Palatinum ſine extremo Catholicorum omnium & Domus meæ periculo, ſemel proſcriptum, ad Electoralem dignitatem reſtitui, Bavariæ Duci, Catholicæ Religionis Defenſori acerrimo, cujus ditiones ex altera parte, contra Germaniæ Principes, ditionibus meis, veluti pro vallo objacent, adhæc conſilio & opibus ad dignitatem eam ſuſtinendam pollenti; Electoratum (ultro ac ſponte) a Deo absque dubio impulſus, obtuli. Cujus ex eo tempore opera cum tam utiliter, in Regnorum ac Provinciarum mearum recuperatione, uſus ſim, atque adhuc hodie utar, tempus modo magis etiam quam ipſemet Dux flagitare videtur, ut promiſſi fidem, ſine ulteriori dilatione, exſolvam; translatoque Electoratu, ſpem quoque Palatino, & iis qui ejus reſtitutionem a Nobis importune flagitant, ut Nos moleſtia liberent, adimam. Quæ res cum

Sere-

Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis ſubſidio atque auxiliis porro indigeat, quamvis per ſe inclinatum ad omnia, quæ ad Dei honorem & Domus noſtræ ſecuritatem pertinent, admonendum nihilominus hac occaſione exiſtimavi, ne hanc impoſterum Domus Noſtræ ac Religionis ſimul ſtabilendæ opportunitatem deſerat. Id quod per vos commodiſſime me facere poſſe putavi. Neque enim Serenitatem ſuam latere arbitror, ita ſemper a majoribus noſtris judicatum fuiſſe; Domus noſtræ Auſtriacæ, Dei gratia, tam late per orbem terrarum regnantis, fundamenta eſſe in hac Germania: quæ eo magis ab hoſtium vi defendenda ſunt, quo propior iis ſuffoſſis ruina. Multos hæc Domus potentiæ ſuæ adverſarios hactenus experta eſt: ſed nullos inter Germaniæ Principes pertinaciores Palatinis: quemadmodum Hiſtoriæ ſub Maximiliano I. Carolo V. Ferdinando I. ac Rudolpho II. Imperatoribus ſatis docuerunt.

Hollandica ſane erga Philippum Regem, Serenitatis ſuæ Avum, perfidia, alimenta ſua ex Palatinatu traxit; Neque Serenitas ejus unquam rebelles in Belgio ſubditos ad obſequium reducet, niſi hac in Romano Imperio radice ſucciſa. Quæ quidem ſola res, ſi cætera non eſſent, de quibus ſuperius monui, merito eam impellere debeat, ne jacentem hoſtem reſurgere, & vires in Nos, (nam animus nunquam deerit) reſumere patiatur. Etſi vero diſſimulandum non ſit, Lutheranos Principes & imprimis Saxoniæ Electorem, hanc Electoratus translationem in Bavariæ Ducem, fortaſſe non æquo animo laturum, quod Catholicam rem ex ea

Digitized by Google

nimium accreſcere vereri poſſit: Cum tamen is accuſare nequeat, quod in majoribus ſuis, Mauritio nimirum, Proavo ſuo, cui ex multo levioribus Joannis Friderici delictis, Electoralis dignitas a Carolo V. conceſſa fuit, probat: Adhæc, quia Calviniſtarum conſilia eo pertinere jam animadvertit, ut absque dubio, niſi obviam eatur, Turcæ imperio aditus per eos præparetur: Neque minoribus odiis Lutherani in Calvinianos quam Catholicos ferantur, vel minus ab his, quam ab illis, periculum ſibi imminere exiſtiment: Sperandum omnino eſt; Saxoniæ Electorem, cæterosque Principes Saxonicos, ubi rem eo deductam eſſe intellexerint, non usque adeo hanc translationem improbaturos, ut hac cauſa mihi bellum intentent. Id quod ex Sereniſſimo Archi-Duce, fratre meo Carolo, hac de cauſa ad Electorem Saxoniæ ablegato, brevi certius comperiam.

Atque hæc quemadmodum magni momenti ſunt, ita non minus vos, qui Sereniſſ. Suæ Regiæ imprimis a Conſilio eſtis, quam me ipſum diligenter jam dudum cogitare exiſtimo; neque omiſſuros, quicquid ad Conſilium hoc porro ſtabiliendum pertinere arbitrabimini: ut diu deſideratos ex eo fructus, Dei Omnipotentis honoris per Imperium propagatio, ac Communis Domus Noſtræ Salutis ac Dignitatis augmentum conſequatur. Hoc ipſo gratiam meam Cæſaream, qua jam ante Tibi addictiſſimus ſum, magis magisque promereberis. Datum Viennæ 14. Octobr. Anno 1621.

LXX.

LXX.

Litera CAROLI de CARAFFA, Epiſcopi Averſani, Nuncii in Aula Imperiali Apoſtolici, ad ARCHIEPISCOPUM de PATRASSO, Nuncium itidem Apoſtolicum Bruxellis degentem, in cauſa Electoratus e Domo Palatina in Bavaricam transferendi exarata, 1621.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime, mi Domine obſervandiſſime.

ADeo bene dipoſita eſt Sacra Cæſarea Majeſtas ad conferendam Vocem Electoralem in Ducem Bavariæ, ut de ipſius intentione nullo modo dubitandum ſit. Verum Illuſtriſſima Dominatio Veſtra pro certo habeat, quod totius illius negotii determinatio ommimodo dependeat ab Hiſpanis. Quod ego affirmare non auderem, niſi ipſe Dominus ab Eckenberg mihi hoc arcanum credidiſſet. Quod niſi obſtaret & præterita & præſens Hiſpanorum oppoſitio, res ab Imperatore jam deciſa foret. Omnes me hercle vires ſuas Hiſpani adhibent, cum alia effugia non habeant, vt oppoſitionem, quam Bavaro faciunt, tegant prætextu Electoris Saxoniæ. Sed hæc eſt rei veritas: Diſplicere ipſis dicti Ducis potentiam, & quod velint ſine moleſtia ulterioris belli retinere Palatinatum Inferiorem: Cumque metuant, ne Saxo, qui Conſtitutiones Imperii (quæ peregrinos & exteros in Imperio non admittunt) ſingulari zelo conſervari cupit, deſideriis ipſorum ſe opponat; omnibus modis ipſius animum ſibi devincire & placare ſtudent ac volunt, ut ſaltem appa-

renter ipſi ſatisfiat. Caſu vero, quo ille alienetur & adverſarius exiſtat, illo ſingulari artificio toti orbi perſuadere nituntur, ejus rei veram cauſam non fuiſſe, quod ipſi Palatinatum Inferiorem retineant, ſed quod vox Electoralis in Bavariæ Ducem collata fuerit. Ut igitur hanc ipſis excuſationem eriperet, profectus eſt, quamvis ſub alio prætextu, ad Saxoniæ Ducem nuper Archidux Carolus: & brevi expectamus ejus relponſum, quod ob multas circumſtantias ſperamus fore commodum. Quod ſi illud vel indifferens, vel neutrale, aut ſaltem non aperte contrarium fuerit; tum ſpes eſt, & ego omnem movebo lapidem, ut Imperator ſine ulteriori dilatione pro Bavaro ſe declaret; maxime quod ipſe Comes de Ognate jam oſtenderit, Regem Hiſpaniarum aſſentiri, ut Electoratus concedatur Bavaro, modo ne Saxo alienetur ac repugnet. Verum quia nos, etiam non repugnante Saxone, pertinaciam Ognatenſis metuimus; Idcirco Patrem Hyacinthum quam ſecretiſſime in Hiſpaniam ablegavimus, ut ibi actionibus iſtius Ognatenſis Comitis & Digbyi, Legati Anglici, qui ad aulam illam profecturus eſt, ſe opponat. Et Imperator ſua propria manu nulli mortalium rem communicans, ſcripſit ad Regem Hiſpaniæ, Don Balthaſar de Zuniga, & ad Infantem Monialem, in favorem Patris & negotii. Et iſtæ literæ, ſub involucro ad Nuncium Hiſpaniæ colligatæ, cum his adferuntur. Quas rogo, ut Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, prima quaque occaſione, quæ ſe offerret, transmittat. Plurimum ſane Hiſpanis arridet, tum ut modum ponant Bavari potentiæ, quam reſpectu rerum in Belgio, ut Pala-

Digitized by Google

Palatinatus Inferior in illorum poteſtate maneat. Et quantum ad noſtras intentiones, unum & idem eſt, ſive illos habeamus, ſive alium Principem Catholicum. Quamvis etiam, ne ex illo facto bellum in Imperio exoriatur, quidam vereri poſſent: nihilominus præſens rerum ſtatus non admittit, ut multum timeamus. Nam, quantum ad Catholicos attinet, illos Bavariæ Dux, ad promovendam utilitatem ſuam facile tranquillare poteſt: Et ſine ipſo reliqui, utpote ex majori parte Eccleſiaſtici, nunquam ſe movebunt. Calviniani vero jam Unione ſua ſoluta diſtincti ſunt; nec poſſunt eos incitare Correſpondentes ipſorum in Gallia & Hollandia: Cum in illis utrisque locis ipſimet verſentur in periculo ſuarum rerum. Rex Chriſtianiſſimus, dum diſtractus eſt in ſubditis ad obedientiam reducendis, non poteſt aurem præbere iis, qui conſulere ipſi vellent, ut creſcenti Hiſpanorum potentiæ in Germania ſe opponerent. Neutrales nec vires habent nec animos: ſic ut exiſtimem, Hiſpanos jam habere magnam oportunitatem, ut conſequantur propoſitum ſibi ſcopum. Absque quo ſi ſit, perſuadere mihi non poſſum, ipſos permiſſuros, ut Bavarus quidquam obtineat: non obſtante, quod anno præterito, Moguntiæ, Marchio Spinola in præſentia Cardinalis Zollerenſis, affirmaverit, omnino adverſari menti & mandato Regis Catholici Inveſtituram Palatinatus Inferioris, quam illi Comes de Ognate procurare vellet. In ſumma, ſtatus hujus negotii talis eſt, qualem Illuſtriſſima Dominatio Veſtra intelligit: & tantum etiam, ex ſermonibus jam dicti Legati Hiſpanici col-

Digitized by Google

ligitur aſſenſuros eſſe Hiſpanos, a quibus omnia dependent; ut tota rei deciſio concludatur quatuor iſtis Capitibus.

Primo; ut Bavarus Auſtriam Superiorem reſtituat.

Secundo; ut ille ratione ſumptuum factorum, Vocem Electoralem, una cum ſuperiore Palatinatu habeat: Cujus reditus cum ſumptus illos ſuperent, hoc pacto contentus erit Bavarus.

Tertio; ut Hiſpanis concedatur Palatinatus Inferior: Et ut Bavarus renunciet & cedat cunctas prætenſiones, quas reſpectu Vocis Electoris ad illum ſtatum habere poſſet, & quas intelligo tantum eſſe de quatuor locis non adeo magnis.

Quarto; ut fœdus ineatur inter Ligam Catholicam, Sacram Majeſtatem Cæſaream & Regem Hiſpaniæ, Offenſivum & Defenſivum, contra quemcunque, qui vellet ſe prædictis rebus opponere. Ultimum hoc caput, quamvis aliquid difficultatis habere poſſet, cum tamen non adeo urgentis neceſſitatis ſit, reliqua ſane (modo Hiſpani vere agant & non alium occultum finem ſibi propoſitum habeant) facillima ſunt ad obtinendum & ſtabiliendum.

Quod ſupereſt, Illuſtriſſima Dominatio Veſtra pergat, ut Sereniſſimam infantem, ejus miniſtros in illa aula, recte inſtruat, ipſisque perſuadeat, ut bene ſperent de Saxone. Vereri autem motum & ſeditionem aliis in locis hoc tempore, ſuſpicio eſt ſine fundamento. Bonum etiam factum foret, urgere occupationem ejus, quod in Palatinatu Inferiori adhuc reſtat: quamvis mihi perſuadeam, tem-

Digitized by Google

tempus illos non perdere, exemplo Bavari, a quo heri curſorem habuimus cum indicio, quod ille totum Palatinatum Superiorem in poteſtatem ſuam redegerit. & Mansfeldius, quem perſequatur, ſit in vicinia Aichſtadii, qui aut coactus aut volens ſit adimpleturus transactionem inter Bavarum & illum factam. Certiorem etiam facio Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram humaniſſimarum literarum ſuarum novorumque remiſſorum redditionis, ſingulares ipſis gratias agens, animitusque exoſculans ei manus. Viennæ 20. Octobr. An. 1621.

Hoc addere debeo: Cum Hiſpanorum intentio de Palatinatu Inferiori ſit ea, quam diximus, tanti non facient Saxoniæ Electoris declarationem, uti nunc præ ſe ferunt. Et ob eam cauſam fœdus illud expectant, ut poſſint parta tueri ſine magno ſuo incommodo in Belgio: Et quoniam hæc nonnihil prolixiora ſunt, ut nullis characteribus aut numeris in ſcribendo uſus ſim; idcirco Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram rogo, ut ſimul atque hanc epiſtolam legerit & præcipua capita ſibi annotaverit, quæ pro oblata occaſione utiliter obſervet, illam in ignem conjici curet, cum nullo modo conſultum ſit, ut alii quæ in illo negotio acta ſunt, aut alias etiam res illud concernentes, videant aut ſciant. Et iterum manus illius exoſculor. Manens

Ill. Dom. Veſt.

Devotiſſ.

D. C. Epiſcopus Averſanus.

Ut negotium perduceretur in eum ſtatum, in quo nunc eſt, multum certe ſudandum & laboran-

dum fuit, non tantum ob causas supradictas, sed etiam propter potentiam, quam habent Hæretici his locis. Sed Deus Dominus est rerum omnium.

Inscriptio.

Illustrissimo & Reverendissimo Domino meo Observantissimo, Domino Archiepiscopo de Patrasso, Nuncio Apostolico, Bruxellis.

LXXI.

Literæ FERDINANDI II. Rom. Imp. ad JOHANNEM DIGBYUM, Anglicanum Oratorem, quibus Ducem Bavariæ excusat, quod nihil supra ea, quæ ipsi commiserit, fecisset, seque in eodem semper perstiturum consilio declarat, 1621.

Ferdinandus.

UT ad Nostras & Imperii ditiones in securitatis portu collocandas, Serenissimi Bavariæ Ducis copiis Superiorem Palatinatum necessario præsidio contra hostium Nostrorum molitiones firmari, ratio ipsa suaserit; neque id in eum sensum trahi debeat, quasi consilio mutato, quoad Palatinatum Superiorem, Banni executionem mandaverimus; facile partim ex literis Nostris, duodecima hujus ad vos datis, partim ex adjuncto exemplo ulterioris Nostræ in Bavariæ Ducem commissionis, deprehendere poteritis. Qua in re, quod eam, quam decebat, curam recte prudenterque adhibuerimus, ex eo intelligetis, quod certis ad Nos nuntiis adfertur, Palatinum proscriptum, sub signis Christiani Junioris, Ducis Brunsuicensis, justum exercitum ad Superiorem Palatinatum hunc, vix tandem a Mansfeldio respirantem, submittere. Quare, etsi

etsi cum Mansfeldio transactum esset, si vacuum Palatinatum alius hostis occupasset, nihil a Nobis, pro Regnorum & ditionum nostrarum securitate, quam spectamus, actum fuisset. Interim de progressibus exercitus Bavarici querelæ Vestræ supervenerunt: Et, quod ea expeditio, neque veteris de Mansfeldio a Bohemiæ finibus propulsando, neque novæ alicujus Commissionis Nostræ fundamento, niti potuerit. Quod vestrum judicium non dubitamus, quin justissimis nostris rationibus & causis, ex superius allegato vobis incluso exemplo, ac rerum ipso eventu perspecto, qua estis ad omnia justa propensione, commutaveritis.

Quamobrem hoc quoque nimis cito credidistis, cum Mansfeldio sic transactum esse, ut ab eo, ejusque milite, periculo vacui simus: cujus actiones vafræ, dubia fides, & in extremam patriæ perniciem structæ machinationes, efflagitant, ut subditorum saluti, & vicinis Imperii Principibus, quoquo modo consulendum fuerit: ne, dum ille tempori se accommodans, tractatus fingit, & pro lubitu refingit, atque interim a tempore vires redintegrat, & cum milite suo pabulabundus in Ordinum Imperialium subditos & ditiones, supremæ protectioni Cæsareæ commissas, impune grassatur, opportuna insolentiæ ejus compescendæ remedia tardius, quam expediat, adhibuisse, a quoquam culpari possimus. Itaque & ratio ipsa, & prudentia vobis vestra suggeret, neque Bavariæ Ducem contra mentem nostram egisse, neque alias hoc rerum statu firmandæ tranquillitatis publicæ rationes, contra versipellem Mansfeldium iniri potuisse.

Digitized by Google

tuisse. Porro de induciis eadem Nobis, quæ antehac, perstat sententia, idem in Rempublicam animus, æqua pacis & concordiæ consilia amplectendi, eademque erga vos benignitatem Nostram Cæsaream crebris occasionibus testificandi voluntas. Datum Viennæ 27. Octobr. Anno 1621.

LXXII.

Literæ JACOBI I. Angliæ Regis ad FERDINANDUM II. Rom. Imp. per quas FRIDERICI V. Comitis & Electoris Palatini generi sui, restitutionem in integrum urget, seque eam, si denegetur ulterius, armata manu quæsiturum, minitatur, 1621.

JAcobus Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, fidei defensor, Potentissimo atque Invictissimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, eadem gratia Romanorum Imperatori semper Augusto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ &c. Regi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Comiti Tyrolis, &c. Fratri, consanguineo & amico nostro charissimo, salutem.

Potentissime atque invictissime Princeps, Frater, consanguinee & amice charissime. Ex iis, quæ in bello Bohemico & Legatorum opera & maximorum Europæ Principum advocatis intercessionibus, fecimus, cum Christiano Orbi, tum Cæsareæ Majestati Vest. abunde liquet, quanto pacis studio teneremur. Quamobrem nemini mirum videri debet, nos magnopere mirari, eo ipso tempore, quo consilia nostra tam salutaria omni con-

Digitized by Google

conatu promovemus, ac ſuſcepta etiam utrinque pacis tractatione, & Cæſar. Maj. Veſt. reſponſo dato, (cui, quæ ſtatim ſecuta ſunt, valde quidem repugnant) Generum noſtrum etiam ea patrimonii parte, quæ tum illi reliqua erat, exutum eſſe, erepto ſuperiore Palatinatu Ducis Bavariæ armis, qui eam Provinciam Cæſareæ Veſt. Majeſtati, ex mandato Veſtro, vindicare profeſſus eſt, idque ob cauſas, quæ omnino novæ ſunt & hactenus inauditæ, cum tamen ex eo, quod Legato noſtro publice reſponſum fuit, videtur conceſſam fuiſſe a Cæſarea Majeſtate Veſt. ſuſpenſionem Banni in ea Provincia, nec reſumenda prius arma, quam tribus ante menſibus nobis ea de re publice conſtaret. Quid quod etiam poſt idem Reſponſum in Palatinatu inferiore, Cæſ. Majeſtate Veſt. ſic mandante, bellum denuo acerrimum exarſit, magna ejus Provinciæ parte Regis Hiſpaniarum copiis occupata, cum manifeſto totius periculo, niſi ex inopinato & præter ſpem fuiſſet ſublevata? Nos autem hæc omnia ſedulo expendentes, cum plane perſpiciamus, quam gravia incommoda ex dilationibus hiſce ac moris jam exorta, & impoſterum absque dubio exoritura ſint, quæ forſan difficilius componantur, quam principalis ipſa diſſidii cauſa: æquiſſimum cenſemus, ut jam tandem huic infeliciſſimo negotio a Cæſ. Majeſtate Veſt. terminus aliquis ſtatuatur: quem in finem nobis hoc tempore viſum eſt tum ea proponere, quæ Genero Noſtro concedi cupimus, tum ea, quæ ab eodem Genero Noſtro Cæſareæ Majeſt. Veſt. præſtanda exiſtimavimus. Et priora quidem illa apud nos ſem-

Digitized by Google

ſemper erunt eadem, qualia nimirum Genero ſuaſimus proſperrima gaudente fortuna, & quæ poſtea quicquid illi adverſus attulerit caſus, nullo modo non urgebimus, nempe, ut Cæſ. Majeſtas Veſt. dignetur ipſum in priſtinam gratiam & favorem recipere, eique hæreditarias ditiones & titulos in integrum reſtituere, quos tenebat, priusquam Bohemis ſe adjunxit. Poſteriora vero, quæ ſcil. ab ipſo præſtanda exiſtimamus, ſunt

I. Ut idem Gener noſter quicquid juris in Regnum Bohemiæ, annexasque Provincias obtendere queat, ei pro ſe, & pro Filio in ſolidum renunciet.

II. Ut debita ſubmiſſione & reverentia Cæſareæ Majeſtati Veſt. ſe ſubjiciat, quemadmodum in ejusmodi eventis fieri a Principibus conſuevit genere & dignitate paribus.

III. Ut hoc reconciliationis beneficium a Cæſar. Majeſtate Veſtra ſupplex petat.

IV. Ne per fœdera clandeſtina, aut alium quemque modum paeem, & tranquillam Cæſareæ Majeſtatis Veſt. regnorum, ditionumque adminiſtrationem impedire, aut conturbare conetur, ſed contra ea omnia prompte, ſincereque faciat, quæ ad ſtabiliendam in illis autoritatem, poteſtatemque Veſtram conducant.

V. Quod ad cæteros Imperii Principes attinet, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, quibus cum illis lis aliqua nova ex his diſſidiis interceſſerit, iis quoque, quantum in ipſo eſt, ut reconcilietur, & ſinceram poſtea amicitiam colat, easque ineat æquitatis vias, quas compertum eſt optimas eſſe, & ſa-

Digitized by Google

& facillimas ad lites componendas, quo ſanciatur tandem eorum omnium amneſtia, quæ ex civilibus hiſce malis acciderunt.

VI. Cum multa ſe poſſint offerre necdum ſatis perſpecta, aut plane ignota, quæ huic diſceptationi poſtea inſerere neceſſe ſit, in nos recipimus (modo Cæſarea Majeſtas Veſtra, quid conſtituerit de ſumma negotii, palam oſtenderit) fore, ut Gener noſter in hiſce omnibus rationi & æquitati obſequatur. Quam interceſſionem noſtram ſi Cæſarea Majeſtas Veſt. eo animo acceperit, quo nos eam offerimus, erit hoc inſigne benevolentiæ veſtræ teſtimonium, quod, quam gratum nobis futurum ſit, omnibus ſinceræ amicitiæ officiis tam erga Vos quam Univerſam Domum Auſtriacam, nos vicisſim teſtabimur, ulteriorem etiam, ſi ita videbitur, fœderis conjunctionem inituri. Sin vero (quod abſit) eorum, quæ tam juſte & moderate proponimus, nulla habebitur ratio, aut novæ demum nectentur ex prioribus moræ, quando multi jam menſes effluxerunt, dum Cæſarea Majeſt. Veſt. cum aliis Principibus de poſtulatis noſtris deliberat, in proximo autem reſponſo, publice dato, eadem Majeſtas Veſt. promiſerit brevi ſe ſine aliis indicaturam, quid de hoc negotio conſtituerit, & quid agere decreverit, tum ſane nihil erit cauſæ, cur miretur, ſi palam & orbe teſte ſumamus arma pro patrimonio & hæreditariis nepotum noſtrorum honoribus, quorum vindices facti ſumus ex naturæ & juſtitiæ & dignitatis lege, præſertim cum non illis acquirere ſtudeamus novos titulos, ſed retinere avitos, quos Comes Palatinus

tinus tum citra controverſiam poſſidebat, cum nos illi unicam bona fide Filiam collocavimus; cujus liberos (Deo propitio tam multos) patrocinio noſtro deſtituere omnino nefas eſſet; Neque vero Cæſarea Majeſtas Veſtra ægre deinceps ferre, aut jure de nobis queri poſſit, ſi, cum omnia ſimus experti, quibus tam juſti voti ſine vi compotes fieremus, poſt tot irritos conatus, nova a nobis & armata defenſionis via ineatur. Cum autem certiſſimum ſit, hoc fieri non poſſe ſine Chriſtiani orbis damno, & publicæ pacis, noſtræque cum Domo Auſtriaca amicitiæ, cujus ſemper ſtudioſiſſimi fuimus, multiplici concuſſione, reliquum eſt, ut Cæſ. Veſt. Majeſtas pro pietate & prudentia ſua tantis malis in tempore occurrat, noſtraque malit fraterna uti benevolentia, quam Nos ad violenta conſilia adigere invitos. Deus Opt Max. Cæſ. V. Majeſtatem diu ſerver incolumem, mentemque eo flectat, quo pax publica, & Chriſtiani totius orbis vocat concordia. Datum Roiſtonæ, 12. Novembr. 1621.

Majeſtatis Veſtræ

Frater amantiſſimus

Jacobus Rex.

LXXIII.

Litera FERDINANDI II. Rom. Imp. ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem, quibus eum de promiſſa a ſe Bavariæ Duci Electorali dignitate edocet, utque eam ob cauſam Anglici Legati precibus refragetur, amice contendit, 1622.

Ferdi-

Digitized by

Ferdinandus &c.

INtelligimus Baronem Joannem Digby a Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Rege Legatum in aula Serenit. Veſtræ, niſi jam tum advenerit, propediem adfuturum ; Qui cum inter alia proſcripti Palatini reſtitutionem urgendam veriſimiliter in commiſſis habeat, non abs re futurum eſſe exiſtimavimus, tempeſtive , & pro conſueta fiducia noſtra Serenitatem Veſtram præmonere, nos jampridem Bavariæ Duci, qui turbulento hoc reipubl. tempore, tam præclare de nobis, Sacroque Imperio, de Religione & Auguſta Domo noſtra meritus eſt, atque etiam nunc immenſis ſumptibus, non ſine vitæ & Provinciarum ſuarum diſcrimine, meretur, juſtis gravibusque de cauſis dicti Electoratus ad nos devoluti dignitatem & prærogativam, per tabulas publicas, diplomate ſuperinde confecto, & Dil. ſuæ conſignato, promiſiſſe, atque id ſolum reſtare, quod a temporis ſucceſſu dependebit, ut prævia ſolenni inveſtitura in Collegium Septemvirale, & realem poſſeſſionem introducatur. Placebit itaque Seren. Veſtræ, ſi quid eo nomine a Legato Britannico requiretur, convenienter hujus intentionis noſtræ rationem habere, quemadmodum publice, privateque intereſt verbi noſtri fidem conſtanter obſervari. Quod Seren. Veſtram latere noluimus, cujus prudentia facile diſtinguet, quantum hoc loci alterius cujuscunq; poſtulatis, re non amplius integra, tribui debeat. Cæterum Seren. Vræ gratificandi , quotquot ſe occaſiones offerent, cupide amplexuri. Datum Viennæ 1. Maji, 1622.

LXXIV.

Literæ CHRISTIANI WILHELMI, Archiepiſcopi Magdeburgenſis, ad SIGISMUNDUM III. Poloniæ Regem, quibus redintegrari & confirmari ſibi in Boruſſiam Ducalem jus conjunctæ manus, & fidem Legatis ſuis haberi petit, 1628.

Sereniſſime Potentiſſimeque Rex,

Domine & Conſanguinee admodum obſervande,

Regiæ Majeſtati Veſtræ ſalutem ex animo precor, cum prolixa ſtudiorum & officiorum meorum oblatione!

Sereniſſime Rex.

PErſcriptum ad me ſuperioribus diebus fuit, Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram non ita pridem comitia publica indixiſſe, ad tertium proxime ſequentis Menſis Novembris, ſtylo novo, Warſaviæ magna Senatorum & Ordinum Regni frequentia celebranda, ad quæ Illuſtriſſimus Princeps Dominus Georgius Wilhelmus, Marchio Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius & Elector, Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium Dux & Agnatus meus chariſſimus, profecturus quoque ſit, hoc fine, ut a Sacra Regia Majeſtate Veſtra inveſtituram Ducatus Pruſſiæ obſervanter petat & homagium præſtet. Cum autem Regia Veſtra Majeſtas memoria teneat, Me in comitiis, Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum undecimo habitis, non modo ſimultaneam inveſtituram

Digitized by Google

turam in pactis antiquis, inveſtituris & tranſactionibus fundatam, per Legatos meos petiiſſe, ſed etiam ex gratia ſingulari, qua Regia Veſtra Majeſtas, me & Domum meam benigne ſemper proſecuta eſt, ſolenni ritu impetraſſe, omnino nunc juris hujus redintegrationem Mihi neceſſariam judico, ex quo Illuſtriſſimus Princeps Dominus Johannes Sigismundus, Marchio Brandenburgicus, S. Romani Imperii Archicamerarius &c. &c. Frater quondam meus dilectus felicis memoriæ, Deo ſic diſponente, fatis anno ſuperiori conceſſit. Ablegavi igitur ad Regiam Veſtram Majeſtatem Viros Nobiles & claros Conſiliarios & dilectos Fideles meos, Arnoldum Engelbrechtum, Juris utriusque Doctorem & Georgium Albrechtum a Weidenbach, Equitum Magiſtrum, cum mandatis pleniſſimis & quid proponere potiſſimum, coram Regia Majeſtate Veſtra, in Conſeſſu Illuſtriſſimorum inclyti Regni Procerum, petereque condecenter debeant, iisdem præſcripſi. Sicut ſacra Regia Veſtra Majeſtas ex literis mandati ſuo tempore & loco reverenter exhibendis uberius cognoſcet. Quæ cum ita ſint, obſervanter ſacram Regiam Majeſtatem Veſtram rogo, ut præmemoratis Legatis meis, non ſolum in iis, quæ propoſituri ſunt nomine meo, non ſecus ac Ipſimet mihi, ſi in perſona adeſſem, plenam fidem adhibeat, ſed etiam petitioni meæ regium adſenſum præbeat, & jus conjunctæ manus mihi ritu ſolenni denuo confirmet & redintegret. Hoc a Regia Veſtra Majeſtate ſi impetravero, ſicut omnino confido, obligabit Regia Veſtra Majeſtas & devinciet ſibi

me multo etiam arctius. Certe rem faciet Regio sceptro maxime dignam & apud posteros cum laude & bonis recordationibus deprædicandam. Et Sacræ Regiæ Majestati Vestræ vicissim observantiam, fidelitatem, studia & officia mea, omni tempore promptissima, paratissimaque futura prolixe defero & polliceor. Quod reliquum est Regiam Majestatem Vestram cum Conjuge Serenissima Serenissimoque Filio Principe divinæ protectioni atque tutelæ fideliter commendo. Halæ Saxonum, die 2. Octobris, 1628.

LXXV.

Litera Dn. CAMERARII, Legati Suecici ad ORDINES FOEDERATI BELGII GENERALES, de expeditione Regis sui in Germaniam facta, agentes, eosque rogantes, ut communem libertatem pari cum dicto Rege studio ac fervore tueri ac illæsam contra insultus Hispano-Austriacorum servare conentur, 1630.

Illustres ac Præpotentes Domini.

MEministis, postquam ex conversione rerum in Germania nimium adcrescens Hispano-Austriaca Potentia omnium pene aliorum Regum & Statuum libertati insidiari cœpit, quantopere de salute ac securitate publica & Vos solliciti fueritis, (tum etiam per Legatum proprium ante paucos annos suam Regiam Majestatem ad opem oppressis ferendam admonuistis) & quam candide ac confidenter Sac. Reg. Maj. cogitationes ac Consilia Vobiscum semper communicaverit, studia

dia ſimul & operam aliquoties obtulerit. Illud etiam nunc reipſa iterum facit, cum Vobis amice indicat, quibus de cauſis mota in animum induxerit, ut cum exercitu mare trajecerit. Non ita pridem, nempe ſub dato 24. Martii Sua Regia Majeſtas Vobis ſignificaverat, quod ad Interceſſionem Sereniſſimi Regis Daniæ in pacificos tractatus Dantiſci inſtituendos conſenſiſſet, facta Vobis facultate, ut ſi Vobis ita videretur, ad illos etiam ex Veſtris mitteretis, qui ſuis conſiliis & cauſam publicam adjuvare, & Veſtras etiam rationes ac commoda promovere poſſent. Neſcio in quam partem optima iſta Sereniſſimi Regis mei intentio hic accepta ſit; quod ſerius aliquanto literæ iſtæ Vobis redditæ ſint. Sed nunc ex reipſa deprehendiſtis, nullum fuiſſe in mora periculum. An vero & quid Sacræ Regiæ Majeſtati ad illas Literas reſponderitis, hactenus intelligere non potui. Verum cum Suam Regiam Majeſtatem indignari nonnihil animadvertam, quod hactenus de re tanti momenti nihil ad illam ſcripſerim, confido Vos, ſi non aliud præſtituros, ſaltem culpa me liberaturos eſſe, qui quæ comperta a Vobis non habui, etiam perſcribere ad ſuam Regiam Majeſtatem non potui. Sperat autem Sacra Regia Majeſtas ſua, ut quemadmodum ipſa nihil ſuorum conſiliorum aut actionum Vos celare hactenus conſuevit; ſic Vos quoque pro amicitia, quæ Vobiscum ei a tot annis intercedit, pari reciprocæ confidentiæ Lege cum Sacra Regia Majeſtate acturos, ut in tempore eo rectius ac tutius ſua tam belli quam pacis conſilia inſtituere ac proſe-

qui poſſit, maxime ubi ad eundem recuperandæ Libertatis ſcopum vos quoque unanimiter concurrere intellexerit. Jacta nunc eſt alea: Transivit ſua Regia Majeſtas non Rubivonem ſed Vaſtum mare, & quam ſibi aliisque ſecuritatem literis & legationibus hactenus impetrare non potuit, cum bono Deo armis obtinere, aut eo ſaltem perducere rem conabitur, ut ſub clypeo felicius ſuccedat pacis negotium.

Cum vero non ullius privatæ utilitatis, ſed tantum afflictæ Reipublicæ cauſa, imprimis vero ut mari Baltico (cujus Dominio Hiſpano-Auſtriaci in Veſtram potiſſimum perniciem inhiant) in priorem ſtatum vindicato, commerciorum uſus reflorefcat, Sacra Regia Majeſtas Sua tantum in ſe onus in Veſtrum etiam bonum & commodum ſuſceperit, omnino ſibi perſuaſum habet, Domini, Vos non tantum favore & votis, ſed conſilio etiam ac ope Veſtra præclaros Suæ Regiæ Majeſtatis conatus adjuvaturos ac ſublevaturos eſſe.

Non ignara eſt Sacra Regia Majeſtas incertitudinis rerum humanarum, & quæ in bellis potiſſimum viciſſitudines ſæpius emergere ſoleant. Igitur in utramque partem & in omnem eventum Vos minime commiſſuros Sacra Regia Majeſtas ſperat, ut ab amicis ſuis in communi cauſa ac periculo prorſus neglecta & deſtituta, aut ſecunda minus alacriter proſequi velit, aut adverſa (quæ Deus clementer avertat) eo difficilius reſtaurare & redintegrare poſſet. Ea vero nunc ex tot victoriis & emolumentis ſuperiori anno cumulatim Vobis, velut e cœlo transmiſſis, veſtra felicitas, ut

nec

nec hoſtes Veſtri ullo pacto credere posſint, vos exoptatisſimis occaſionibus contra ipſos in Veſtram & communem cauſarum utilitatem nunc non uſuros eſſe.

Non igitur permittetis, ut fructus victoriarum Veſtrarum non ad Vos, non ad amicos, ſed ad communes hoſtes perveniat. Quod Sacræ Regiæ Majeſtatis judicio aliter fieri non poteſt, quam cum aut ipſi res Hiſpanorum jam ſatis nutantes & dubias, aſſidue magis magisque fregeritis, aut ſaltem' amicis, qui Hiſpano-Auſtriacos a Vobis animoſe divertant, facultatem Viresque ſuppeditaveritis.

Et hæc ſunt, quæ Sacra Regia Majeſtas, ut Vobis exponerem, clementisſime juſſit, mihi vero ſevere mandavit, ut ſententiam Veſtram in hoc maxime arduo negotio quantocius ad ſe referrem, quo ſuis rebus posſit ſive belli ſive Pacis artibus mature & prudenter conſulere. Itaque ut reſponſum Veſtrum, quantum fieri poterit, maturetis, enixe rogo. Quod ſi forte per Deputatos ex Collegio Veſtro de his accuratius mecum agere Vobis placuerit, lubens volensque Voluntati Veſtræ, Illuſtres ac Præpotentes Domini, obſequar,

Vobis omni cultu ac obſervantia addictiſſimus.

Hagæ Comitis 26. Julii,
1630.

L. Camerarius.

LXXVI.

Litera a COLLEGIO ELECTORALI, ad LUDOVICUM XIII. Galliæ Regem exarata, Pacem Legatorum ſuorum ſtudio concluſam eſſe docentes. ejusdemque ratificationem ex parte Regia expetentes, 1630.

Chriſtianiſſime Rex.

MAximo omnino gaudio nos affecit Regia Dignitas Veſtra, dum tam opportuno tempore ad Ratisbonenſem conventum Legatos ſuos miſit, eo fine, ut tandem aliquando deſideratiſſima Chriſtiano orbi tranquillitas redderetur, & inter Chriſtianos & Catholicos maxime Principes pax firma coaleſceret. Et magnum etiam Dei beneficium eſſe duximus, hanc a Deo mentem Reg. Dignitati Veſtræ injectam, hoc maxime tempore, quo hic pariter cum Sacra Cæſarea Majeſtate communicantes ejus Majeſtatem vidimus ejusdem pacis intimo flagrare deſiderio, ut adeo ſperemus ex hoc animorum conſenſu ſalutem certam Chriſtianitati, non minimo Regiæ Dignitatis Veſtræ officio, oblatam. Rem adeo Religionis, Imperii, Regnorumque ſaluti neceſſariam, etſi omni feſtinatione expeditam quidem cupimus, eoque omne ſtudium noſtrum contulimus. Quoniam tamen ipſe tractatus, ut ſolet, alias ex aliis difficultates pepererit, tantis rerum momentis pluſculum indulgendum fuit tempori; maxime cum ex parte Guaſtallæ Ducis, oblata in ſatisfactionem pecuniæ ſumma, tanquam opinione ſua, æquo minor reputa-

Digitized by Google

putaretur: & ex parte Senioris Duciſſæ Lotharingiæ, cum ut illius etiam prætenſionis ratio prius haberetur, ejusdem Legatus, vigore ſpecialis mandati, vehementer inſtaret, ut ne pax, niſi hujus etiam ratione habita concluderetur. Extitit toto tractatus hujus tempore, ea Regiæ Dignitatis Veſtræ Legatorum prudentia, dexteritas, ſtudium & ſollicitudo, ut eis hoc teſtimonium omni fide debeamus, eas & fide egiſſe, ne quid vel minimum a Regiæ Dignitatis Veſtræ mente & intentione deviarent. Verum cum rei evidentia & periculum, quibus fere totum orbem Chriſtianum quotidie magis videbamus involvi, magnitudo prudentiſſimum quenquam moneret, e re Chriſtianorum, & Eccleſiæ Catholicæ ac Regnorum omnino eſſe, hanc pacem propter commune bonum nullatenus comparandas difficultates, nequaquam differri, de Regiæ Dignitatis Veſtræ juſtiſſimo zelo & æquiſſimo animo omnia nobis polliciti, ita rem, quantum fieri potuit, conſiliis noſtris moderandam duximus, ut Regiæ quoque Dignitatis Veſtræ calculum nobis nequaquam defuturum & nos credamus & Legatis Regiæ Dignitatis Veſtræ perſuadere conati ſimus. Atque hac ipſa freti fiducia ipſi quoque Legati tantum Noſtræ auctoritati & conſilio attribuerunt, ut pacis tractatum ſecundum tenorem Regiæ Dignitatis Veſtræ exhibendum, una nobiscum cenſuerint amplectendum. Quod utrinque fide integra, mente ſincera, cum obſervantia, tum Cæſareæ Majeſtatis, tum Regiæ Dignitatis Veſtræ, actum eſt. Id ut Regia Dignitas Veſtra quoque ſub calculo ratifi-

cet, desideramus, simulque ejusdem Legatos ob tam gratam expeditionem omnino favore nostro complectimur, Regiæ Dignitati Vestræ tanquam meritissimos recommendamus, Deum rogantes, ut & Regnum suum pacificum conservet, eamque cum Regia felicitate Christianitatis perpetuo bono annis plurimis conservet. Datæ Ratisbonæ 13. (3) Octobris 1630.

Electores & Absentium Legati.

LXXVII.

Literæ GUSTAVI ADOLPHI, Suecorum Regis, ad COLLEGIUM S. R. IMP. ELECTORALE, Urbis Stralsundiæ Apologiam continentes, ac causas, quibus ipse adactus Imperatori ejusq; fœderatis bellum intulerit, exponentes, 1630.

Gustavus Adolphus Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ, Careliæque nec non Ingriæ Dominus. Reverendissimi, Celsissimi & Illustrissimi Principes, Consanguinei & Amici charissimi: Dilectionum Vestrarum literas 29. Julii, 8. Augusti ad nos datas, ante paucos dies accepimus, quarum exteriori forma inspecta, quemadmodum æquum agnovimus, nunc emendata esse, quæ ante & in superioribus Dilectionum Vestrarum literis circa titulum Regium Nostrum desiderabantur, ita cum præfatas novissimas Dilectionum Vestrarum literas aperiremus, mirari subiit, cur præter morem consuetum & contra stylum

in

in literis Electoralibus non modo ad Nos, aliosque Reges, verum etiam Principes Imperio Romano ſubjectos uſitatum Dilectionum Veſtrarum Nomina huic illarum epiſtolæ præfixa ſint, quaſi ſtudio id quæſitum eſſet, ut aliorum nomina titulo noſtro Regio præponendo, aliquod dignitati Noſtræ ſublimitatique Regiæ crearetur præjudicium. Libenter vero hoc quicquid eſt cum prioribus in deſcriptores derivandum cenſemus, quorum forſan calamum, publicæ tranquillitatis quidam oſores ita moderati ſunt, quo omnis inter Nos & Dilectiones Veſtras ulterior communicatio & Literarum in poſterum commercium tanto redderetur difficilius, cum facile intelligant Nos nihil accepturos nec admiſſuros eſſe, quod a Dignitate Noſtra Regia ſit alienum. Quam ob cauſam Literas quoque Cæſareas, in quarum inſcriptione Nos Cæſar(Unſern Fürſten) appellat, adeoque veluti ſibi ſubjectos compellat, nulla ratione acceptare ſive admittere nuper potuimus: quandoquidem nec glebulam terræ Imperatoris beneficio tenemus, ſed quæcunque Noſtrum regit Imperium ſoli Deo & Enſi, & divina clementia bellis hactenus geſtis atque exantlatis juſtiſſimæ cauſæ Noſtræ ferimus accepta. Verum hisce diutius immorari nolumus, præſertim cum ſatis conſtet, non magis per ejusmodi actus Regiæ Majeſtati quicquam derogatum iri, quam Dilectionum Veſtrarum Dignitati aliquid exinde accedere poſſe. Res ipſas quod attinet, gratum Nobis eſt, quod Dilectiones Veſtræ injurias & indignitates, a communis quietis turbatoribus, Nobis injuſte atque indigne illa-

illatas vix ſe probare affirment, longe autem gratius id Nobis futurum eſſet, ſi convenientia remedia hiſce malis tempeſtive adhibita fuiſſent, neque nunc Dilectiones Veſtræ contra Nos admiſſa, elevando quicquid hactenus ab inimicis Noſtris geſtum quodammodo excuſare, nec omnino improbare viderentur. Antea autem cum per Literas Noſtras conteſtati ſumus; tum per ſervos Noſtros fuſe exponi curavimus, quæ Nos urgentisſimæ rationes impulerint, imo adegerint prope, ad opem Civitati Stralſundenſi ferendam, & quantum ad Nos pertinebat, ſatagere, ut vicinæ & multiplici vinculo Nobis Coronæque Noſtræ a multis retro ſeculis conjunctæ, ſaluti conſulendo periculum Noſtris Statibus ac Mari Baltico imminens, (ſi pedem ibi figere, tanta contra Nos hoſtilitate notatis licuiſſet) mature præverteremus: quo tamen conſilio nihil hoſtile in imperium Romanum moliti ſumus, imo nihil in Imperii Romani præjudicium factum eſt, quin potius Nobis perſuaſum fuit, eo nomine Nos gratias ab Imperio Romano relaturos, certe commeritos fuiſſe, quod Civitatem, quæ alias vel contra Ipſam Cæſaream autoritatem ab iniquis perſecutoribus oppreſſa fuiſſet, vel tum Romani Imperii hoſtibus ceſſiſſet, mediam veluti viam amplexi, conſervavimus imo Imperio Romano ſervavimus ſalvam & incolumem, quæ ſingula hic repetere ſeu prolixius enarrare vix neceſſarium ſive conveniens arbitramur, cum facile conjicere poſſimus, neminem, cujus animo priora Noſtra ſatisfacere nequeunt, ea iterata & æqua lance ponderaturum; habuerit ne propterea Civitas

Digitized by Google

vitas Stralſundenſis ſatis juſtas & prægnantes cauſas, externum præſidium atque auxilium contra vim non minus injuſtam quam extremam implorandi, donec ei planior & expeditior via patuerit vel ad Veſtras Dilectiones vel Cæſaris clementiam, tanquam ad aram vel portum ſalutis, ubi ipſi Stralſundenſes coram æquis quibusvis terrarum arbitris, cauſam ſuam extendere ac docere parati ſunt: Facile hoc quoque intelliget, quisquis norit, quam parum tunc temporis efficaciæ in ipſis Cæſareis decretis fuerit, non modo ad Civitatem innoxiam a præſenti ultimoque diſcrimine liberandum, vel paululum refrigerandum temperandumque, flagrantiſimum internecini odii immaniumque irarum fervorem, quo in ejusdem loci perniciem atque exitium quidam, jus omne in armis atque violentia ferentes, iniquiſime exarſerant. Dilectiones Veſtræ porro nullatenus ſe credere aſſerunt, Cæſarem non provocatum armis ac apparatibus in Saxoniam inferiorem & poſtmodum Baltici maris oras deductis, Noſtras ditiones ac Status infeſtare aut offendere decreviſſe, quod Nos libenter quidem credidiſſemus, niſi oculis Noſtris tot funeſta exempla obſervata luculenter demonſtraſſent, quam multi hisce temporibus nimiæ & intempeſtivæ credulitatis acerbiſimas pœnas dederint. Regia autem Dignitate & munere Noſtro indignum judicavimus, in rebus tanti momenti, quæ proprii Status incolumitatem, populorumque Nobis a ſummo omnium Rectore commiſſorum, ſalutem concernunt, nimis credulitati indulgere. De Cæſare, etſi haud mediocribus injuriis a quibusdam ejus miniſtris affecti, nihil mali

No-

Nobis polliciti fuimus, ſed cum ejusmodi pacis perturbatores minime a Nobis provocati, Nos tamen indignis modis laceſſere & provocare, nec non injurias injuriis & indignitates indignitatibus cumulare indeſinenter pergerent (prout ex gravaminibus Dilectionibus Veſtris jamdudum transmisſis manifeſte liquet) nemini mirum videri debet, ſi non inani & inopinabili aliquo, ſed juſtisſimo motu impulſi, proceſſus ejusmodi plusquam ſuſpectos habere cupimus: Ideoque jure æquisſimo Defenſionis ac Gentium freti, aliis quoque mediis Dignitatem Noſtram tueri in animum induximus, adeoque coacti ſumus ſaluberrimum talibus malis præventionis remedium arripere, ſolliciteque providere, ne provincias Veſtras ſibi adjacentes vellicare aſſueti, validiores & transmarinas in Regnum Noſtrum impreſſiones tentarent. Directum Dominium in feuda ab Imperio dependentia, quod Cæſari Imperioque Romano competat, haud refragamur, minime tamen Jus illud & vinculum vicinitatis, amicitiæ & conſanguinitatis ſolvere poteſt vel efficere, quo minus amicorum, Vicinorum ac multo magis Conſanguineorum adverſis condolere liceat, Nobisque Regi ac Principi externo integrum ſit, locum, rationem, cauſamque commendatam habere: præſertim cum non ſtam propria culpa quam ſiniſtris inimicorum machinationibus indefenſi atque indicta cauſa, nec eo juris ordine ſervato, quem in Statu ſive Ordine Imperii Romani convincendo & condemnando ſervare moris eſt, in tantam calamitatem ſint præcipitati. Perſuadent ſi-

bi

Digitized by Google

bi insuper Dilectiones Vestræ peculiares Cæsari causas fuisse, cur amici & consanguinei Regis partes non plane judicarit deserendas; Ideoque Polonis in Borussiam subsidia missa esse, quod proinde tanti non esse existiment, ut eidem alia supersint rerum componendarum pacifica media, ac ideo bellorum motibus Imperium non esset turbandum. Nos e contra facile Nobis persuaderi patimur, causas impulsivas ac suasorias, subsidia ista hostibus tunc Nostris submittendi non defuisse: an vero illæ rationes ad causas negotii justificandas, vel nostras actiones improbandas quicquam pertineant, velimus ipsæ Dilectiones Vestræ dijudicent. Amicitia, quæ Imperatori cum Serenissimo Poloniæ Rege intercedit, nequaquam Nobis necessitatem imponit ejusmodi invasiones ac hostilitates non ægre ferendi, nec ullo prohibet jure, quo minus Nobis fas sit, Dignitatem Nostram contra ejusmodi violatores digne tueri, & illos, qui in Statuum Nostrorum Nostrique præjudicium hostilia quævis omni injuria exercuerunt, justo talionis jure, vindicta debita persequi, & demum hostes potius alibi quærere alienisque in oris sistere, quam Domi in Regni Nostri Visceribus non sine perpetua sollicitudine expectare, quodque jus Nostrum induciæ inter Nos & Regnum Poloniæ stabilitæ nulla ratione tollere, aut minuere possunt. Quæ singula etiamsi ita se habeant, ultima tamen minime a Nobis sunt tentata primo loco: Meminerunt equidem Dilectiones Vestræ, quoties per amicabilem compositionem omnis discordiæ fomitem tollere conati simus; quod vero optime cogi-

cogitata Noſtra, optato caruerint ſucceſſu, id Nobis non venit imputandum, ſed illorum iniquitati & tergiverſationi ac technis, qui omnia a Nobis propoſita media partim indigne rejecerunt, partim eluſerunt & fruſtrarunt. Quapropter cum leniora nihil proficerent, nulla prorſus admiratione dignum, quod Nos ad aſperiora inviti adſcenderimus: Et quia Dilectiones Veſtræ in prioribus ſuis Literis, nec verbo quidem attigerunt remedia, quæ Dilectionum Veſtrarum Autoritate & interpoſitione juſtiſſimis querelis Noſtris adhibenda, haud injuria poſtulavimus, quid aliud inde colligendum fuit, quam Nobis optionem, imo neceſſitatem relictam fuiſſe, alia via, Nobis Statibusque Noſtris interim proſpiciendi? Quod autem ſæpius proteſtati ſumus, hic repetitum quoque volumus, nimirum Nos ab Imperio Romano, Dilectionibus Veſtris, ſeu aliis Imperii Romani Ordinibus ac membris, quæ nos non offenderunt, nequaquam alieniores eſſe, & niſi provocati fuerimus, non alienos futuros, verum hoc armis noſtris ſolummodo quæri, ut privata quorundam in turbido piſcari ſuetorum ambitio, ferocia ac licentia, ne in immenſum excreſcant, retundantur, nec non Noſtra ſecuritas & amicorum, vicinorumque ſalus in tuto collocentur, quo facto Imperium Romanum non turbamus, nec debitam Imperatori Imperioque obedientiam detrectantium partes juvare, nec Statum Imperii lædere, ſed multo magis turbatores publicos coërcere, inclytaque Imperii membra ab exitio ſervare & a turbatorum injuriis vindicare Nobis animus eſt. Tandem Nos hortantur Dilectiones Veſtræ, ut arma mota ſiſtamus & ab-

Digitized by Google

& abducamus, quod tum demum faciendum arbitramur, ubi certius aliquid, cum de Injuriarum Nobis illatarum ſatisfactione, tum Noſtra, vicinorumque ſecuritate conſtiterit. Et ſi ante annum & quod excurrit, alii non ſemel moniti ad manifeſta ſigna e Boruſſia educenda atque abducenda promptiores ſe oſtendiſſent, nec exercitus noſter in has oras nunc forſan ductus fuiſſet. Cæterum ſi etiam nunc conditiones Pacis æquæ, honeſtæ ac tutæ in medium allatæ fuerint, remque hanc ab altera parte ſerio tractari animadvertemus, tantum abeſt, ut a pacis tractatione Nos alienos oſtendamus, quin juſtam & ſecuram pacem unicum ac præcipuum armorum Noſtrorum ſcopum eſſe ingenue profiteamur. Ideoque Orbi Chriſtiano Dilectionibusque Veſtris gratulamur, quod eos in ſpem ſolidæ pacis erectos intelligamus, quam Dilectionum Veſtrarum præclaram in communem Orbis Chriſtiani pacem propenſionem & ſtudium inſtituti Collegii Veſtri Virtus omnino polliceri videtur. Et quemadmodum Nobis omnia bona, omnemque amicitiam de Dilectionibus Veſtris promittimus; ita, ſi qua in re illis viciſſim gratificari poterimus, ad id Nos ſemper invenient benevolos & paratos. Datum Stralſundi die 13. Septembris, Anno 1630.

Veſtrarum Dilectionum

Præſentatæ Ratisbonæ
9. (19). Oct. An. 1630.

Bonus Amicus & Conſanguineus
Guſtavus Adolphus.

Inſcriptio:

Reverendiſsimis, Celſiſsimis, Illuſtriſsimis Dominis Conſanguineis, Affinibus & Amicis Noſtris Chariſſimis, Romani Imperii Electoribus Principibus.

LXXIIX.

Literæ JOH. GEORGII I. Electoris Saxoniæ, ad VLADISLAUM IV. Poloniæ Regem, quibus dolorem ſuum ob mortem SIGISMUNDI III. Regis & Conſtantiæ Reginæ Parentum ipſius, gaudiumque, quod in Succeſſorem ac Regem Poloniæ electus ſit, teſtatur, 1633.

P. P.

EX Regiæ Serenitatis Veſtræ Literis die 14. Novembris anni præteriti datis, at hiſce primum diebus Nobis exhibitis, plenius intelleximus, quod cum divinæ Majeſtati placuiſſet Regiæ Serenitati Veſtræ per obitum Serenisſimi Domini Parentis, Domini Sigismundi III. Poloniæ & Sueciæ Regis, Magni Ducis Lithuaniæ &c. &c. glorioſæ recordationis, acerbum doloris vulnus infligere, Eidem nunc placuerit orbitatem & luctum Ejus efficaciter ſolari, ex quo ad 13. diem Novembris ab inclytis Ordinibus in Regem Poloniæ, Magnumque Ducem Lithuaniæ electa ac renunciata fuerit, ac ad ſolennem inaugurationem die 30. præterlapſi Menſis Januarii poſt peractas Serenisſimorum Dominorum Parentum, laudatisſimæ memoriæ exequias, præſtituta, cum annexa petitione, ut utrobique quanto affectu & benevolentia Regiam Veſtram Serenitatem, Regalemque ejus Domum pro-

ſequa-

Digitized by Google

ſequamur, teſtatum faceremus. Nunc confiteri oportet ſingulos & univerſos, & quotidiana ſubinde id comprobat experientia, præpotentem illum Deum, qui omnem hunc mundum regit ac moderatur, læta ſolere permutare triſtibus, quosque in caſum adverſum incidere permittit, hos juxta beneplacitum propitiæ ſuæ voluntatis rurſus erigere ac ſolari, & quos cædit ac vulnerat, eorum plagas & vulnera iterum obligare & ſanare. Plane Nos quod attinet, perſuaſiſſimum Regia Veſtra Serenitas ſibi habeat, non uno nos modo affectos fuiſſe. Nam quam primum Regiæ Veſtræ Serenitatis Ejusdemque Domus Regalis ſplendidiſſimæ mœrorem ac luctum ex obitu Serenisſimorum Parentum contractum cognovimus, non potuimus non ad compaſſionem Chriſtianam & condolentiam commoveri. Poſteaquam vero ex Regia Veſtræ Serenitatis Literis percepimus, Inclytos Status Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, tam fortem, tamque heroico ſpiritu præpollentem, nec non tanta ſapientia, tam excelſo ingenio, adeoque tot virtutibus regiis præcellentem Magnatem ac Dominum in Regem ſuum unanimi conſenſu elegiſſe, Ejuſque Capiti, ſolenni inaugurationis ritu Regale diadema imponere decreviſſe, equidem ingenti lætitia tam læto accepto nuntio perfuſi ſumus. Magnas Regiæ Serenitati Veſtræ gratias non tantum agimus, quod ea de re certiores Nos reddere, atque hoc ipſo publici ſui gaudii participes facere voluerit: verum etiam tantæ dignitatis acceſſionem, qua Deus optimus maximus Serenitatem Veſtram in Thronum hunc re-

galem ſubvexit, Eidem animitus gratulamur, voventes & optantes, ut ſpiritu Conſilii, Sapientiæ, Intelligentiæ, Roboris ac fortitudinis induta, Regnis ac Provinciis ſuis ſecundo vitæ curſu, optime vigens valensque in pacis & quietis publicæ perpetua fruitione, florentisſimaque fortuna ad Chriſtiani populi laudem atque emolumentum laudatisſimæque coronæ Polonicæ honorem, decus ac incrementum, per ſpatia annorum ac decurſus quam plurimos immortalis Dei munere præeſſe valeat. Quod reliquum eſt Regiam Serenitatem Veſtram perſtudioſe rogamus, ut in Regia illa ac ſingulari illa affectione atque amicitia erga Nos Noſtramque Domum Electoralem conſtanter perſeveret & continuet, ſi qua in re Regiæ Serenitati Veſtræ vicisſim grata officia, amicitiam & honorem præſtare poterimus, omni tempore Nos Regia Veſtra Serenitas promptisſimos ac paratisſimos inveniet. Dabantur Dresdæ die 15. Febr. 1633.

Johannes Georgius Elector.

LXXIX.

Literæ STATUUM S. R. Imperii Heilbronnæ congregatorum ad CAROLUM I. Angliæ Regem, quibus Ipſi fœdus Heilbronnæ inter Principes Proteſtantes, libertatis Religionis publicæque ſecuritatis tuendæ cauſa initum, nuntiant, 1633.

Serenisſime ac Potentisſime Rex,
Domine Clementiſſime.

OMnium Principum & Rerumpublicarum maximopere intereſſe, ut Status vicini in Libertatibus,

tatibus, juribus & Privilegiis ſuis conſerventur, ne unus ita prævaleat, ut poſtea tractu temporis leges omnibus reliquis, etiam iniquas, pro lubitu imponere posſit, iis notisſimum eſt, qui res politicas vel ſummis labris guſtarunt ſaltem. At quid per hoſce quindecim annos in Germania actum, qua ratione una Domus Libertatem Noſtram opprimere, abſolutum dominatum apud Nos primum ſtabilire, & Monarchiæ univerſalis fundamenta ponere, quibus innixa reliquis quoque Regibus, Principibus & Rebuspublicis graves eſſe eosque deſideriis ſuis implicare posſit, conata ſit, nemo, quam qui omnia, ignorat.

Hiſce gravisſimis argumentis inter cætera, quæ plura enumerari poſſent, Sereniſſimus, Potentiſſimus & Glorioſiſſimus quondam Suecorum Rex beatiſſimæ memoriæ, Guſtavus Adolphus, motus, arma expedivit, ut libertatem Noſtram & omnium vicinorum ſecuritatem vindicaret. Poſtquam autem arcano omnipotentis conſilio ipſius Regia Dignitas & Majeſtas, pro omnibus pugnans, egregie vincendo occubuit, æternum triumphatura, noſtrum eſſe duximus, nobis ipſis non deeſſe, veſtigiis bene monſtratis inſiſtere, libertatem ſtabilire, oppreſſos reſtituere & quantum in Nobis ſecuritatem præſtare. Hac igitur de cauſa in Urbe Imperiali Hailbrunn convenimus, & quod non ſolum ipſi juſtum & neceſſarium duximus, ſed etiam ad id a Regibus, Principibus & Rebuspublicis amicis, & inter illos etiam a Regia Dignitate & Majeſtate Veſtra per Legatum ipſius, generoſum Equitem, Dominum Robertum Arbſtruder adhortati fuimus, in nomine

certiorem reddamus. Primum, quod attinet benevolentiam, quam Regiæ Veſtræ Dignitatis & Majeſtatis dictus Legatus nobis obtulit per conſilium ſalutare, quod Nobis dedit, quodque ipſi unicum ſalutis Noſtræ medium eſſe judicavimus, Nos autem Regiæ Dignitati Veſtræ & Majeſtati obligatos, pluribus adhuc eidem obſtrinxit, & ad gratias ingentes, quas etiam hiſce agimus, pro ſolicitudine & affectu ſingulari in nos devinxit; quanquam jam ante vidiſſemus, Noſtram ſalutem & omnium Vicinorum Noſtrorum ſecuritatem a Nobis conjunctionem animorum & virium tam inter Nos, quam cum inclyta Sveciæ Corona, poſtulare; tanti tamen Regis, patriæ Noſtræ amicisſimi, adhortatio, nos jam currentes, non leviter impulit. Quod ergo ſecundo loco dicendum, in nomine individuæ Trinitatis fœdus, cujus exemplar Dignitati Veſtræ Regiæ & Majeſtati transmittimus, ſanxivimus, ad nullius, præſertim pacifici, offenſionem & ad ſecuritatem vicinorum, quorum æque Noſtri intereſt, nos ſubſiſtere; nam acta proxime elapſorum annorum in bello Mantuano in ſeminibus diſcordiarum per Helvetiam ſeminatarum, in aliis machinationibus ſatis ſuperque demonſtrarunt, cupiditatem dominandi hoſtis, terminis Patriæ Noſtræ non coërceri, ſed adumbratam Monarchiam univerſalem ad vicinos Noſtros etiam ſpectare, cupereque hanc Domum ſuper ruinas libertatis Noſtræ fundamenta ſtruere, quibus innixa, reliquos etiam Reges & Respublicas tanto facilius evertat. Et Gallia ipſa aliquot abhinc luſtris experta eſt, quo Hiſpania tendat, & quod Deus avertat, ſi nos hoſtis ſuperaſſet,

etiam

etiam tunc experiretur. Tertio invitavit Nos Illuſtris Dominus Fequieres, ut intraremus in fœdus, quod Regia Veſtra Dignitas & Majeſtas cum Corona Sueciæ renovavit; ſed cum minima pars Noſtrum præſens adeſſet, & abſentes Deputatos ſuos ſolummodo miſiſſent, non aliter inſtructos, quam ad tractandum de iis ſaltem articulis, qui in Literis, per quas convocati fuimus, continebantur, tum nihil concludi potuit, inopia mandatorum. Interim in conſeſſu noſtro nihilominus fœderis iſtius articuli propoſiti fuerunt, cumque maximam partem æquos & bene poſitos eſſe agnoſceremus, & in ſexto non dubitaremus, Regiæ Veſtræ Dignitati & Majeſtati eam eſſe mentem, ut velit Statibus proteſtantibus omnia & ſingula jura, quæ iis vel jure Magiſtratus, vel vi & reſpectu territorii aut ſuperioritatis, tam circa eccleſiaſtica, quam Politica competunt, ſalva, integra & illibata manere, & perſuaſum Nobis ſit, Regiam Veſtram Dignitatem & Majeſtatem non permiſſuram, ut ex Regno ſuo, vel ex vicinia hoſtes noſtri, neque directe neque indirecte, juventur vel ſupportentur, & demum ſperemus, eam hoc belli difficillimi tempore, cujus ſumptus, quam immenſi ſint, ſatis novit, ut quæ ipſa bella maxime geſſit, nos ſubſidio nummario eſſe juvaturam, cognitum habens, quanto minori cum damno ignis in ædibus vicini, quam in propriis extinguatur, tanto minus abſentium Legati dubitarunt, Dominos & Principales ſuos huic fœderi, ubi per Literas Dignitatis Veſtræ Regiæ & Majeſtatis edocti fuerint, eos in his non errare, lubenter ſubſcripturos.

Quod reliquum eſt Dignitati Regiæ Veſtræ & Majeſtati omnia felicia & proſpera optamus & illam curæ Omnipotentis Dei commendamus. Dabantur Haylbrunnæ 26. April. 1633.

Per Veſtræ Regiæ Dignitatis &
Majeſtatis Obſervantiſſimos &c.

LXXXI.

Litera GEORGII II. Landgravii Haſſiaco-Darmſtadienſis, vigore quarum CAROLO I. Angliæ Regi exponit, illam jurisdictionis partem, quam ſecum Elector Palatinus in Oppidum Umbſtadienſe habuiſſet communem, ſibi ab Imperatore, in compenſationem damnorum ditionibus Haſſiacis per milites Palatinos illatorum, adjudicatam eſſe, atque abs eo enatæ inter ſe & dictum Electorem hac de re controverſia æquis & amicæ transactionis conditionibus tandem decidatur, aſſidue flagitat, 1633.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Conſanguinee, ſumma obſervantia colende.

NOn dubitamus, quin Regiæ Veſtræ Serenitati abunde ſatis conſtet, quantum exercitum Cæſareæ Majeſtatis accitu & auſpiciis, Marchio Ambroſius Spinola, Circuli Burgundici Archiſtrategus, anno M. DC. XXI. in Palatinatum inferiorem duxerit, quamque brevi temporis ſpatio pleraque loca munitiora, tantoque magis alia, citra & ultra Rhenum, in poteſtatem ſuam redegerit: ne quidem illis locis parcendo, quæ Domino Palatino Ele-

Digitized by Google

Electori non in solidum propria, sed cum vicinis Principibus aliisque immediatis Statibus Imperii communia fuerunt. Unde contigit, ut non minus alii in communione constituti, a bello isto alieni, in præliis illis affligerentur, quam qui tanquam belli autor petebatur, ipse Dominus Elector Palatinus.

Est oppidulum in parte Sylvæ Hercyniæ, Ottonica dicta, nomine Umbstadium, cujus possessio Principibus Hassiæ Landgraviis, jam ab annis amplius centum, cum Domino Palatino Electore communis erat. Verebatur Dominus Parens noster, inclytæ memoriæ Ludovicus Hassiæ Landgravius, ne illud, quia planum est, & immunitum a Cæsareo & Hispano exercitu, interciperetur, & eodem modo quo alia loca, cum Domino Palatino communia, infestaretur. Ipsi etiam subditi & incolæ, supplices Domino Parenti nostro facti, enixissimis precibus contendebant, ut se universos in protectionem suscipere, & eripere his malis ingruentibus vellet. Quibus vota sua Consiliarii Electorales in Regimine Heidelbergensi accommodantes, egerunt cum eodem Domino Patre nostro, ut Umbstadium cum suis attinentiis, veluti ex parte ad se spectans, in suum Patrocinium ac Clientelam ex toto suscipere acquiesceret. Id quod & factum est; atque ita Umbstadiani cives & subditi, tanto periculo liberati, secure sub alis tum dicti Domini Parentis, tum nostris exinde usque huc degentes, salutem omniaque commoda sua, Nobis accepta esse ferenda, ultro fatentur. Quorum securitate suisque propriis afflictionibus stimulati, alii quam pluri-

plurimi Palatinatus ſubditi, relicto patrio ſolo, tanquam ex tempeſtate quadam in noſtris provinciis ſeſe ſubduxerunt, quos ceu profugos ac miſeros in luctu & lamentis jacentes exules, jure communi humanitatis, Dominus Parens noſter recepit, ac benefice clementerque habuit: nec minori poſtea commiſeratione & amicitia Nos ac ſubditi noſtri eos tractavimus. Cujus beneficii Palatini ſubditi adeo non immemores erant, ut nonulli ex ipſis, ſuæ gratitudinis ſpeciem, etiam lacrymis profeſſi fuerint. Quin & ipſe Dominus Palatinus literis ad Nos, Haga, repetitis vicibus perſcriptis, eo nomine gratias Nobis non exiguas agendas putavit. Durantibus autem illius belli indies magis magisque ingraveſcentibus motibus, & jam ante, id apprime ſibi faciendum rebatur Dominus Parens noſter, ut in omnibus ſuis actionibus & negotiis ambularet circumſpectiſſime, neve quidquam, cujus ipſum pœnitere unquam poſſet, committeret. Et cum pacis ac tranquillitatis amantiſſimus fuerit, belligerantium armis ſeſe haudquaquam immiſcuit: Verum medius inter utrosque manens, conſiliorum & actionum ſuarum ſtudia eo unice intendit, ut ante rerum omnium ruinam, huic exitioſo bellorum incendio meta præſtrueretur, partes diſcordantes ex æquo compoſitæ Sacræ Cæſareæ Majeſtati conciliarentur, utque ſublatis tam ærumnoſi belli ac ingentium confuſionum malis, ex fatali quaſi rerum occaſu, publicæ quietis & priſtinæ concordiæ vigor refloreſceret.

Quæ pientiſſima Principis ſollicitudo, ut pleriſque moderatis hominibus, omni laude digniſſima

Digitized by Google

ma visa fuit : ita præter spem atque expectationem, non leves invidiæ stimulos apud nonnullos conciliavit, ægre ferentes, quod isto tempore Dominus Parens noster pacis cultor, quod quietis cupidus, quod salutis Patriæ amans, legum Imperii fundamentalium observans, ac a partium studiis alienus esset, neque Regiæ Vestræ Serenitatis Sororii, Electoris Palatini, Domini Friderici V. factum, quo sese motuum Bohemicorum participem reddidit, coronamque Regni Bohemici controversam, & maximis periculis obnoxiam, sibi imponi, tantamque inde belli molem Patriæ inferri sustinuit, approbare, aut Confœderationi inter nonnullos Principes initæ nomen dare voluerit. Qua tamen in re non tam constans suæ mentis consilium, quam præter Regiæ Vestræ Serenitatis Domini Parentis, Magni illius *Jacobi*, gloriosissimæ & felicissimæ recordationis, prudentissimum judicium, etiam Serenissimi Domini Electoris, plurimorumque Evangelicorum Saxoniæ Superioris & Inferioris Principum, nec non aliorum Imperii Procerum atque Ordinum exempla sequebatur. Neque vero solo odio res constitit Domino Parenti nostro, Principi integerrimo, optimeque de Regiæ Vestræ Serenitatis Sororio, Domino Electore Palatino, ipsiusque subditis merito, utpote quos profugos tam benigne, ut supra commemoravimus, susceperat, ac re auxilioque adjuverat ; sed pro tanto salutis publicæ studio, pro benemeritis istis, hæc ei gratia relata fuit, ut exitium ei excidiumque totique suæ Domini Hassiacæ Darmstadianæ subito & præter omnem expectationem

inten-

intentaretur: Provinciæ & terræ ejus pacatæ atque inermes, præsente ipso Domino Friderico Palatino, sub specie amici & innoxii transitus, invaderentur, inque illis passim incendiis, cædibus, rapinis, expilationibus aliisque horrendis malis sæviretur. Nam & oppida habitatoribus evacuata, villæ eversæ, ipse Dominus Parens cum dilectissimo fratre nostro secundo genito in captivitatem, violato hospitalitatis & omnium gentium jure, Manhemium, Palatinatus fortalitium, abductus; summatim omnia insolentiarum & crudelitatum genera edita. Quod tamen omne Regiam Vestram Serenitatem malumus ex adjuncta succincta delineatione, quam ex nostris verbis, sine acerbissimo animi dolore non commemorandis, cognoscere. Damna autem in hac injustissima invasione Domino Patri & Subditis illata, ut post inquisitionem factam apparuit, ad multa centena aureorum millia, (thonnas auri appellant) computata fuere: quorum aliqualem saltem reparationem & retributionem Dominus parens noster citra tacitam Injustitiæ approbationem, salvaque sua Principali existimatione, negligere nec potuit nec debuit. Hoc enim jure in Imperio Romano Germanico, Legibus Comitialibus & Constitutionibus, communi Imperii Ordinum consensu introducto, sancito & confirmato utimur, quod etiam ubivis gentium obtinet, ut damna, quæ quis in bello intestino medius ac Neutralis existens, absque culpa passus est, ab eorum autoribus & suapte sponte resarciantur, vel si ii, qui damna dederunt, ea restituere tergiversentur, per viam juris ad ea recompen-

san-

Digitized by Google

ſanda compellantur, utque quilibet correus in ejus generis commiſſis, poſſit in ſolidum pro tota ſumma conveniri, usque dum læſæ parti ſufficienter ſatisfiat. Itaque querimonia ad Cæſaream Majeſtatem & Electores, Delegatosque Ordinum Imperii, in conventu Ratisbonenſi anno M. DC. XXIII. congregatos, a Domino Parente noſtro ibidem præſente delata, par & æquum Supremo Imperii capiti & Electoribus, nec non aliis Principibus conſultis viſum fuit, ut damna eidem Domino Parenti noſtro illata, ab autoribus, Domino Electore Palatino, Comite Eiſenburgico (adverſus quem etiam rerum rite ac legitime judicatarum nobis autoritas aſſiſtit) aliisque reſarcirentur. Cum igitur, ut ſupra diximus, Umbſtaditum jam ante ex parte, ad Dominum Parentem noſtrum, ut Principem & Landgravium Haſſiæ, jure hæreditario ſpectarit, Palatinatus etiam in varias partes miſerrimis modis laceraretur & diſcerperetur, & Dominus Parens noſter enormiſſime a Domino Palatino læſus & damnificatus, metueret, ne ſe dormiente, & aliqualem reparationem damni negligente, alii vigilarent, locumve illum in jus ſuum acquirerent, ſibique hæredibusque ſuis Haſſiæ Principibus novæ moleſtiæ, ex nova communione accreſcerent: Præfecturæ Umbſtadianæ partem Palatinam, ſibi a Sacra Cæſarea Majeſtate, etiam damnorum iſtorum intuitu ultro oblatam, & jure hæreditario conceſſam, non ſpernendam ratus fuit, eamque confirmari, pactisque ſucceſſoriis inter Principes Saxoniæ & Haſſiæ contractis inſeri curavit. Hinc oppidulo Umſtadio, imminet Ottisberga, monta-

na quidem, ſed ruderoſa & ruinis oppreſſa domus, cui exilis pagorum numerus patet. Ejus tamen ſitus ita comparatus, Umſtadioque in tantum vicinus eſt, ut ſine adjuncta arcis Ottisbergicæ poſſeſſione, belli tempore, nemo unquam illius dominio libere & pacate frui poſſit. Ideoque & hanc præfecturam Ottisbergicam, ſane non magnæ alias æſtimationis, ſi territorium & reditus ſpectentur, Cæſarea Majeſtas Domino parenti noſtro contulit. Et harum quidem ſesqui-Præfecturarum Palatinarum (quas pie defunctus noſter Parens, ſibi hæredibusque ſuis Haſſiæ & confraternis Saxoniæ Principibus, ex cauſa jam dicta, adeoque jure conquiſivit) ea conditio eſt, ut extra Palatinatus fines ſitæ ſint, nec antiquitus ad eum, ſed ad Abbatiam Fuldenſem ſpectarint: terminos inſuper habeant ac limites, adeo anguſto terræ tractu, uniusque aut ad ſummum ſesqui-millaris Germanici circumferentia incluſos, ut annui ipſius proventus rariſſime octingentas aut mille libras Anglicanas æquent aut excedant. Has autem ſesqui-præfecturulas (ut eas ita vero nomine appellemus) uti ſine prævis a Domino Electore Palatino datis damnis, dictus Dominus Parens noſter, alieni nequaquam appetens, minime deſideraſſet: ita impares longe, imo vix decima parte pares ſunt, injuriis & damnis a Domino Palatino datis recompenſandis. Sed reſervavit Dominus Parens noſter actiones ſibi, propter ante dictas injurias & damna, omni jure debitas, & in Dominum Palatinum Electorem, ejusdemque hæredes jam tum quæſitas, nempe (1) ex Conſtitutionibus Imperii, ratione pœnæ pacis publicæ (2)

pro

pro damnis injuria datis, & (3) in commissum directum rerum Feudalium dominium competentes. Quæ actiones, quamvis morte Domini parentis nostri ad Nos, hæredem & successorem ejus devolutæ sint, & in Domini Palatini liberos, hæredes ac successores jure transierint, nihilominus tamen Dominus Administrator Ludovicus Philippus Comes Palatinus ad Rhenum, &c. iis non consideratis, aliquoties dictas sesquipræfecturulas a Nobis repetere & vindicare instituit. Et quamquam Nobis adsit jus quæsitum, nemini per vim auferendum, legitima item possessio autore Prætore, ex justa causa ad Dominum nostrum Parentem translata, posteaque ad Nos, tanquam successorem & hæredem, rite devoluta, nec non summa æquitate subnixum jus retentionis; tamen ad redimendam (quod dici solet) vexam, nullo ex debito, sed solo pacis amore pro bona vicinitate & amicitia inter tam conjunctos sanguine Principes, Domino Palatino Administratori, amicæ compositionis conditiones obtulimus, non æquitate solum plus quam justas, ac communem transactionum formam superantes, verum etiam tam Palatinæ, quam Hassiacæ Familiæ honorificas & salubres, quas schedæ hisce inclusæ exhibent.

Quamvis autem meliorem, de prædicto Domino Administratore, spem concipiamus, quam quod illis sese similem sit exhibiturus, qui viribus potius quam justitiæ causæ confisi, jus in armis positum habent, iisdemque magis quam jure experiri malunt. Attamen cum ad hunc modum, nec

ſequius hæc omnia ſe ſe habeant, neceſſarium eſſe duximus, ad Regiam Veſtram Serenitatem ea perſcribere; tum ut ei de re tota, deque toto hoc tractatu, quemadmodum ex vero a Nobis relatus expoſitusque eſt, conſtare poſſit; tum ut ſimul non modo de pii Domini Parentis noſtri, noſtrisque ipſius juſtis honeſtisque actionibus, verum etiam de ipſius cauſæ noſtræ juſtitia & oblationum Domino Adminiſtratori Palatino factarum æquitate, judicare ex æquo & bono queat. Sancte autem profitemur & teſtatum volumus, neque in hisce ad Regiam Veſtram Serenitatem datis literis, iisdemque adjecta factorum delineatione, neque alias Nos, ſponte aut ultro, multoque minus animo detrahendi quicquam honori ac exiſtimationi Domini Electoris Palatini, ipſiusque honoratiſſimæ Familiæ, (id quod a Nobis alieniſſimum eſt) ſed invitos plane ac demonſtrandi, tuendique juris ac juſtiſſimæ poſſeſſionis noſtræ cauſa, rerum harum, alias pro voto noſtro ſopiendarum, mentionem facere, eandemque longe lubentius intermiſſuros, niſi a Nobis ſesqui iſtæ præfecturulæ tam inſtanter, quaſi res ad Nos non jure pertinentes, poſtularentur, Regiæque Veſtræ Serenitatis auctoritas, ipſiusque Dominæ Sororis, tanquam reſtitutionem hanc deſiderantis, merita tamen cauſæ procul dubio ignorantis, enixa voluntas, tanquam obſtaculum quoddam amicabilis compoſitionis allegaretur. Non dubitantes, uti Regiæ Veſtræ Serenitatis beatiſſimus Dominus Parens, glorioſiſſimus Magnæ Britanniæ Rex Jacobus, in quadam ſua Epiſtola, anno 1622. memorabile hoc, & Rege

tam

tam juſtiſſimo, quam prudentiſſimo, oppido dignum judicium, de Domino Parente noſtro, rebusque hisce pronunciavit; *Nihil* nempe *æquius eſſe*, quam ut Domino Landgravio Ludovico, illatum damnum reſarciatur: Ita & Veſtram Regiam Serenitatem, pro æquiſſimo, multisque rerum lucidentiſſimis exemplis abunde cognito judicio, perſpecta cauſæ noſtræ juſtitia, exploratáque conditionum a Nobis oblatarum exuberante æquitate, Nos ſibi commendatos habituram, nec paſſuram, ut Nobis pacifico & quieto S. Imperii Principi iniquior conditio inferatur, aut is qui ſe, ſive juri in Sacro Romano Imperio recepto, ſive honorificæ & æquæ transactioni committere paratus eſt, per injuriam & vim ullo modo lædatur. Ideoque Regiam Veſtram Serenitatem officioſiſſime rogamus, ut autoritatis ſuæ auſpiciis, pro ſumma Regia ſua prudentia & æquanimitate, pro rei totius ex noſtra parte militante juſtitia, Domino Adminiſtratori Palatino ſuadere haud gravetur, quo hanc inter nos exortam contentionem, amicæ transactionis interventu expirare, quam ad majorem animorum exaſperationem devenire malit. Faciet certe Regia Veſtra Serenitas rem Deo pacis autori non ingratam, Regiarumque ſuarum virtutum laude digniſſimam, nec non Palatinis & Haſſiacis Principibus, territoriorum connexione ſibi invicem vicinis, ipſorumque poſteris ſalutarem. Quod reliquum eſt, Deum precibus veneramur, ut Regiam Veſtram Serenitatem longe in terris ſoſpitem eſſe, & cœleſti benedictionis rore adeo ubertim perfundere velit, ut Dominorum Anteceſſorum ſuo-

rum proſperitate felicior, florentiſſimam Regnorum trigam, ad ſummum divini Numinis honorem & immortalem gloriæ & laudum ſuarum famam, pacato ac fauſto regimine diutiſſime gubernet. Dabantur in Fortalitio noſtro Gieſſen, XXVI. Octobris, Anno æræ Chriſtianæ cIↃ DC. XXXIII.

LXXXII.

Litera AXELII OXENSTERNII, rerum per Proteſtantes in Germania gerendarum Directoris, ad LUDOVICUM XIII. Galliæ Regem, quibus nihil certi de Philippsburgo, ob cauſas ſat prægnantes, concludi & in Regii deſiderii ſatisfactionem ſtatui adhuc potuiſſe, exponit, 1633.

Serenisſime ac Potentisſime Rex,
Domine Clementisſime.

APpulit pridie a Sereniſſima Regia Majeſtate Veſtra ad me ablegatus, Prænobilis Dominus de Gournay, traditisque Serenisſimæ Majeſtatis Veſtræ Literis eam, quam Serenisſima Majeſtas Veſtra his incluſam reperiet, de Philippsburgo ore & ſcripto mihi Statuumque conſiliariis fecit propoſitionem. Juxta quam Serenisſimæ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Literas, qua par eſt reverentia accepi, imprimisque pro favore animique Regii teſtificatione in Patriam meam, ejusque confœderatos Serenisſimæ Regiæ Majeſtati Veſtræ humillimas gratias dicendas duxi. Ad rem quod attinet, nullus dubito Serenisſimæ Regiæ Majeſtati Veſtræ memoria excidiſſe, quæ ei ejusque ſecretioribus Dominis

minis Conſiliariis & primæ notæ Miniſtris a Sereniſſimæ Majeſtatis Dominæ meæ clementiſſimæ & Confœderatorum Legatis nuper e Gallia reverſis in hoc ipſo, quod ad Philippsburgum attinet, negotio, debita reverentia propoſita, ſolidisque rationibus ac circumſtantiis remonſtrata fuerunt: Nimirum ipſum Philippsburgum præterquam quod non multis abhinc annis & contra Imperii conſtitutiones & factam cum nonnullis Electoribus Principibus & Statibus Imperii conventionem inſigni Statuum & cauſæ comunis præjudicio, forſitan & figendo Dominatui Hiſpanico in ſuperiori Germania pedi, contra jus fasque in vallum & propugnaculum ſurrexerit, non tantum vi pactæ cum Sereniſſima Regia Majeſtate, Domino meo quondam clementiſſimo, Sacratæ memoriæ, Neutralitatis ab Reverendo Elector Trevirenſi ex hoſtium manibus juſto tempore non ereptum, ſed neque poſt glorioſiſſimi Regis mei fata cum Corona Sueciæ ejusque Confœderatis de ulla Neutralitatis reaſſumtione aut renovatione quicquam unquam actum tentatumque fuiſſe. Qua contraventione lentaque ac deſtinata cunctatione, quoniam factum, ut interim hoſti rebus ſuis conſulere liceret, & viribus, animo, commeatu ita creſcere, ut inde vicini præſertim Electores, Principes, Status, totaque circum Regio in immenſas difficultates prolaberentur, usque adeo, ut Confœderati occupato Palatinatu de Philippsburgo, ratione Status & belli neceſſitate, milite & obſidione cingendo commeatuque præbendo, labore ſumptuque maximo & non æſtimanda viciniarum devaſtatione conſilium inire

coacti fuerint. Hinc ſpem mecum certiſſimam ſibi fecerunt Confœderati, fore, ut Sacra Majeſtas Veſtra, eas, quas tam ultimo hac in urbe conventu, quam poſtea per ipſorum Legatos Sacratæ Majeſtati Veſtræ repræſentarunt conſiderationes, non tantum ut juſtiſſimas & ſufficientes, ſed & cauſæ communi utiliſſimas acciperet eisque clementiſſime acquieſceret, eoque magis, quid capto forte a Noſtris munimento, ne Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ Regnove Galliæ aut cauſæ communi quicquam inde incommodi aut periculi reſultaret, mihi ac Statibus ante omnia ſtudio propoſitum fuerit. Sed cum tam e dictorum Dominorum Legatorum datis e Gallia ad me literis, quam a Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ ad Aulam Sacræ Majeſtatis Veſtræ Reſidente Ordinario, noviſſime vero adventu Dominorum Legatorum eorumque relatione Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram non penſatis rationibus & fundamentis Noſtris licet prægravibus, priori inſtantia expeditis de Præſidio in Philippsburg immittendo, certis tamen oblatis conditionibus etiamnum inſiſtere intellexerim. Ideo Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ, per ea quam ei me debere agnoſco ſtudia humillima obſervantia ſignificandum duxi, eam nunc eſſe & Sacræ Suæ Majeſtatis Dominæ meæ Clementiſſimæ Patriæque meæ Regni Sueciæ, non minus quam meam & cæterorum conſilii formati mentem ac intentionem, ut de Sacra Regia Majeſtate Veſtra ac Republica quam optime mereri ex animo cupiant, adeoque nihil æque in votis habeant, quam ut Sacræ Majeſtatis Veſtræ deſiderio etiam in præſenti

nego-

Digitized by Google

negotio ſatisfaciendi copia viresque ſuperfuiſſent. Verum cum ea res tanti momenti atque univerſi Confœderatorum Ordinis quam maxime interſit, ut qui ultimo conventu ad ulteriora, quam quæ Legatis ad Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram in mandatis dederant, prægnanti rationum motu condeſcendere non potuerunt, exſpectaturi deſuper, quid apud Sacram Majeſtatem Veſtram efficerent Legati. Eadem quoque ratio eſt, cur mihi conſilioque Statuum formato non habita prius cum fœderatis omnibus & ſingulis nova deliberatione fines mandati & legationis Noſtræ, ſine gravi culpa egredi, atque Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ Noſtrum gratificandi animum, utut maxime vellemus, hac in re probare hactenus non liceat. Quo tamen Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ meam juxta & Conſilii formati erga ipſam ad paratiſſima obſequia promptitudinem revera demonſtrarem, & ipſo momento, quo Prænobilis ac Magnificus Vir Dominus Jacobus Löffler Sacræ Regiæ Majeſtati & Coronæ Sueciæ a Conſiliis ſecretis & per Germaniam Vicecancellarius, nec non Ducis Würtembergenſis intimus Conſiliarius & Cancellarius ad me ex Gallia redux, quid apud ſacram Regiam Majeſtatem Veſtram hoc in negotio peractum ſit, plena relatione patefeciſſet, in animum induxi generale denuo Confœderatorum conſilium ad neceſſariam, tam hujus rei, quam aliarum ſummi momenti deliberationem, quam fieri poteſt ocyus, convocare, eoque rem omnem dirigere, ut dicti Conventus Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ juſto tempore facta ſit notificatio, atque inter alia etiam certa de

Philippsburgo resolutio, ac inde quanto studio Confœderati communem causam mecum persequantur, quantoque affectu Sacræ Regiæ Majestati Vestræ, Regnoque Galliæ sint addicti, omnibus liquidissimo argumento esse possit. Proinde Sacram Regiam Majestatem Vestram humiliter requisitam volo, ut hanc meam & consilii formati, non nostra voluntate aut composita mora, sed mandati potestatisque defectu causatam excusationem non sinistre interpretari, sed regia eaque prudentissima dijudicatione, quaque solet humilitate ac clementia, accipere, ac de cætero secura esse velit. Quod si sæpedictum Philippsburgum de deditione interim agere, aut quocunque modo in Confœderatorum manus transire contingat, omnia nihilominus in antiquo mansura, nec ante Confœderatorum conventum quicquam, quod inde in Sacræ Majestatis Vestræ Regnique Galliæ præjudicium vergere, aut juste ei displicere possit, me permissurum, quin potius summo studio curaturum esse, spondeo, ne hostium suppetiis cis-Rhenum liberare, aut Hispanica signa Vallo suo figere possit Philippsburgum; quod autem hosti factu difficilius erit, si Sacra Regia Majestas Vestra, si, quacunque tandem via Mosellæ transitum Hispani paraverint, ibidem victoriosum suum militem opponi, prorsusque a citeriore fluminis ripa eos prohiberi jusserit. Itaque Altringeri, Feriæque Ducis inclinantes vires utroque, non sine jactura suorum, superiorem Bavariam petente protinus infringere, Nostrorum vero felices hucusque divina Benedictione in Bavaria inferiore successus,

cura

cura & potentia ſua Regia porro adjuvare velit. Quod ut Sacra Regia Majeſtas Veſtra regio prorſus & nunquam ſatis laudando zelo ſumma cum gloria hactenus teſtata eſt; Ita Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram hanc meam excuſationem citra ullam ſuſpicionem aut Regii animi alienationem clementiſsime ſuſcepturam deque Reipublicæ cauſa meliori & ſalute univerſali, Eandem quam optime merituram eſſe confido, quibus ut potenti Deus dextra, publico orbis Chriſtiani bono, benignius aſpiret, voveo, & Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ me ad conſtantiſsima obſequia humiliter devoveo. Datæ Francofurti die 15. Decembris 1633.

LXXXIII.

Literæ VLADISLAI IV. Regis Poloniæ, ad AMURATHUM IV. Imperatorem Turcarum, querelas ob læſam a Turcis pacis ac fœderum ſanctitatem in ſe continentes, & firmioris ſecuriorisque pacis rationes commendantes, 1634.

Sereniſſime &c. &c.

POſtquam nuper in Regali ſolio inclytæ hujus Coronæ conſedimus, miſſis ad Sereniſſ. & Potentiſſ. Imperatorem, cæterosque vicinos Principes & amicos noſtros, teſtandæ amicitiæ, renovandique fœderis cauſa Legatis, ipſi, Deo auſpicante, contra Moſcos ſigna movimus, qui freti inimicorum noſtrorum auxiliis, rupto fœdere, bellum contra nos movebant, & Smolenſium arcem noſtram ſumma vi oppugnabant. Ubi ad primum noſtrum adventum arcem obſidione ſolvimus, & ipſum prope innumerum hoſtilem exercitum vi-

ctum obſeſſumque ad deditionem adegimus, caſtris, tormentis atque cætero bellico apparatu exuimus, ac demum prorogato felicis victoriæ curſu Moſcoviæ ſupplici hoſti pacem obtulimus, poſtquam tribus ingentibus Ducatibus ac Provinciis ceſſit, quos jure belli ac victoriæ Regno noſtro in perpetuum adjunximus: Quem quidem victoriarum noſtrarum curſum minime impedivit, rupta ex parte Serenitatis Veſt. pax, cum numeroſus Serenitatis Veſt. exercitus, Duce Machmet Baſſa Siliſtricen, violato ſacroſancto fœdere, infeſta ſigna in Regnum noſtrum intulit: Nam æquus fœderum cuſtos, vindexque Deus, ſicut Moſcos, eorum ruptores, armis noſtris domuit, ſic etiam Abbaſſæ conatus ita fregit, ut excedere Regno noſtro non ſine clade ac violatæ Pacis labe cogeretur. Cæterum idem Regnorum Præſes Deus opportunam nobis ex Moſcis dedit victoriam, ut nimirum illis debellatis, victrices copias noſtras ex ſeptentrione in Orientem tempeſtive, eodem Duce ipſo, verteremus; dumque jam victores redivimus, occurrit nobis in itinere Generoſus Selim Aga Nuncius Serenitatis Veſt. quem etſi pax erat, nec ſtatim ad Majeſt. noſtræ Thronum admitti, ſed eodem modo, quo Legatus noſter ad Portam Veſt. Serenit. tractari ſivimus, tamen id juri gentium dedimus gratæque ac perenni memoriæ clariſimorum Seren. Domus Ottomannicæ, Serenitatis Veſt. Majorum, qui noſtrorum amicitiam cæterorum Regum ac Principum amicitiæ ſemper anteferebant, factum, ut ipſi aditum ad Majeſtatem noſtram patere juberemus. Qui amica ſalutatione præmiſ-

ſa,

ſa, cum reliquam legationem ſe perſequi non poſſe, niſi lectis Serenit. Veſt. literis reſponderet, in aula vero noſtra Regia tunc nec Conſiliarii ſupremi aderant, nec is, qui literas legere & nobis exponere poſſit, juſſimus eum iter nobiſcum Varſaviam uſque perſequi, qua in urbe frequens nos Senatus & publicus Procerum Regni conventus præſtolabatur. Itaque ſtatim ut Varſaviam venimus, legi nobis literas Serenit. Veſt. mandavimus, in quibus recte Serenit. Veſt. commemorat, Nos adepto, poſt divum parentem, noſtro Regno voluiſſe per legatum ea de re certiorem Seren. Veſt. facere, ac ſinceram amicitiam, quæ inter Majores utriusque noſtrum tot ſeculis floruiſſet, teſtari pacisque fœdera ex formula antiquorum pactorum renovare unaque Abaſſam incuſaſſe, qui eadem fœdera ducto in Regnum noſtrum infeſto exercitu violaſſet. His adjungit, ſibi eundem animum eſſe amicitiæ colendæ, pacisque tuendæ, qui Sereniſſ. Majoribus ſuis fuiſſet, gratoque animo complecti ſtudium noſtrum, quod per literas & Legatum noſtrum Serenitati Veſt. aperuimus redintegrandæ pacis, renovandique fœderis ex formula pactorum cum invicto Imperatore Sultan Soliman ſancitorum. Verum etſi Serenit. Veſt. iisdem literis ſuis atque etiam per ipſum, qui eas tulit, Selim Agam omnia amica & parata Nobis, Regnoque Noſtro polliceatur: In re ipſa tamen omnia hoſtilia ex parte Seren. Veſt. geruntur; Nam præterquam quod Abaſſa Baſſa Pacis fœdera hoſtiliter violaverit, Legatum etiam noſtrum ad portam Seren. Veſt. contra gentium fœderumque jura & vetuſtum morem, non ſtatim admiſit, demum-

mumque procuravit, ut is admiſſus auditusque ſine reſponſo & debito Magnorum Regum Legatis honore dimiſſus ſit. Tartari etiam aliquoties in ditiones noſtras, qui ferro & igne eas vaſtarent, immiſi, non Amicitiam ac Pacem, quam Serenitas Veſt. offert, ſed hoſtilitatem oſtendunt, & quamquam illi magna ex parte a copiis noſtris cæſi ac repulſi ſint, omnia tamen præterea illinc hoſtilia nobis nunciantur, Bellum contra nos edici ac proclamari, exercitus ſcribi, & per Danubium in Moldaviam Valachiamque trajici. Quibus etſi minime permoveremur, utpote Deo, cauſæ æquitate, victricibusque armis freti, tamen mirari jure debemus de pace & amicitia a Seren. Veſt. ſcribi, contra pacem & amicitiam agi. Quanquam non tam Nos Seren. Veſt. incuſamus, quam eos, qui privati commodi ſui cauſa, bellum contra nos concitant, quique per hanc viam non tam nos, quam Serenit. Veſt. non ſecus, ac Sereniſſ. fratrem veſtrum perdere volunt, ea ad aures Serenit. Veſt. per ſummam fraudem deferendo, quibus pacem & tranquillitatem publicam turbent, & Serenit. Veſtram rupti fœderis atque jurisjurandi obnoxiam reddant. Nam, quod queruntur Ducem & exercitum noſtrum prius in Valachiam, quam Abaſſan Baſſam in ditiones noſtras intraſſe, id, tametſi verum ſit, ſi tamen cauſam hujus rei Serenitati Veſt. expoſuiſſent, facile Serenitas Veſt. pro innata prudentia & æquitate judicaſſet, nos ea in parte omni culpa vacare. Exercitus noſter Tartaros, qui Regni noſtri ditiones proxima æſtate igne & ferro vaſtaverant, in Valachiam fugientes ſecutus, ipſis quidem

Digitized by Google

dem prædam & captivos eripuerat; cæterum ſine damno & noxa Valachia excesſit, idque defenſionis juſtæ ac licitæ rei, non offenſionis ac hoſtilitatis erat; Quod vero de Caſtellis ſeu Palanchis intra limites Serenitatis Veſt. extructis ad Serenit. Veſt. deferebant, id, quam impudens commentum eſſet, etiam Serenitati Veſt. innotuit, cum nullum omnino intra fines ditionum Seren. Veſt. reperiatur, & ea, quæ ad limites noſtros extructa ſunt, magis paci tuendæ quam hoſtilitati alendæ ſerviant; ut ea de re Illuſtr. Caſtellanus Cracovienſis, Magnus exercituum Dux, Serenitatem Veſt. edocuit: Immerito etiam ac inique pacis oſores Koſacorum in mare incurſiones apud Seren. Veſt. exaggerant, cum ſatis conſtet a nobis & Ducibus noſtris hanc colluviem, ex omnibus fere gentibus collectam & latrociniis deditam ſæpius armis caſtigatam, quodſi autem nunc ad officium & obſequium redacti non ſint, per Tartaros ſtetit, qui incurſionibus ſuis & duces noſtros avocabant, & eandem colluviem augebant, dum incolas & Ruſſiæ & Poloniæ, vaſtatis eorum agris, igneque abſumptis eorum villis vitam Koſacorum capeſſere cogunt. Hæc aliaque per ſummum dolum apud Seren. Veſt. illi incuſant, qui non minus ſunt ipſi Serenit. Veſt. quam nobis inimici. Implicari enim illam bello, contra fas, æquum, juraque divina ac humana ſuſcepto, volunt, eundem ipſius ſucceſſum ſperantes, qui præteriti belli fuiſſet. Neque vero alium quis ſperare poſſit, cum experientia tot ſeculorum conſtet, diſplicere Superis bellum intra has Gentes, illasque ideo ſuccumbere, quia belli cauſam violato fœdere dederunt,

derunt. Quod Sapientisſimi Serenitatis Veſt. Majores probe expendebant, eaque de cauſa, licet victricia arma per orbem Terrarum circumferebant, Regno tamen Poloniæ abſtinebant, injecta animis eorum hac religione, Domum Ottomannicam tamdiu incolumem ac florentem fore, quamdiu Amicitiam & Pacem cum Regibus & Regno Poloniæ coluerint. Quamobrem Serenitatis ſuæ intereſt, ut videat, quibus credat fidatque, neque ſe fallacibus commentis, conſiliisque a vetuſta amicitia, fœderibus ac Majorum ſuorum veſtigiis abduci patiatur. Nos vicisſim nec pacem priſtinam aſpernamur, nec bellum pertimeſcimus, cujus ſucceſſum Deo committimus, quo aſpirante nuper fœderum violatores debellavimus. Proinde ſi Serenitati Veſt, cordi erit amicitia quæ inter Majores Noſtros perennavit: Nos æque ſtudioſos ipſius experietur, dabimusque operam, ut & Tartaris, ſi ſe ex præſcripto geſſerint, ſolitum ſtipendium exſolvamus, & Koſacos in officio contineamus, ac ab incurſionibus in ditiones Seren. Veſt. arceamus. Cæterum, ubi ea in parte mentem Seren. Veſt. exploratam habuerimus, reque ipſa amicum Ejus animum cognoverimus, renovandi fœderis rationes ſincero animo amplectemur, & bonæ Vicinitatis, Pacis, amicitiæ jura cum Serenitate Veſt. conſtanti fide tuebimur, modo deinceps ſecurioris ſtabiliorisque pacis ratio ineatur, quam hactenus fuit, quando illam levisſimorum hominum fraudulenta machinatio pro libitu ſurripere voluit. Malunt nimirum ſani Principes apertam hoſtilitatem, quam fluxam ac ad quemvis ventum mutantem pactorum fidem;

Digitized by Google

fidem; Reliqua Serenitati Veſt. Selim Aga coram ſupplebit, quem ſalvum & incolumem, quamprimum potuimus, ad Serenitatis Veſt. remiſimus. De cætero Serenitati Veſt. diuturnam incolumitatem a Deo precamur. Datum Varſaviæ 24. Julii 1634.

Vladislaus Rex.

LXXXIV.

Literæ CHRISTINÆ Suecorum Reginæ ad JOHANNEM GEORGIUM I. Saxoniæ Electorem, quibus eum de pace, quam ſe inſcia ac inconſulta, nec condigna Dignitatis ſuæ ratione habita, cum Imperatore Ferdinando II. Pirnæ (Pragæ) *compoſuiſſet, objurgat, aliarumque injuriarum accuſat, 1635.*

NOs CHRISTINA, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Deſignata Regina & Princeps hereditaria, Magna Princeps Finlandiæ, Ducissa Eſthoniæ & Careliæ, Ingriæque Domina, Celſiſſimo Principi, Affini, Conſanguineo & fœderato Noſtro charisſimo, Domino Johanni Georgio, Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archi-Mareſchallo & Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burggravio Magdeburgenſi, Comiti Marchiæ & Ravensburgi, Domino in Ravenſtein &c. ſalutem & proſperitatem. Celſiſſime Princeps, Affinis, Conſanguinee & Fœderate charisſime! Quam arcta fœderis neceſſitudine Divus Parens Noſter, inclutæ recordationis, Dilectioni Veſtræ devinctus fuerit

&

& quam ſancte ſincereque eam ſemper coluerit, id cum pacta publica cæteræque heroicæ actiones ſuæ, tum ea, quæ extremo Dilectioni Veſtræ, etiam cum morte ſua præſtitit officia, luculenter teſtantur. Neque enim chartis tantum illita vel æreis inciſa tabulis, ſed Orbis terrarum conſcientiæ, regio plane ſanguine inſcripta ſunt. Nos quidem prout in Regium ejus thronum, ita in eandem quoque voluntatem conſiliaque ſucceſſimus: nec poſt glorioſum ſuæ Majeſtatis deceſſum, quidquam in nobis deſiderari paſſæ ſumus, quod ad eandem excolendam augendamque ullo modo conducere poſſe viſum fuerat. Quando enim ipſæ per ætatem ſexumque a parium præſtatione excluderemur, Legatis & Ducibus in Germania Noſtris ſemper mandavimus, ut paternis veſtigiis preſſe inhærentes, a partibus Dilectionis Veſtræ cæterorumque fœderatorum maſcule ſtarent, donec finis fœderis univerſalis, honeſta, ſecuraque Pax tandem forent. Et quanquam exercitus annonæ pabuloque interdum ex agricolarum voto, minus parcere potuerint, ac per hoc alicubi ſubditorum querelas cauſati forte fuerint (novit enim Dilectio Veſtra talia omnia bellorum incommoda rectiſſime) in militaribus tamen officiis, me minimam quidem eos alienæ ſuſpicionis anſam dediſſe, quin potius ita ſe in cunctis erga Dilectionem Veſtram geſſiſſe perſuaſum habemus, ut, ſi nihil gratiæ & favoris, certe nec odium vel hoſtilitatem ullam meruiſſe ſperemus.

Quod cum ita ſit, non poteſt non grave & acerbum

Digitized by Google

bum Nobis accidere, quinimo nec vel intelligere vel mirari poſſimus, quo ex fundamento proveniat, quod de die in diem contraria fere omnia experiamur. Parum fortaſſe videri poſſet, Pirnenſem Pacem, præter expreſſiſſimas fœderis tabulas, nobis inſciis & inconſultis, factam eſſe, ſi condigna Noſtri ratio in ea habita fuiſſet. Etſi enim Nos etiam, ut magnam belli partem ſaltem per Legatos eidem interfuiſſe, par erat, communi tamen tranquillitati hunc quoque defectum facile condonaſſemus, modo ipſa pacis ſubſtantia in cæteris non fuiſſet neglecta. Nunc cum adverſum Nobis fœdus potius, quam ullam pacis umbram continere dicatur, atque ut res inter alios acta, Nos minime obliget: qui fieri poteſt, ut absque prævia vel extenſione vel reſtrictione, atque ita ulteriori tractatu, eidem ſalva exiſtimatione Regia ſubſcribamus? Certe ſi vel Dilectio Veſtra ea de re Nobiſcum decenter tractaſſet, vel ſaltem pati voluiſſet, ut cum Imperatore ipſo uberius ageremus: æquiori forte animo cuncta ferrentur. Sed cum neutrum horum hactenus admiſerit: quin ipſa de facto procedat, & alieni actus præjudicia, Nobis vel invitis obtrudere contendat; quæ poterit æquanimitatis demiſſio ſuadere, ne non jure queramur, plane indigniſſime haberi merita Noſtra. Ac tametſi hæc omnia quocumque prætextu in Dilectione Veſtra excuſarentur; Illud tamen omnino non videmus, qua Juris ſpecie veletur, quod percipiamus etiam cæteros, tum Principes & Ordines Imperii, fœderatos Noſtros ad fœderum rupturam

ſtimulari, tum Legiones Noſtras Germanicas ad ſacramentorum violationem & nefaria in Nos arma vertendum tantopere ſollicitari & impelli, ut niſi de candore gentis perſuaſum haberemus, neminem hactenus Germanis ambitioſius fidem coluiſſe, non immerito de plurimorum conſtantia dubitari poſſet. Quicquid autem hoc totum ſit, quam primum ejuſmodi conſilia agitari, & Dilectionem Veſtram armata in Noſtros manu movere perciperemus, confeſtim juſſimus, ut quousque par eſſet, cedendo, conſiliis prius omnia, quam armis experirentur; nec facile committerent, ut juſtiſſima in hunc diem ſigna Noſtra, niſi valde lacesſita, ullius fœderati cruore temerarentur. Ceſſiſſe etiam per aliquot Principum territoria intelleximus, donec ipſo etiam albi tranato, nihil ultra præter mare eſſet, quo cederent: quando continua exercitus Veſtri perſecutione, neceſſariam tandem defenſionem præſtare, eamque, quæ per obſidionem Domitzii eis intendebatur, propulſando cladem avertere coacti ſunt. Quæ, quamvis juſta Numinis vindicta, in propria auctorum capita reciderit; magnopere tamen dolendum eſt, amicitiam, fœdusque Evangelicum ejusmodi cataſtrophe maculari. Videre enim tanquam in ſpeculo Nobis videmur, quam rideant in ſinu ſuo communes adverſarii Noſtri, tam belle ceſſiſſe artes ſuas, ut jam exultabundi cernant Evangelicos ipſos inter ſe commiſſos reciprocante clade in propria viſcera ſævire, atque ita mutua attritione vix diu emanſuris æmulorum direptionibus velut ſponte ſeſe adaptare.

Quæ

Quæ universa, cum diu non possint absque Dilectionis Vestræ & mutuorum Consanguineorum Nostrorum, quorum penates belli jam moles involvit, ruina, ac irreparabili Reipublicæ Evangelicæ detrimento continuari: per communia eam sacra obtestamur, ne tam periculosis consiliis se amplius circumduci patiatur; sed mentem animumque serio sinceræ honestæque Pacis tractationi tandem adjiciat. Quod si fecerit eoque Nos respectu habuerit, quo Reges exteros Regnaque tractari, publica Imperantium Majestas postulat: per Nos minime stetisse videbit, quo minus sua Germaniæ Pax optata brevi refulgeat; quemadmodum ab Illustrissimo Domino Axelio Oxenstirna, vel in ejus discessu a cæteris cum potestate substitutis Legatis Nostris, & Dilectio Vestra & cæteri omnes, quorum interest, pluribus intelligetis. Sin vero propudioso infidarum conditionum objectu necessitas Nobis imposita fuerit in bello adhuc continuandi, coram Deo & Universo Nos mundo excusatas fore confidimus, si extremæ Nos quoque Defensionis mediis usæ fuerimus. Quo quidem remedio quemadmodum adversus fœderatos & necessarios Nostros libentius supersederemus: Ita quo sit Dilectio Vestra animo, expectamus cum præsentium exhibitore Colonello Nostro, Nobili Nobis sincere fideli, Melchiore Falckenbergio, quem eo Nomine ad Dilectionem Vestram expedivimus. Interea saniora Dilectioni Vestræ consilia ex animo precantes, Divino Eandem Numini amice commendamus. Dabantur in Re-

gia Noſtra Stockholmenſi die 2. Decembris, Anno 1635.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sueciæ reſpective Tutores & Adminiſtratores.

Gabriel Oxenſtierna Guſtavi Reg. Suec. Archidapifer mppr.

Jacobus de la Gardie R. S. Marſchall mppr.

Carolus Gyldenhielm Regni Ammirallius mppr.

Petrus Sparre nomine Regn. Suec. Cancellarii mppr.

Gabriel Oxenſtiern L. Baro in Morebii & Lindholm R.S. Theſaurarius.

Inſcriptio.

Ad Serenisſimum Electorem Saxoniæ.

LXXXV.

Literæ Reſponſoriæ priores a JOH. GEORGIO Saxoniæ Electore ad REGIAS SUECICAS præcedentes datæ, quibus fœderis olim cum Guſtavo Adolpho Suecorum Rege initi obligationem cum ipſa dicti Regis vita deſiiſſe, ſeque vinculo fœderatitio non amplius teneri exponit, 1636.

Serenisſima Regina.

Regiæ Serenitati Veſtræ, quicquid honoris, officii & ſtudii a Nobis proficiſci poteſt, illud omni tempore locove promptum paratumque offerimus, Domina Conſanguinea & Affinis Charisſima.

EX Regiæ Veſtræ Serenitatis ad Nos transmisſis & per Colonellum Ejusdem, Melchiorem Falcken-

ckenbergium bene traditis Literis, illarumque inſcriptione animadvertimus, Regiæ Veſtræ Serenitati complacitum fuiſſe, nomen Nobis titulumque Confœderati Principis ut impertiret. Quod ſane licet ab optima intentione profectum ſit, attamen relationibus & perſuaſionibus aliorum in eo aliquid datum arbitramur, quaſi ſcilicet fœdus inter Regiæ Veſtræ Serenitatis glorioſæ memoriæ honoratiſſimum Dominum Parentem, Sereniſſimum Principem, Dominum Guſtavum Adolphum, Suecorum, Gothorum & Wandalorum Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Eſthoniæ & Careliæ, Ingriæque Dominum & Nos, prima Septembris luce, Anno 1631. initum, mutuaque ſponſione firmatum, pro hæreditario ſit habendum, pleniſſimumque validitatis robur adhuc obtineret, etſi unus vel alter fatis ſic urgentibus diſceſſerit. Id quod tamen Capitulationi penitius introſpectæ conſentaneum non eſt, quippe in qua ne verbum quidem extat, quod ad hunc ſenſum intellectumque detorqueri poſſit: ac ut maxime de Regiæ Suæ Serenitatis intentione id fuiſſet, luculentioribus Verbis Regia ipſius Serenitas hoc expreſſiſſet: E contra vero in Noſtro arbitrio ex juris diſpoſitione ſitum fuiſſet, conſtituere, num ad hunc quoque caſum, confœderationis quoque Leges accommodare placeret. Etenim veriſſime affirmare poſſumus, Nobis in mentem nunquam veniſſe, alios præter Regiam Sueciæ Serenitatem, in hanc fœderis ſocietatem admittere, eamque ad hæredes ſucceſſoresque extendere. Merito igitur fixum inconcuſſumque manet, pactiones iſtas ſubſecuta

Regiæ Suæ Serenitatis morte fuiſſe diſſolutas, nosque pro fœderato amplius non eſſe habendos, ſed laxam nullisque vinculis adſtrictam illigatamque poteſtatem recepiſſe, ea omnia peragendi tractandique, quæ publicæ utilitati proficua ac ſalutaria fore duceremus: Quemadmodum nec in Domo Noſtra Electorali receptum, ejusmodi fœderibus ſe implicare, quæ in hæredes & ſucceſſores ſint tranſitoria, ipſasque adeo ditiones & Provincias hoc nexu afficiant: Neque inſuper videmus, ſi ad ulteriora progredi & latius extendere capitula fœderis voluiſſemus, quo pacto erga Patriam Noſtram chariſſimam, Romanum videlicet Imperium, id excuſare potuiſſemus. Quod ſi Veſtra Regia Serenitas capitula confœderationis accuratius introſpexerit, ſtatim animadvertet, contra quas nempe Perſonas cum Regiæ Serenitatis Veſtræ Domino Parente glorioſiſſimæ memoriæ, fœdus depacti fuerimus, quæ ipſæ poſt in belio occubuerunt, & proinde in rerum Natura eſſe deſierunt. Inveniet inſuper cauſas iſtas, quæ Nos ad contrahendum cum Regia Sua Serenitate fœdus permoverunt, dudum ſublatas eſſe omnes, neque ad bellicas illas expeditiones, quæ poſt Regiæ Suæ Serenitatis deceſſum ſuſceptæ fuerunt, extendi poſſe. Quemadmodum & illud toti Imperio notum, quod quandiu poſt Regiæ Serenitatis exceſſum, cum Cæſarea Majeſtate Nobis controverſia fuit, nunquam a Suecicis partibus in qualitate confœderati Principis ſteterimus, neque copias Noſtras cum Suecicis conjunxerimus. Quæ omnia eo probantur fortius, quo Regni Suecici

Can-

Cancellarius, Dominus Axelius Oxenſtierna, poſtquam Dresdam in Aulam Noſtram menſe Decembri Anno 1632. venit, inter mutuos ſermones ac diſcurſus de bello habitos, ne quidem minimam ſignificationem præ ſe tulerit, quaſi poſt ſecutam Regiæ Serenitatis mortem vinculo iſto fœderatitio adhuc teneremur; Cæteroquin de diſſenſu Noſtro conteſtati fuiſſemus, quin potius Ipſemet confeſſus eſt, obligationem iſtam ſocialem morte Regis Sereniſſimi jam totam exſpiraſſe. Etenim ſi Regiæ Veſtræ Serenitati viſum eſſet, inquirere diligentius, an actus ejusmodi mortem Regis ſubſecuti fuerint, qui Noſtra ex parte animum continuandi & perſiſtendi in fœdere arguant, utique apparebit, quod armis pariter ac conſiliis, a Suecicis partibus Nos ſeparaverimus, inſuper etiam Principes aliquot Imperii & Civitates Liberas occaſionem commodam nacti, antequam cum Cæſare tractationem Pacis aggreſſi fuimus, amice & ſerio commonefecerimus, ut accurata & ſedula circumſpectione in re tam gravi ac ardua uterentur, in publicas Imperii leges, tanquam pacis & tranquillitatis adamantina vincula diligenter intuerentur, ac potius de iis conſervandis quam abolendis, & nova Regiminis forma introducenda cogitationes ſuſciperent.

Qua in re nihil indecorum aut Nobis ipſis indignum admiſiſſe videmur; quin potius illud ſollicite egimus, quod Nobis ceu fideli ex ſanguine Germanico electorali oriundo Electori, & columnæ Imperialis ædificii, toto terrarum orbe maxime decantati, pro honore Noſtro, conſcientia, ju-

rejurando, ſublimi officio & ſtatu conſervando incubuit, quodque ſin vel omiſſum vel oſcitantius tractatum fuiſſet, gravem conſcientiæ Noſtræ labem, & erroris apud ſeros poſteros nunquam purgandi notam, nobis inurere potuiſſet. Quemadmodum igitur poſt mortem Regis fortiſſimi, cum Regia Veſtra Serenitate in novam fœderis obligationem deſcendere, neque ere neque ex uſu Noſtro fore duximus, ita nemo inficias ire poterit, Nos in vivis adhuc exiſtente Rege Serenisſimo, contracti fœderis retinentisſimos fuiſſe, ut cum Serenisſimi Hiſpaniarum Regis in Aula Imperiali Reſidens Ambaſciator, Dominus Marchio de Ladereita, per generoſum Dominum Henricum Paradeyſer, Baronem, Anno 1631. Nobis ſignificandum curaſſet, id negotii ſibi datum eſſe a Rege, omni ut ſtudio curaret, quo ſubortæ inter Cæſaream Majeſtatem & Nos ſimultates & diſſidia, felicisſima compoſitione ſopirentur, animique invicem exaſperati in mutuam concordiam iterum coaleſcerent, tamen Nos oblatam transactionem modeſte recuſaverimus, hanc afferentes excuſationem, Nobis id per Serenisſimum Regem Sueciæ ac Evangelicos Proteſtantesque Ordines minime licere, ea ratione, quod per id tempus fœdus cum Regia Serenitate Sueciæ adhuc inconvulſum duraret, quod ipſum vero morte Regis bellicoſisſimi ſecuta concidit & exſpiravit. Quæ cum ita ſint, Regiam Serenitatem Veſtram officioſe rogatam volumus, ut peramicam hanc ac propemodum neceſſitate quadam Nobis extortam informationem, æquo animo ferat, in eamque omnino ſen-

ten-

Digitized by Google

tentiam accipiat, quod Electoralis Noſtri officii Dignitas, honor proprius, & Sacramentum ſacro Romano Imperio præſtitum, id a Nobis omnino efflagitent. Quippe qui facile ſubodoramur, quid plerique Miniſtri Suecici, adverſarii Noſtri, per uſurpationem prædicati ſupratacti, ad Noſtram injuriam & præjudicium moliantur & quærant. Non igitur poſſumus, certe nec debemus ad hæc conticere, ut obtrectatoribus Noſtris omnem materiam calumniandi præcidamus, quaſi per receptionem literarum Regiarum ſæpedictum prædicatum tacite agnoverimus, eo ipſo confitentes, æque Regiæ Veſtræ Serenitati Nos fœdere junctos eſſe, atque ejus glorioſiſſimo Domino Parenti, quod ſecus eſſe ſupra demonſtratum eſt. Interea Regia Veſtra Serenitas ſibi habeat perſuaſiſſimum, Nos amicitiam ejus magni æſtimare, inque ſummo habere pretio, ac pro ea quæ inter Nos intercedit neceſſitudine, omnem ipſi honorem, amicitiam & ſtudia, nullo non tempore promptiſſima futura, exhibere paratiſſimos eſſe. Quo cum Regiam Serenitatem Veſtram divinæ Protectioni & tutelæ ad incrementum omnis Regiæ felicitatis quam diligentiſſime commendamus. Dabantur in Caſtris Hallenſibus, die 28. Februarii Anno 1636.

Johannes Georgius
Elector.

LXXXVI.

Reſponſoria JOHANNIS GEORGII I. Electoris Saxoniæ poſteriores ad CHRISTINÆ,

Suecorum Reginæ, Literas ſecunda die Decembris anni præteriti datas, quibus ipſi cauſas, quæ ſibi paciſcendi cum Imperatore neceſſitatem impoſuerint, recenſet, ac culpam ingrati animi & violati fœderis ſibi objectam modeſte diluit, 1636.

Sereniſſima Regina.

Regiæ Serenitati Veſtræ quicquid honoris, officii & ſtudii a Nobis proficiſci poteſt, illud omni tempore locove, promptum paratumque offerimus, Domina, Conſanguinea & Affinis chariſſima.

REgiæ Serenitatis Veſtræ Literæ 2. Decembris præteriti anni 1635. ad Nos perſcriptæ a Colonello ejusdem, Nobili ſingulariter Nobis dilecto, Melchiore Falckenbergio, in Salinis Saxonicis recte Nobis exhibitæ fuerunt. Ex quibus ſummatim percepimus, grave & acerbum Serenitati Veſtræ Regiæ accidere, Nos non attento fœdere, quod inter Sereniſſimum quondam Principem Dominum Guſtavum Adolphum, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regem, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Eſthoniæ & Careliæ, Ingriæque Dominum glorioſiſſimæ memoriæ, & Nos contractum, quodque defuncta Regia Serenitas adeo ſancte & ſincere ſemper obſervaverit, ut Regium ob illud ſanguinem profuderit, Regiaque Veſtra Serenitas Legatis & Ducibus in Germania ſuis, idem ut facerent, ſerio mandaverit, certoque ſtatuerit, quique ita ſe in adminiſtratione militarium officiorum geſſiſſent, ut ſi forte nihil gra-

Digitized by Google

gratiæ & favoris, certe nec hoſtilitatem meruerint, contraria tamen omnia peregiſſe, plane ſuo nunc loco relinqui, Nos & inſcia ſe, & absque prævia communicatione pacem concluſiſſe. Omnibus autem rebus recte ponderatis, potius eam pro Confœderatione adverſus Regiam Serenitatem Veſtram quam pro pace, imo nec pro umbra pacis habendam eſſe, quæ & ipſa ceu res inter alios acta, Regiam Veſtram Serenitatem in nullo obligaret, tantumque abeſſe, ut ei ſalva reputatione Regia poſſit ſubſcribere. Ac ferri quidem hoc poſſe, ſi cum Regia Serenitate Veſtra vel ipſi Pacem tractaſſemus, vel, ut cum Sacra Cæſarea Majeſtate Regia Veſtra Serenitas tractationem ſuſciperet, permiſiſſemus. Nunc cum a Nobis id impetrari haud potuerit, ſed de facto proceſſerimus, Regiæ Veſtræ Serenitati invitæ & reluctanti concluſam Pacem obtrudere intendentes, cauſam utique juſtiſſimam Serenitatem Veſtram Regiam habere conquerendi, tam contemptim merita ejusdem haberi ac elevari, potiſſimum vero de eo, quod fœderatos Principes & Ordines ad rupturam fœderis ſtimulaverimus, adeoque etiam ejus Legiones Germanicas, ad nefaria in Regiam Serenitatem Veſtram arma vertendum incitaverimus; in tantum, ut ſi certo ei non conſtaret, nullam Nationem cum Germanis, quoad pacta ſervanda & fidem placitis præſtandam, comparari poſſe, utique in eam propemodum poſſet opinionem induci, ut de conſtantia Germanorum dubitandum eſſet. Quicquid autem hoc ſit & quam grave Serenitati Veſtræ Regiæ id accidat,

jus-

jussisse se tamen potius cedere, quam arma ullius fœderati cruore fœdare & polluere: Ex quo factum, ut exercitus ejus ex Principatu uno in alium eo usque cesserit, donec Albi tranato, quo ulterius cederet, locus nullus reliquus maneret. Quæ res accedente continua hostili persecutione, Suecis extremam necessitatem attulerit arma defensoria capiendi, & cladem, quæ per obsidionem Domizii eis intendebatur a se propulsandi, qui conatus Nostrorum etsi infelicem exitum habuerit, & malum in propria nostrorum militum capita reciderit, dolendum tamen esse pactam cum Corona Suecica amicitiam & fœdus Evangelicum ejusmodi Catastrophe conspurcari. Etenim cernere Regiam Vestram Serenitatem velut in speculo, quam rideant Evangelicæ Religionis adversarii, Evangelicos ipsos nunc inter se commissos, reciprocanti clade sese invicem evertere & aliorum direptionibus ultro exponere. Quæ universa sicut absque ruina & irreparabili Evangelicæ Reipublicæ jactura, diu continuari haud possent; Ita Vestram Regiam Serenitatem nos rogare & obtestari, ne tam periculosis consiliis Nos amplius circumduci pateremur, sed mentem animumque serio, sinceræ honestæque pacis tractationi adjiciamus. Hoc si faceremus, & Regiam Serenitatem Vestram eo respectu haberemus, quo Reges exteros Regnaque tractari, publica Regnantium Majestas postulet, experturos Nos esse, per Regiam Serenitatem Vestram minime stetisse, quo minus Pax exoptata in Germania reducatur; Sin vero propudioso (ita enim Regiæ Vestræ Serenitati de Cæsare & Nobis loqui

Digitized by Google

loqui placuit) infidarum conditionum objectu, neceſſitas Regiæ Veſtræ Serenitati imponeretur in bello continuandi, coram Deo & univerſo mundo ſe excuſatam fore confidere, ſi & Ipſa extremæ defenſionis mediis uti cogeretur. Quemadmodum autem erga fœderatos & neceſſarios hoc remedio ſuperſedere mallet, ita quo ſimus animo Regiam Veſtram Serenitatem nunc expectare.

Ad ea nunc reſponſuri Regiam Veſtram Serenitatem celare haud poſſumus, Literas ejus cum propter ſanguinis propinquitatem, tum quia a Regia ſublimi Perſona profectæ, Nobis valde jucundas & acceptas fuiſſe, gratiamque habemus de conteſtatione Regii affectus & Inclinationis erga Sacrum Romanum Imperium, Nosque ipſos, potiſſimum vero quod pacis negotium in eo promovere Regia Veſtra Serenitas ſit percupida. Pergrave autem Nobis accidit, quod animadvertimus, cauſam hanc paulo odioſius atque aliter quam ſe habet ad conflandam Nobis invidiam relatam eſſe. Ac initio quidem, Fœderis, quod inter præmemoratum Sereniſſimum Regem Sueciæ & Nos primo die Septembris An. MDCXXXI. conſtitutum fuit, probe meminimus. Damus quoque Regiæ Serenitati Suæ liquidum hoc & nulla oblivione delendum teſtimonium, quod a principio usque ad beatum Suæ Serenitatis ex hac vita exceſſum, Fœderi conſtanter inhærens, promiſſa auxilia occaſionibus aliquot habitis, adeo heroice & fortiter præſtiterit, ut ſcriptis & viva voce in legationibus & conventibus diſtinctis, decenter præ-

prædicaverimus prudentiam, autoritatem, felicitatem, & quæ præterea in Duce belli virtutes requiruntur, uti fas æquumque fuit, meritis laudibus extulerimus, ad debitam Nos gratitudinem, in quantum id possibile foret, teneri, ultro confessi. Quemadmodum vero Regiæ Serenitati Vestræ, quod defuncto Domino Parente in Regium ejus thronum successit animitus gratulamur; Ita voluptatem percipimus ex eo, quod in consilia quoque Ejusdem successerit hactenus, ut nihil eorum omnium intermissura sit, quæ ad honestam amicitiam & vicinitatem excolendam augendamque ullo modo conducere posse videbuntur. Plane extra dubium ponimus, Regiam Serenitatem Vestram Legatis & Ducibus in Germania suis mandasse, a partibus Nostris ut starent mascule. Qualiter autem & quemadmodum assistentia illa in effectum deducta fuerit, suo loco relinquimus, neque Serenitati Vestræ Regiæ longa recensione, quomodo plerique se gesserint, quot quantasque clades Provinciis Nostris attraxerint, extra eas vero in Silesia & locis aliis intentiones Nostras ac consilia impediverint, quot quantaque damna ac injurias agnati Nostri, cum primis Saxoniæ Duces Lineæ Altenburgensis, & Comites aliquot Vasalli Nostri a Suecico milite perpessi, quam nullam opem auxiliumque in prohibendis ac amoliendis hostilibus eruptionibus Nobis tulerint, molesti esse non cupimus. Interim tamen liquet hinc & solis luce refulget clarius, etiam illos Ipsos, qui a Suecicis sunt partibus in ea sententia fuisse, quod morte Regis Serenissimi fœdus peremptum fuerit; In quo & Ipsi

Digitized by Google

Ipſi acquieſcimus, haud ignari, eam eſſe naturam ac notam propriam fœderum, ut ad hæredes non ſint tranſitoria, niſi in formula pactorum aliter cautum ac proviſum ſit, vel poſt obitum unius aut alterius fœderati, fœdus renovatum. Quæ cum ita ſint, equidem non videmus, nec intelligimus, quæ cauſa ſit, Veſtra quod Serenitas Regia tantopere de Nobis queratur. Si enim fœdus diſſolutum exiſtit, Rege glorioſiſſimo factis concedente, Regia Serenitas Veſtra pro ingenii ſui acrimonia facile judicabit, Nos quod in Pirnenſem, poſtea Pragenſem Pacis tractationem conſenſimus, nihil admiſiſſe, quod vel abſurdum ſit, vel Principe Electore indignum & minime honeſtati conſentaneum. Etenim nullam in capitulis fœderis cum Sereniſſimo Rege, Parente Regiæ Veſtræ Serenitatis dulciſſimo, iniri obligationem poſſumus deprehendere, qua teneamur cum conſilio & conſenſu hæredum ac Succeſſorum Regni, in pacis tractatione procedere, & jam ante ſufficienter probavimus, una cum Sereniſſimo Rege, illud ſublatum & extinctum fuiſſe, in tantum, ut vel Svecicus Cancellarius, vel Campi Mareſchallus, diu Nobis titulum fœderati Principis tribuere, non ſint auſi, quippe haud neſcii, & obligationem ipſam & facta in capitulis fœderis expreſſa, meram perſonalitatem denotare, etſi, quantum in Nobis, nunquam vetuimus aut impedivimus, Svecicam partem ad tractatus de Pace habendos requiri & adhiberi; Certe, qui in Cauſa, de qua agitur Intereſſe prætendit & actum ſuo diſſenſu impedire ſe poſſe confidit, is, ut in tempore ſui copiam faciat

ac

ac interveniat, neceſſe eſt. Plane in conventu Francofurtenſi ad Mœnum Anno 1634. ad antegreſſam notificationem, quam Regni Svecici Cancellario fieri mandavimus, mox palam divulgata fuit, de pace inter Cæſareanos & Noſtros Legatos ſuſcepta actio, neque tamen quisquam auſus eſt Legatis objicere, id minime nobis licere, nec jure fieri poſſe; quin potius poſt acceptam cladem apud Nordlingam a Legatis Noſtris inter valedicendum per prædictum Cancellarium, ſtudioſe flagitatum, ut reverti, pacis tractationem ſubjectiſſime urgerent, cæteroquin futurum, ut a Gallis novo Theatro adornato, bellum crudele ac perniciosum excitaretur, ex quo major clades toti metuenda ſit Germaniæ. Cogitet & expendat Regia Veſtra Serenitas non abſolute penes Nos ſtetiſſe modum & formam, qua ratione in tractatione pacis procedi oporteat, præſcribere, ſed Sacræ Cæſareæ Majeſtati jure delatum fuiſſe Directorium. Vehementer autem Nos turbat, nec ſine ſenſu doloris acerbiſſimi comperimus, impingi Nobis, quaſi Regiæ Veſtræ Serenitati non eum, qui ipſi debetur, honorem ac reſpectum tribuerimus, & neglectis ſubſtantialibus, pacem cum Cæſarea Majeſtate fecerimus, quæ magis ſit mutua conventio de gerendo bello adverſus Svecos, quam Pacis pactio. Rogamus autem Regiam Serenitatem Veſtram, ut ipſa inſpiciat vel legi Sibi mandet pacis tabulas; intelliget enim ex iis, diſerte ibi caveri, quod Tranſigentes omnes illos Principes & Poteſtates, a quibus uni vel alteri parti in nupero bello auxilia ſubminiſtrata, Tabulis illis comprehendi

di voluerint. Itaque cum Rex Sveciæ Proteſtantibus & Evangelicis Ordinibus, cum Legionibus ſuis auxiliaribus ſuppetias tulerit, utique nemo queri poteſt, eum excluſum a Pace, ſed fateri oportebit, vel maxime eſſe incluſum, dummodo quod ab Anno 1630. occupatum eſt, ſive Eccleſiaſtici, ſive ſeculares ſint Principatus, Ditiones, Territoria, Civitates, oppida, Fortalitia, arces, loca munita; Portus, Flumina & reliqua belli tempore occupata, ſine dilatione & mora, prioribus Poſſeſſoribus, aut iis, quibus ea vigore transactionis Pacificæ, reſtitui oportet, reſtituantur; Cautum quoque fuit, ne qua perpetuis temporibus cogitatio ſuboriatur de vindicando, ſed generali oblivione præteritarum rerum ſancita, omnes actiones & petitiones, quas belligerantes ratione aſſiſtentiæ adverſus ſe invicem intentare poſſent, pro extinctis haberentur ac eſſent. Quæ omnia ſic comparata ſunt, ut confidamus Regiam Serenitatem Veſtram cauſam habere nullam gravatam ſe conquerendi, quippe cum nihil ſit conſtitutum, quod cum jure Divino, Naturali, Gentium & poſitivo pugnet, quin potius quicquid id ſit, illis ipſis vel maxime ſit conſentaneum, ratioque ipſa dictet ac jubeat ea ſollicite attendi, cum tranquillandis Conſcientiis veræque Concordiæ reducendæ & ulterioribus animorum exacerbationibus impediendis inſerviant. Hinc Regia quondam Serenitas in edito manifeſto, antequam in Germaniam cum exercitu ſuo tranſiret, palam conteſtata fuit, ſe expeditionem illam non ſuſcepiſſe ullius privati commodi intuitu, aut animo Imperio quicquam adimen-

di, vel inde abradendi, ac ad ſe transferendi, ſed ut propriam vindicaret injuriam, ac tantum non oppreſſis Ordinibus Evangelicis auxilio veniret, quam Veſtræ quoque Regiæ Serenitatis intentionem eſſe, Nobis firmiter pollicemur. Quod ſi forte non omnis ſuſpicio aut diffidentia ex animo Regiæ Serenitatis Veſtræ nunc exempta eſt, ſed adhuc ſcrupulus aliquis in eo eſt reliquus, Sacra Cæſarea Majeſtas, poſt acceptam relationem Noſtram, ne quid dubitationis remaneat, ſed ex re ipſa palam fiat, quam ea ſit ad pacanda & componenda omnia proclivis, expreſſe ſic animum ſuum declaravit, ſibi non diſplicere, ut Regni Svecici Cancellario, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Imperii nomine caveatur, velle ſuam Majeſtatem ut ſub diſpoſitione §. In dieſem Friedens = Schluß, &c. Corona Svecica cum omnibus attinentibus ſit comprehenſa ac incluſa, & ut Sacrum Romanum Imperium ejusque aſſiſtentes, hujus belli cauſa nullum impedimentum, moleſtiam, aut adverſitatem Ipſi inferant, omnesque adeo officiarii militares, ſummi, medioxumi & infimi, item milites cæterique, qui vel Toga vel Sago in Miniſterio Svecorum ſteterunt, ſine omni fraude diſceſſum tutum & ſecurum ex Imperio in Patriam ſuam redeundi habeant; Novam autem tractationem ex ea cauſa inſtituere, non eſſe hoc tempore neceſſarium, nec etiam poſſibile, & tendere id ſolum ad bellum in Germania trahendum. Ex his omnibus manifeſtum evadit, quam ſingularis Regiæ Veſtræ Serenitatis non modo in tabulis pacificationis, verum etiam ſubſecuta Cæſarea declaratione,

ne, ratio habita fuerit, & quam ancipites curæ ac cogitationes animum Noſtrum ſubeant, quod cum fere Electores, Principes & Status Imperii omnes Concluſa Pacis amplexi ſint, Paci tamen aliquot Regiæ Veſtræ Serenitatis & Coronæ Miniſtri adeo præfracte ſe opponant, in Imperio & extra, eam elevent, traducant & contumeliis, quantæ quidem cogitari poſſunt, indigne afficiant. Sacra Cæſarea Majeſtas & Imperium Romanum, laudatiſſimæ Coronæ Svecicæ, ſublimia ejus Jura, Dignitatem, Honorem & ſuperioritatis axioma non invident; Subditos autem Coronæ Leges Imperio præſcribere velle, quo Pacto Caput Imperii ſummum, cum membris & membra cum Capite tranſigere & concordare debeant, res eſt inaudita, pugnans e diametro cum ſublimi Imperii Jure & prærogativis ſeu præeminentiis ejusdem, neque credi poteſt Regiam Serenitatem Veſtram & Coronam, iſta omnia mandaſſe, aut geſta poſt mortem Sereniſſimi Regis habere rata, & pro ſuis agnoſcere, ſeque ut Principalem belli contra totum Romanum Imperium declarare; Ac licet prætendatur pacis quidem conditionem ſuo relinqui loco, at ferendum non eſſe, eam Regiæ Serenitati Veſtræ velle obtrudere, quippe quæ Coronæ Suecicæ contemplatione, res ſit inter alios acta, verumque adeo relinqui, cum Regia Veſtra Serenitate & Corona pacem tamen non fuiſſe tractatam, ac ea quæ hucusque ex parte Coronæ Svecicæ bello geſta & peracta ſunt, ex cauſa neceſſariæ defenſionis acta fuiſſe. Attamen certo Regia Veſtra Serenitas ſtatuat: non eſſe de intentione Cæſaris & Imperii Romani ei-

dem pacem velle obtrudere invitæ ac renitenti, quod vero coronam Svecicam in pacem includi allaboravimus, existimavimus id cedere illius commodo, & inter assistentes ita veteri more receptum esse: Cancellario autem Regni sane quidem pacificationem communicavimus, non ut ipsi pacem obtruderemus repugnanti, sed ut voluntati ejus exemplar postulantis, clementissime moram gereremus. Quod si de intentione Regiæ Vestræ Serenitatis fuit cum ipsamet Sacra Cæsarea Majestate Pacem tractare, penes ipsam jus stetit id faciendi vel omittendi, Nos illud nunquam impedivimus; Sin aliud Regiæ Majestati Vestræ fuit suggestum, de eo respondere non tenemur, & omni culpa vacamus. Quam comiter Svecici Ministri & Consiliarii mandatu Nostro semper habiti sint, loquuntur acta, & certo scimus Illustrissimum Principem, charissimum Nostrum consanguineum, filium ac compatrem, Dominum Adolphum Fridericum, Megapoleos Ducem, luculentum Nobis ea de re perhibiturum esse testimonium, cujus Dilectio ad Nos sub finem Mensis Octobris, elapsi Anni 1635. Sandoviam excurrens, confirmavit Nobis, si, quæ pacis causa hucusque actitata fuerunt, ea in formam Conventionis ab utraque parte subscribendæ redigi curaremus, observasse suam Dilectionem, Regni Cancellarium calculo suo eam approbaturum, nec difficultates novas objecturum, sed assensurum esse, ut causa hæc inter Sacram Cæsaream Majestatem ac Imperium Romanum ex una, & Regiam Vestram Serenitatem una cum Corona ex altera par-

parte, transactione decideretur. Quod cum Nobis placere significaremus, & formulam desuper conscribi juberemus, habitis ultro citroque ea de re multis sermonibus, tandem convenit inter Nos, ut Dilectio sua cum formula utrinque approbata Stralsundiam properaret, ea spe concepta, fore, ut Dilectio ipsius cum Tabulis confectis ad Nos reverteretur. Interim cum exercitu Parchimum movimus, quo Dilectio ejus Stralsundia excedens, mox citatis equis venit, ubi prius relatione audita, cum formula præfata Nobis redderetur, & animadverteremus eam in compluribus locis substantialibus interpolatam, utut permolestum id Nobis fuerit, non tamen ideo a continuatione Tractatus concordiæ discessimus, sed mutatum exemplar, præsente Ipsius Dilectione ejusque Consiliariis Secretioribus, iterum perlegimus, universa & singula expendimus, discrepantias notavimus, & præhabita deliberatione, tantum pacis studio ac ut ostenderemus, quantæ Nobis curæ sit pacem restaurare, nihilque prætermittere, quod ad consequendum illum scopum quoquo modo conducere videretur, aliam formulam unanimi consensu conscribi mandavimus, de qua sic judicavit ejus Dilectio, se in ea esse sententia, ut plane confideret, Svecicum Cancellarium nihil amplius desideraturum esse. Quæ causa fuit, ut præter exemplum in Cancellaria acceptum, Illius Dilectioni duo quoque tradiderimus exemplaria a Nobis subscripta & sigillo majori roborata, quorum unum approbatione Cancellarii impetrata, penes ipsum relinqueretur, alterum Nobis redderetur. Verum

& illa ſpes Nos fruſtrata eſt, Duce Megapolitano, paulo ante ferias Natalitias cum ejusmodi reſponſo ad Nos reverſo, ex quo aliud nihil concludere potuimus aut debuimus, quam ſimulate tractari hoc negotium & pacis inſtaurationem iſtis hominibus nec curæ nec cordi eſſe. In quorum fidem Regiæ Serenitati Veſtræ poſtremam formulam transactionis communicamus, prout ea in actis repoſita eſt. Cæterum Suecicam, ut vocant, ſatisfactionem quod attinet, non ambigimus Regiæ Veſtræ Serenitati inſinuatum, qualiter nos partim per Legatos apud Regni Cancellarium, Magdeburgi die 18. Julii Anno 1635. partim erga Legatos ipſius Lipſiæ, mox Barby reſolverimus. Similiter ad eam perſcriptum ſperamus, quod in compenſationem qualemcunque meritorum Regiorum, nec minus in ſublevationem aliquam ſtipendii militaris, viginti quinque Tonnas Auri, nomine eorum, quibus aſſiſtentia præſtita, certo modo numerandas propoſuerimus, utile ac neceſſarium rati, ut Evangelici ac Proteſtantes Status, Lüneburgam evocarentur, expectaturi quemadmodum ſuper illo articulo deliberatio inſtitueretur. Sed conſilio hoc a Svecicis inſuper habito, cum ſermone, tum literis ad Nos perlatum, Campi-Mareſchallum Bannerum, præterito Menſe Januario, Anni currentis, cum exercitu per Marchiam ſumma celeritate retrogreſſum, Archipræſulatum Magdeburgicum hoſtiliter invaſiſſe, ibique plurimis in eo & adjacentibus Præfecturis, Epiſcopatibus, Civitatibus, Oppidis & pagis Noſtris miſerandum in modum crudeliter vaſtatis, direptis, exſpoliatis, partim totis

Digitized by Google

totis exuſtis, innocentiſſimis immaniter trucidatis, Civitatum Rectoribus & incolis abductis, per ingentes Contributiones ad extremam inopiam & mendicitatem redactis, uxoribus & virginibus per vim ad mortem uſque ſtupratis, nulla nec ſacri nec profani ratione habita, ſed templis, cœmeteriis, aliisque locis religioſis fœdatis ac pollutis, longe ſævius ac virulentius, quam Turcæ & alii Barbari facerent, graſſatum eſſe, in tantum, ut hominis lingua omnia percenſeri nequeant. Quæ omnia ſub prætextu Belli incommodorum ac neceſſariæ defenſionis nequaquam extenuari queunt. Ad fidem ejus rei aliquo modo faciendam petimus officioſe, ne gravetur Regia Veſtra Serenitas ſuis Miniſtris mandare, ut recitent, quæ in adjunctis chartis expreſſa habentur. His ita expoſitis, Regiæ Veſtræ Serenitati judicandum relinquimus, num vere & citra calumniam de Nobis affirmari poſſit, quod Regiæ Veſtræ Serenitatis merita contemtim ac injurioſe habuerimus, & an non potius hinc liqueat, Svecicos Miniſtros & alios ab iis dependentes id agere, ut viam ad inſultandum Romanorum Imperatori & Imperio, inſolenter affectent, cujus Perſonam cum Nos repræſentemus, publicam Imperii negotium exequentes, quis non videt injurias & contemptum Nobis allatum, in ipſius Cæſaris & totius Imperii contumeliam redundare. Negamus Nos Principes & Status Imperii ad fœderis ruptuam ſollicitaſſe; negamus etiam Nos legiones Germanicas, ut Sacramentum violarent, & arma in necem Regiæ Veſtræ Serenitatis converterent, inducere voluiſſe. Id autem fatemur ultro, quod

ceu Præfectus ſummus Circuli Saxonici ſuperioris, & Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Imperii Generaliſſimus, Status fideliter admonuerimus, ut omnia prudenter expenderent & cogitarent, quam ſancte Cæſareæ Majeſtati, Imperio ac Patriæ eſſent devincti, contra quod nullum fœdus legitimum validum & obligatorium eſſe poſſit, etiamſi valde arcte quis fidem ſuam extraneis obligaverit. Deinde cautum eſt Legibus Imperii publicis, neminem poſſe contra Cæſarem aut membrum aliquod Imperii arma capere, aut extraneis opem & auxilium afferre, aut quenquam ad id faciendum inſtigare, ſub gravibus pœnis in mandatis Cæſareis & Imperii conſtitutionibus expreſſis. Quicquid igitur hic fecimus ex officii Electoralis debito ac neceſſitate, ex cauſa item juris jurandi Imperio præſtiti, & ex obligatione, qua Patriæ dulciſſimæ obſtricti ſumus, ad conſervationem ejus, non deſtructionem fecimus, & quidem Lege non permittente ſolum, ſed etiam jubente. Neque ideo quisquam eo præcipitantiæ deveniet, ut de Germanicæ Nationis candore & conſtantia in ſervandis promiſſis dubitandum dictitet? Nam quæ contra afferuntur accipienda ſunt de fœderibus, juramentis & obligationibus, jure publico non prohibitis. Quantum ſtudium, operam, laborem & induſtriam, pene per Menſes novem integros, nullis parcentes ſumptibus, impenderimus, ut bellici tumultus, potius mediis adhibitis amicabilibus, conſopirentur, quam per arma lis decideretur, eo nomine provocamus ad teſtimonium omnium veritatem ſerio amantium. Sive autem Svecicus miles ex eo capite, ut

pra-

Digitized by Google

prætenditur, de loco uno in alium cesserit, sive singulare aliquod momentum hic spectarit, quo felicius contra Nostrum militem pugnare posset, in medio relinquimus. Certe multo foret expedientius, si Exercitus Svecicus ejusque Director in Germania, legibus, ordinationibus & statutis Germanorum se attemperarent. Norunt enim ipsis, ut peregrinis, jus non esse in alieno Imperio Leges dandi; quo facto siniſtræ adversariorum objectiones & tripudia facile conticescerent. Quibus Regia Serenitas Vestra sola convenientem medicinam adhibebit, si curaverit, ut Suecicus Miles e finibus Romani Imperii excedat & in Patriam se recipiat, Germanicæ Nationi quietem & tranquillitatem non invideat & occupata prioribus Dominis ac possessoribus quam primum restituat. Non dubitet quoque Regia Serenitas Vestra Nos, qui divina adjuti gratia ad gubernacula Reipublicæ diu sedimus, Nostrisque Provinciis per integros viginti quatuor annos, & quod excurrit, præfuimus, Vicariatum etiam Imperii, juxta auream Bullam, bis administravimus, bene didicisse, quomodo Reges extranei tractandi, & erga eos se gerere oporteat. Quod si Regiæ Vestræ Serenitati curæ erit, ut voto totius Imperii Romani respondeat, equidem glorioſius reddet nomen ſuum Regium & immortalitati consecrabit. Sin minus, publice protestamur, Nos coram Deo & toto Christiano orbe, de omnibus malis, ærumnis, calamitatibus ac miseriis, quæ ex neglectu salutarium nostrorum mediorum Pacis & ex continuatione exitioſi belli secutura sunt, excusatos foro, quippe qui in

eam curam ſerio incubuimus, ut Pax in Imperio refloreſceret. Poſtremo cum videamus Regiæ Serenitati Veſtræ a Noſtris adverſariis perſuaſum eſſe, ut allegatio Pacis Pragenſis, emblemate propudioſi infidarum conditionum objectus inſigniretur, honor & reſpectus quem Sacro Romano Imperio debemus, a Nobis poſtulant, ut contra ejusmodi inculpationes utique acerbas & minus promeritas decenter proteſtemur. In reliquo Regiam Serenitatem Veſtram Dei omnipotentis præſidio commendamus, ab eodem precati, ut Serenitatem Veſtram omnibus divinæ & humanæ felicitatis incrementis beet ac ornet, & ſtudia eidem ac officia Noſtra cum debitæ amicitiæ cultu conjuncta, prolixe deferimus & pollicemur. Datæ in Salinis Saxonicis 5. Martii, Anno 1636.

Johannes Geörgius,
Elector.

LXXXVII.

Breve Urbani VIII. Pontificis, ad STATUS XIII. PAGORUM HELVETIÆ, quo eos monet, ut firmam inter ſe invicem ſtabiliant concordiam, 1636.

Urbanus PP. VIII. &c.

NObiles Viri, Tranquillitatem & Salutem. Ingentes calamitates ab armorum tumultibus, quotidie promanantes, eum in nobis excitant mœroris ſenſum, quem a Paterna charitate atque animorum zelo proficiſci par eſt. Neque enim

dum

dum filios acerbis ærumnarum fluctibus agitari videmus, anxia nos solicitudine carere unquam possumus. Propterea in communis pacis curationem, assidue incumbentes, Pastoralis curæ nostræ magnitudinem omni officiorum genere, & non ita pridem Apostolica legatione declaravimus. In posterum quoque pari diligentia cuncta adhibebimus consilia, quæ publicis rebus aliqua ratione profutura in Domino judicabimus. Cæterum cum ob eximias laudes vestras tum præcipue ob ampla veterum gentilium vestrorum erga Catholicam fidem, & Ecclesiasticam libertatem promerita, inclytæ isti Nationi multum tribuamus, sedulam a Nobilitatibus Vestris operam impendi, quemadmodum nuper nobis significastis, ut sublatis dissidiis, stabilis concordia coalescat, plurimum gaudemus. Ita optati eventus fructum benigne concedat Altissimus pacis auctor, quem nos enixe rogamus, ut vobis præsto sit, & divinam suam gratiam clementer largiatur. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 20. Sept. Anno MDCXXXVI. Pontificatus nostri anno quarto decimo.

Julius Rospigliosius.

Inscriptio.

Nobilibus Viris, Deputatis totius Corporis Helvetii, Badæ congregatis.

LXXXIIX.

Literæ Credentiales, a CHRISTINA, Reginâ Sueciæ, Petro Spiringio, ſuo ad ORDINES GENERALES FOEDERATI BELGII Legato, datæ, 1636.

CHriſtina Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque deſignata Regina &c. Illuſtres & præpotentes, boni Amici & fœderati: Reverſus ad Nos a Vobis Conſiliarius Noſter Financiarum, nobilis nobis ſincere fidelis, Petrus Spiringius de Norsholm, ſumma fide retulit, quam fuerit a Vobis præterito vere, cum a Cancellario Noſtro ad Vos eſſet miſſus, humaniter habitus & cum reſolutione mutuæ Noſtræ amicitiæ confidentiæque congrua dimiſſus. Nunc rebus ubique locorum ita fluentibus, ut conqueri quidem de plerisque confœderatis Noſtris per Germaniam liceat, quod Nos non modo deſeruerint contra datam fidem, ſed haud ſæpius audito exemplo etiam ſe cum hoſte noſtro conjunxerint, & Nos oppugnatum ierint. Verum cum iſtiusmodi querelis nihil proficiamus, id Nobis reſtat remedium, ut ſecundum Deum, & Viribus Noſtris cœptum bellum proſequamur, & amicorum Noſtrorum, quorum intereſt, & de quorum amicitia & favore certæ ſumus, ope & opera utamur, donec juſta ac ſecura pax obtineri queat. Inter hos, poſtquam Vobis haud infimus debetur locus, viſum eſt dictum noſtrum Conſiliarium Financiarum, Spiringium, ad Vos denuo mittere, cum mandatis pro præſtito Nobis ſubſidio gra-

Digitized by Google

gratias agendi, reciprocum ſtudium Noſtrum conteſtandi, opem ac ſubſidium Veſtrum in poſterum ſolicitandi, atque negotia Noſtra alia peragendi; rogantes, ut ipſum benevole audiatis, verbis ejus fidem habeatis, & ita Vos declaretis, uti confidimus & mutuæ Noſtræ amicitiæ conforme eſt. Si quid viciſſim in gratiam Veſtram a Nobis fieri poterit, nihil officii ſumus intermiſſuræ. Hiſce Vos Remque publicam Veſtram divinæ tuitioni amice commendamus. Dabantur in arce Stockholmienſi die 5. Octobris 1636. per Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sueciæ reſpective tutores & adminiſtratores.

ſubſignatum

Gabriel Oxenſtiern, Reg.
Suec. Archidapifer.

Claud. Chriſtierni Horn,
loc. R. S. Generaliſſimi.

Claudius Flemming, loco
R. S. Ammirallii.

Axelius Oxenſtiern, L. Baro
in Moerebii & Lindsholm,
loco R. S. Theſaurarii.

LXXXIX.

Litera JOHANNIS GEORGII I. Saxonici Electoris, ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſi de filia recens nata, MARIA THERESIA, gratulatur, 1638.

P. P.

P. P.

NObis pro certo renunciatum eſt, Sereniſſimam Principem Regiæ Veſtræ Majeſtatis Conjugem dilectiſſimam, Deo opem benigniter & largiter ferente, partu iterum feliciter levatam Veſtram Serenitatem Regiam Filia recens nata non ita pridem exhilaraſſe. Relatio hæc ut Nobis extitit longe jucundiſſima & Nos ſingulari gaudio perfudit: Ita de Filiola illa Regia Regiæ Veſtræ Serenitati divinitus donata ex animo gratulamur; ſerio apprecantes & voventes, ut in vera pietate virtutibusque Regiis alta ac educata læta ſuccreſcat, Parentesque Regii honoratiſſimi olim ex illa honorem, gaudium, decus & gloriam immortalem conſequantur. Id quod in Gaudii Noſtri teſtificationem ad Regiam Serenitatem Veſtram perſcribere voluimus. Cui ad omnia officiorum genera ſemper parati ſumus. Dabantur Dresdæ, die ulima Octobtis, Anno 1638.

XC.

Literæ CHRISTIANI IV. Daniæ Regis, ad LUDOVICUM XIII. Galliæ Regem, quibus ei, quousque in tractatibus Pacis Lubecæ inchoatis perventum ſit, refert, atque ſe nihil inde in gratiam Ordinum fœderati Belgii Generalium efficere poſſe aſſeverat, 1639.

Chriſtianus IV.

SEreniſſime Princeps. Literas Serenitatis Veſtræ, quibus ipſa Nos in ſtudio conciliandæ pacis univerſalis confirmare, & Ordinum uniti Bel-

Digitized by Googl

Belgii cauſam & rationes ſollicitudini Noſtræ commendare nititur, reddidit nobis heri idem, per quem, æſtate præterita, fidem de hoc ſtudio Noſtro Vobis fecimus. Gratiſſimæ Nobis illæ fuerunt, quod in Nobis confirmant opinionem jam dudum documentis non vulgaribus excitatam, veſtræ erga Nos benevolentiæ atque in Nos collocatæ fiduciæ, tum & propenſionis Veſtræ ſingularis ad pacem Orbi Chriſtiano recuperandam. Nos cum toto hoc tempore, ex quo turbari Germania cœpit, in eam curam evigilaſſemus quam diligentiſſime, ut motus iſti pernicioſi componerentur, & priſtina tranquillitas Imperio Romano reſtitueretur: Tum vero maxime in eo ſtudio verſata eſt Noſtra ſollicitudo, ex quo ſigna Suecica in Germania conſtitui cœperunt. Tentavimus antehac aliquoties, poſſetne, ſin minus alia via, interventu tamen Noſtro negotium hoc expediri & arma Suecorum tranquillari, ſed ſumus experti ſubinde, fuiſſe animos utrinque exulceratiores, quam ut remedio locus eſſet: Nos tamen nihil deterriti difficultate rei, in ea cura deinceps firmiter perſtitimus, ſpe freti, non defore ſemper conatibus Noſtris ſucceſſum: Neque vero parum ſpei illi Noſtræ acceſſit, cum ante annum utrinque, tam in Aula Imperiali, quam in Svecia, & pacis mentionem & ad pacificationem operam Noſtram gratiorem animadverteremus. Itaque officia ad rem illam Noſtram iterum parti utrique cœpimus offerre; tanta majori contentione, quod tunc audiremus eſſe deſtinatos Coloniam, & propediem ſub auſpiciis Pontificis Romani & Vene-

Venetorum inchoandos tractatus, quibus Vestra Serenitas, si fieri posset, ad pacem & concordiam cum Domo Austriaca reduceretur. Verebamur enim, quantumvis dissidia Vestra inter vos sopirentur, bellum tamen Germaniæ sopitum ante non fore, quam & cum Corona Sueciæ res, modo conveniente, transacta esset. Cum igitur utraque pars operam in hoc negotio nostram sibi placere nobis significasset, id egimus, prout decebat, sollicite, ut & nos bona partium voluntate, rem ad tractatus perduceremus. Dum his consiliis occupamur, supervenit ecce renovatio fœderis inter Vestram Serenitatem & Reginam Sueciæ, in qua, quamvis consiliorum facta est unio & communio, tractatuum tamen futurorum pacis (si forte rem eo pervenire contigerit,) remansit separatio talis, ut Vestræ Serenitatis negotia Coloniæ, Suecorum Lubecæ conjunctim tempore, utrobique vero communium fœderatorum per Germaniam res peragi deberent. Quemadmodum autem Vestrarum partium mediatores Pontifex Romanus & Respublica Veneta ea tantum curæ habebant, quæ ad promovendos tractatus Colonienses pertinere ipsis significabatur: Ita nec nobis alterarum partium recepto mediatori integrum videbatur, aliorum curam gerere, quam quæ maturando Lubecensi tractatui Nobis videbantur necessaria. Quapropter cum ex parte Coronæ Sueciæ hæc tantum promovendo utrinque congressui narrabantur requiri, primum potestas tractandi in debita forma & deinde salvi Conductus 1.) Pro Legatis Coronarum 2.) Pro earum agentibus 3.) Pro

Digitized by Google

Pro earundem Confœderatis & Adhærentibus Communibus per Germaniam, in genere & in ſpecie pro Duce Bernhardo Vinarienſi & Landgravia Haſſiæ, hoc addito promiſſo, itum iri illico ad tractatus utrinque, ſimul ac hæc omnia præſto fuerint: id egimus diligenter, ut ea ab Imperatore obtineremus. Quæ, cum jam conſecuti ſimus, in forma a Nobismet ipſis ex æquo & bono præſcripta, nec non ab ipſo Legato Suecico, antequam ad Imperatorem mitteretur (in eum caſum, ſi illa obtineri in meliori forma non poſſe contingat) recepta. Veſtræ Serenitati judicandum relinquimus, quid jam facultatis nobis ſit reliquum in hoc negotio, antequam ad congreſſum perventum ſit. Ordinibus fœderati Belgii pro jure noſtræ vicinitatis & amicitiæ, certe quam optime cupimus; nec ignoramus, quantum noſtra & omnium vicinorum interſit illos conſervari; neque etiam apud Tractatus, ſiquidem opus erit, faciemus, ut ullum amicitiæ & benevolentiæ officium in nobis deſiderare poſſint. Quoniam autem ipſi in ordine dictorum Communium confœderatorum non ſunt, ipſorum negotia in partem Lubecenſis Tractatus non venient, eorum quoque apud nos debito tempore nulla facta eſt mentio, & ipſi a nobis tale quid hactenus non petierunt. Proclive erit Veſtræ Serenitati hinc proſpicere, omnia, quæ hactenus acta ſunt, impedimento nobis eſſe, quo minus quicquam ante congreſſum, quantumvis velimus, in gratiam ipſorum faciamus. Si qua autem alia in re Serenitati Veſt. gratificari poterimus, volumus ſtudia ſibi noſtra

parata ſciat. Ita illi fauſtiſſima quæque precamur. Dabantur Rensburgi die 30. Jan. 1639.

Chriſtianus IV.

XCI.

Literæ Theologorum per Helvetiam Reformatorum, quibus a D. GUILIELMO M. Britanniæ Primate & Archiepiſcopo Cantuarienſi ſollicite efflagitant, ut CAROLO I. Magnæ Britanniæ Regi, bellum in Scotos deſtinatum omni, qua polleret induſtria, diſſuadeat, 1639.

REverendiſſime & Ampliſſime Domine Præſul. Scitum naturæ eſt, Apoſtolica autoritate firmatum: ſive patitur unum membrum, ſimul dolent omnia membra, ſive honore afficitur unum membrum, congratulantur omnia membra. Ad hoc quia accedit communio ſanctorum illa, quam credimus & profitemur, quin Amplitudo Tua hanc noſtram epiſtolam in partem meliorem ſit acceptura, dubitamus nulli. Amplitudo Tua ignorare haud poteſt, Germaniam noſtram, quanta miſeria, quanta calamitatum abyſſus inundarit, annos jam continuos viginti, & quod excurrit. In Palatinatu imprimis, non ita pridem florentiſſima Imperii Romani Provincia, quanta deſolatio invaſit domos privatas, Scholas, Collegia, Templa, Curias, Palatia. Tacemus crudelitatis genera, omnibus retro ſeculis inaudita. Acerba hæc & triſtia ſunt, cum illis, qui experti ſunt ipſi, tum ætati etiam poſteræ, ſi poſteritatem aliquam eſſe Illuſtris Domini adventus permiſerit.

Cæterum haud minore acerbitate urit animos no-

noſtros, quod Sereniſſimum & potentiſſimum Magnæ Britanniæ Regem, exercitum in Scotos ſuos ducendum conſcribere, ſermone omnium percrebeſcit, & literæ amicorum confirmant. Equidem nullas hic nobis omnino vel cognoſcendi vel judicandi ſumimus partes, qui & conſcii nobis ſumus noſtræ mediocritatis, & falcem in alienam meſſem, aut non feliciter, aut non ſine dedecore mitti non ignoramus. Sed nec dubitamus, quin viri ingenio & virtute præſtantes, quibus Mag. Britanniæ Regnum abundat, ardui hujus negotii cauſas, naturam, incommoda, denique ſerio ſerioque trutina pietatis examinent. Hoc unum vero Amplitudini Tuæ, honoratiſſime Domine præſul, ſignificare nos cogit, ingenuus Helvetiæ noſtræ ſpiritus, nempe difficillimis iſtis temporibus, nihil acerbius, nec triſtius his turbis veſtris omni Reformatæ Eccleſiæ accidere poſſe: Regem veſtrum Sereniſſimum & Regnum amamus, columus, veneramur: Regni ſtatum ſuſpicimus, admiramur, Deo voto & prece commendamus jugiter. Nec piæ mentes, quarum certe in remotiore hoc territorio noſtro eſt numerus ingens, antiquius quicquam habent felicitate, tranquillitate, ac omni beatitatum affluentia Magnæ Veſtræ Britanniæ. Affectum hunc erga vos noſtrum non nuper aſſumpſimus, ſed hauſimus a Majoribus noſtris, viris Religioſiſſimis, Eccleſiarum Anglicarum obſervantiſſimis. Hoc, ut imitaremur ſtrenue, peculiari inſtituto quodam a pueritia noſtra ultima ſtuduimus. Et quoniam aliud nihil ad teſtandum amorem & obſervantiam noſtram proficiſci a nobis poteſt, id unicum nobis relictum eſt, ut in Pa-

ternitatis Tuæ ſinum, curam & ſollicitudinem noſtram, ſuſpiria ac gemitus noſtros, pro Regni Veſtri tranquillitate, conceptos, ac quodammodo viſcerum noſtrorum affectum, omnem exoneremus. Intelligimus omnes, quam atrox ſit bellum civile, ſive inteſtinum omnino omne. Verum omnem crudelitatem excedit illud bellum, quod ſuſcipi contingit ab iis, quos prius vel vicinia vel conſanguinitas, vel Religio arcte conjunxerat. Hos ubi ad arma compellit, ſive cauſa quæcunque vera, ſive prætextus cauſæ ſponte vel ſpecioſe quæſitus, quicquid in partibus belligerantibus ſupereſt zeli, jam totum in furorem convertitur, per quem nec humanis parcitur, neque divinis. Quodſi ſeveritas Divina malum hoc Regno Veſtro immitteret, Deus bone, quanta ludibria & gemitus Eccleſiæ Reformatæ, orthodoxæ veræque Catholicæ arma veſtra attulerint! Hanc igitur gloriam Tibi, Vir Magne, pectore toto optamus, ut Tibi, & præſens & poſtera ætas ſecundum Deum debere poſſit florentiſſimæ Monarchiæ veſtræ incolumitatem: Nempe ut hoc efficias, ne res armis, ſed Regia Autoritate, clementiaque efficiatur. Certe præter ſuaviſſimas conſcientiæ Tuæ lætitias immortalitatem etiam celeberrimi nominis Tui feliciſſime conſequi poteris: Nec non omnium piorum, præſertim auxilium veſtrum exſpectantium, animos Tibi habebis faventes, Deo gratias illi agent perpetuas, quod is per pietatem & prudentiam tuam, Sereniſſimum Magnum Britanniæ Regem hisce periculoſiſſimis motibus, tot cives cæde, Eccleſiam Veſtram perſecutione, Re-

gnum incendio, matres ſtupro, patres orbitate, tot piarum denique mentium myriades ſollicitudine, plurimos deſertionis diſcrimine, metuque liberaverit. Deum Optimum Maximum rogamus ſupplices, ut Regiæ Majeſtati, quam humillime veneramur, Amplitudini Tuæ, ac toti Senatui Regio conſilia inſpiret, quæ Majeſtati ipſius divinæ grata, Regi glorioſa, Regno ſalutaria & Eccleſiæ militanti univerſæ utilia ſint, per Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen, Menſe Martio, 1639.

Amplitudinis Tuæ Obſervantiſſimi,

Eccleſiarum & Academiarum, Tigurinæ, Bernenſis, Baſilienſis & Scaphuſianæ, Paſtores & Profeſſores.

Inſcriptio.

Reverendiſſimo & Ampliſſimo Domino,

Domino Guilielmo, Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Britanniæ Primati & Metropolitæ, Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati a Conſiliis intimis, Domino honorando.

XCII.

Literæ CHRISTINÆ, Reginæ Suecorum, ad Regem Galliæ LUDOVICUM XIII. quibus eum, ut Carolus Ludovicus, Princeps Palatinus, e cuſtodia, in qua Molini aſſervabatur, liberetur, amice compellat, 1639.

Nos Chriſtina Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque deſignata Regina & Princeps hæreditaria, Magna Princeps Finnlandiæ, Dux Eſthoniæ & Careliæ, Ingriæque Domina.

Serenisſimo, Potentisſimoque Principi, Fratri conſanguineo, ac Fœderato noſtro chariſſimo, Domino Ludovico XIII. Franciæ & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo, ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus!

SEreniſſime ac Potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, & Fœderate chariſſime. Serenitatem Veſtram celare amice noluimus, Sereniſſimam Reginam Bohemiæ nobis ſignificaſſe, Filium ſuum Palatinum Electorem, cum iter faceret per Galliam, Rhenum verſus cogitans, Molini detentum fuiſſe. Quem cum nullo alio id fine feciſſe aſſeverat, quam pro ſtabilienda iſtic loci cauſa communi, Nos quam diligentiſſime per literas requiſivit, ut apud Serenitatem Veſtram commendatione noſtra ſtudioſiſſima interveniremus, quo dictus Elector a detentione iſta relaxari, & iter ſuſceptum denuo ingredi atque abſolvere poſſit. Nobis equidem nihil conſtare poteſt, quibus de cauſis Serenitati Veſtræ viſum fuit hujus ipſius itineri remoram injicere: Quibus operoſe indagandis tanto minus ſumus ſollicitæ, quanto ſine omni cauſa Serenitatem Veſtram id fieri haud paſſam fuiſſe ſperamus. Anxiis dictæ Reginæ nihilominus deſideriis ſi detulerimus, præſtandis tam afflictæ domui, ad rogata Matris, officiis, diſplicituram Serenitati Veſtræ minime exiſtimamus. Nam præterquam ex longo jam tempore, a communi hoſte ac Domo Auſtriaca oppreſionem domus iſthæc paſſa fuit, & non tantum quoad perſonas inclytas magnis injuriis atque violentia affecta, ſed

&

Digitized by Google

& ditionibus propriis ac Patria longe exeſſe coacta eſt,; juſta commiſeratione non immerito ducimur, quod indignationem aliquam Serenitatis Veſtræ fortaſſis incurrerit Princeps, cujus beneficio & ope ad reſtitutionem in priſtinum ſtatum ac libertatem maxima cum fructus & affectus ſpe promoveri potuiſſet. Nobis ſane & eo nomine commendandus, quod ſocius nobis fœderis extitit in Germania, & qui inter cæteros Germaniæ Principes, præcipuum locum & cauſam obtendit, ac quod ad præſens negotium magis ſpectat, in conſultationibus & conſiliis ad Serenitatem Veſtram plurimum reſpexit, veteris obſervantiæ memor, qua Prædeceſſores in illa Electorali Domo Regno Galliæ promptiſſimis officiis addicti fuere, Quorum intuitu, nos non modo interceſſionis officio apud Serenitatem Veſtram, pro eo, quod nobiscum invicem intercedit arctioris neceſſitudinis vinculo defungentes, amice rogamus, ut benevolum noſtræ requiſitioni locum concedat, ſed & id beneficii in Reginam Viduam & Principem Electoren, adeoque totam iſtam domum conferat, quo detentus Princeps, benigne, ac primo quoque tempore dimittatur. Tantum Serenitatis Veſtræ beneficium, omni procul dubio debita gratitudine ipſi agnoſcent, & nos ſingulari id amicitiæ loco habituræ ſumus, ut quem cuſtodiæ mancipatum Serenit. Veſt. detinuerat, Noſtræ interceſſionis beneficio dimiſſum ac liberatum Principem Domus præfata tribuat. Hinc quoque Ordinario Noſtro apud Serenitatem Veſtram Legato, Nobili & Magnifico nobis ſincere fideli, Domino Hugoni Gro-

tio, commiſimus, hasce Serenitati Veſtræ literas offerre & animi noſtri ſenſa pluribus exponere: Quem ut benigne admittat, fraterne Serenitatem Veſtram requirimus, atque hisce eandem divinæ tutelæ animitus commendamus. Dabantur Copiæ Vesmannorum, 19. Decembris 1639.

Serenisſimæ Regiæ Majeſt. Sueciæ
reſpective Tutores & Adminiſtratores.
Gabriel Oxenſtierna, Guſtavi
R. S. Archid. pifer.
Axelius Oxenſtierna, R. S.
Cancellarius.
Jacobus de la Guardie, R. S.
Mareſchallus.
Erycus Ruyningius, loco S. R.
Admiralii.
Gabriel Oxenſtierna, L. B. in
Mœreby & Lindholm, R. S.
Theſaurarius.

XCIII.

Literæ CHRISTINÆ, Suecorum Reginæ, ad ELISABETAM, Friderici V. Electoris Palatini viduam, quibus ſe omni effeciſſe ſtudio refert, ut Elector filius ejus, cuſtodia, cui Molini commiſſus erat, quam primum emittatur, 1639.

Chriſtina Dei gratia &c.

SEreniſſima Princeps, conſanguinea, & amica chariſſima. Literas Seren. Veſtræ Hagæ 21. Novembris præteriti datas, hisce diebus recte accepimus;

mus: e quibus præter opinionem intellexímus Sereniſſimum veſtrum filium, Dominum Electorem Palatinum, *(Carolum Ludovicum)* cum ex Anglia per Gallias iter faceret, Rhenum verſus, eo fine, cujus in literis veſtris mentionem injeciſtis, Molini detentum, & quo minus iter ſuſceptum maturaret, perficeretque, remoram ipſi injectam fuiſſe, cauſæ communi multum officientem. Nosque amice requirere, ut operam Noſtram contribuamus, imprimisque Noſtro in Gallia Legato mandemus, omni ope & officiis ibi in id inniti, quo dicti Electoris relaxatio promoveri, & propoſitum iter citius ab eius dilectione ingredi atq; abſolvi poſſit. Nos attendentes Dominum Electorem, Serenisſimum Veſtrum Filium iter illud, pro communi bono ſuſcepiſſe, atque ut fœderatorum exercitui ad Rhenum agenti ſubſiſtentiam conciliet, ſtatumque iſtum conſervet, operam contribuere voluiſſe. Non potuit non grave nobis accidere, quod a tam ſalutari propoſito retentum eum fuiſſe comperiamus. Cumque nos huic intentioni effectui mandandæ, occupatum eum pro mutua neceſſitudine ſecundare, alienæ non fuerimus, anſam nobis hoc interjecto impedimento præreptam, dolemus. Et quamvis cauſa jam minus ſit integra, tamen ad requiſitionem Serenitatis Veſtræ relaxationem Dilectionis ſuæ, quam operoſiſſime apud Chriſtianisſimum Regem ſollicitabimus. Quod officium, cum ſerio peragere Ordinario noſtro inibi Legato mandaverimus, non dubitamus, quin omnem eo operam ſit collaturus, quo & mandato Noſtro, ut & Serenitatis Veſtræ deſideriis, quantum poſſibile,

ſatisfiat. Quo nomine & Dilectionem Sereniſſ. Regis Galliæ, ſtudioſe per literas compellavimus, ita ut locum rogationi noſtræ relictum iri ſperemus. Etſi præterea affectum, quo Domini Electoris Dilectionem, adeoque totam ejus inclytam Domum, ſemper proſecutæ fuimus, & etiamnum proſequimur, opere ipſo etiam in aliis conteſtari poterimus, nihil reliqui faciemus, quo magis magisque demonſtremus. Datæ Holmiæ 19. Decembr. 1639.

XCIV.

Litera, quibus Theologi Scotici, Reformatis per HELVETIAM Theologis Eccleſiæ Scoticanæ faciem a primis ejus incunabulis ad ſua uſque tempora brevibus delineatam repræſentant, ſeque a perduellionis & ſeditionis crimine purgant, 1640.

LIteras Veſtras, fratres in Domino plurimum honorandi, 10. Jan. datas, vertente Martio accepimus, cum Apographo Epiſtolæ menſe ante Junium exaratæ: ex quibus curæ eſſe Vobis & cordi Regni & Eccleſiæ Noſtræ pacem ac ſalutem perſpicimus, quod non modo incolumitatis ergo, nos orare, hortari pergatis, ſed & apud eos, qui gratia & autoritate apud Regem valent atque pollent, laborem, operam & ſtudium ad Nos ſublevandos interponere non gravemini. Debemus & hoc humanitati Veſtræ, quod adverſariis temere fidem non adhibendam duxeritis, qui Nos etiamnum calumniis onerare, ac ſiniſtris rumoribus diffamare ac deferre ſatagunt. Quibus arctiſſimis benevolentiæ vinculis Nos ita obſtrinxiſtis, ut tanti beneficii

Digitized by Google

ficii memoriam nulla ætas, nulla oblivio delere poſſit. Quod vero Vos angi & cruciari ſcribitis, triſti accepto nuntio, Regem orthodoxum, in ſubditos orthodoxos eosque in ſui defenſionem parare arma, atque idcirco tantorum motuum totiusque Controverſiæ cauſas edoceri a Nobis ſtudioſe exoptatis, quæ quia in abdito non ſunt reconditæ, ſed in aprico poſitæ, ſollicita inveſtigatione non egent. Malorum etenim omnium fontes, in Regni hujus & Eccleſiæ perniciem redundantes ex Epiſcoporum typho, tyrannide & heterodoxia certo certius promanare cernimus. Non pigebit ergo in Veſtri gratiam, fratres in Domino plurimum colendi, rem altius repetere, atque a Chriſtianæ fidei initiis in hoc Regno exordium paucis arceſſere. Tenete igitur: Depulſis Ethnicarum ſuperſtitionum tenebris, Scotia per Apoſtolos, aut Apoſtolorum Diſcipulos ſaltem anno a ſalutari partu, plus minusve CC. ſubditos publice cum Rege Chriſto nomen dediſſe: Exinde per totos ducentos annos Genti Scoticanæ, Epiſcoporum poteſtatem & Nomen non innotuiſſe, ſed Presbyteros Eccleſiæ gubernacula tenuiſſe, quo temporis ſpatio exacto, ad annum Chriſti uſque M. quatuor titulotenus Epiſcopos, nullis diſtinctis limitibus, nullis diviſis Diœceſibus, non Imperio ſed ſanctimonia, in communi Eccleſia rexiſſe tradit Boëtius. Quantum vero a præſidentia Epiſcopali abhorruerit Noſtra Eccleſia, teſtis locuples venerandus Beda, qui in Inſula illa, in qua ſepultus eſt Columbanus, Presbyterorum dicto Epiſcopum eſſe audientem refert. Unde tria iſta conſtant, exiſtimaſſe majo-

res

res Noſtros, commodiſſime ſine Epiſcopis adminiſtrari poſſe Eccleſiam, cenſuiſſe etiam jure divino Epiſcopum Presbytero non ſuperiorem fuiſſe, tantum itidem Diœceſium Diviſionem illis diſplicuiſſe, ut Diœceſanis Epiſcopis ad annum Chriſti M. Eccleſia noſtra caruerit. Poſt quæ tempora e tenebrarum carcere vinculis exſolutus Satanas, Eccleſiam Chriſti majorem in modum infeſtare, turbare & tantum non peſſundare occœpit, perfecitque ſuis artibus, ut perpetua errorum nox Eccleſiæ huic incumberet totos quingentos, & quod excurrit annos, donec miſericordia ſumma commotus Deus Religionis purioris vindices excitavit, qui ex Antichriſti faucibus Eccleſiam ereptam, natalibus ſuis reſtituere, & Apoſtolicæ ſimplicitati conformare enixe ſtudentes, Epiſcopalis ὑπεροχῆς nullam rationem habuerunt, ſed eodem eſſe loco Presbyterum, quo Epiſcopum duxerunt. Politiam quoque Eccleſiæ, verbo Dei conſentaneam, ita deſcripſerunt, ut retinendæ puritati morum & Doctrinæ, quatuor in eo conſeſſus conſtituerentur, quorum infimus Parochianus ex unius Eccleſiæ Paſtore cum ejusdem Senioribus, cui proximus, ſed autoritate major, ex plurium Paſtorum in vicinia degentium, conventus, quem Galli claſſem, Nos cum veneranda antiquitate, presbyterium indigitamus, ſubjacet hoc Provinciali Synodo, atque ea generali: In quibus ab inferiori ad ſuperiorem datur provocatio: Quamdiu ſtetit integra hæc rerum ſcena, nulla emerſit corruptela, quæ, ſi non in herba enecata, robur aut maturitatem aliquam non eſt aſſecuta. Sed ubi Reformatorum

ante-

Digitized by Google

anteſignani, præcipue Joan Knoxus, in omni laude cumulatisſimus, & Prophetico plane ſpiritu præditus, ubi (inquimus) confectis vitæ ſtipendiis, ad cœleſtem Patriam migraſſet, pro Regis auſpiciis, qui tum rerum potiebatur, atque aulicorum artibus & cupiditate, qui ſuis commodis velificabantur, procuratum eſt, ut in Epiſcopos legerentur, qui maxima redituum parte illis cederent, ſed factum hoc fuit reclamante Eccleſia, quæ generali Synodo ſancivit, ut unus uni tantum Parochiæ Epiſcopus non pluribus præficeretur, Sympresbyteris non ſe anteferrent, magnatum titulis abſtinerent, nec ſe ſeculi negotiis miſcerent, reditus haberent, non ad pompam & luxum, ſed ad honeſtatem tuendam idoneos. Verum mox has lineas tranſilientes, cum neque modum neque modeſtiam ſervaſſent, publicis indictis Comitiis in jus vocavit Eccleſia multorum criminum poſtulatos, ad unum omnes damnavit, gradu Epiſcopali dejecit, gravioribus flagitiis coopertos, anathematum vinculis innodavit: Epiſcopatum denique omnem tollendum decrevit. Eodem, quo hæc geſta ſunt, Anno, edita eſt brevis fidei confeſſio, in qua cum Pontificiæ doctrinæ corruptelis, Antichriſtiana omnis Hierarchia in perpetuum damnata eſt. Ad quam confeſſionem ſartam tectam tuendam, qua doctrinæ, qua Regiminis forma ante memorata, Rex Sereniſſimus Jacobus, cum Auguſta familia & Regni omnes Ordines, ſanctioris Senatus edicto, fidem jurejurando, additis chirographis obſtrinxerunt. Hinc aurea inſecuta ſunt tempora, in quibus pax & concordia maxima inter fratres vigebat, orthodoxia florebat, pietas

magis

magis ac magis invaleſcebat. Sed iſtis Alcyoniis diu non frui tulit Eccleſiam Noſtram reciprocans adverſæ ſortis æſtus. Nam vix emenſo integri decennii curſu per clandeſtinas artes & cuniculos Epiſcopatus inſtaurari cœptus eſt. Ad perjurii autem maculam incruſtandam, verius quam abſtergendam, fucus hic eſt factus, ut crearentur ex Paſtorum Albo, non qui Epiſcopi, ſed commiſſionarii dicerentur, quibus in publicis Regni comitiis ſententiæ dictio daretur Eccleſiæ nomine, ne quid ea detrimenti caperet. Huic cum a ſagacioribus reſtitum fuiſſet, iſta eſt excogitata ratio, ut quibus munus hoc demandatum, certis finibus & cancellis circumſcriberentur, extra quos ſi pedem efferrent, ſibi & officio fraudi futurum. In hos tamen poſtquam Serenisſimus Rex Jacobus, titulos, reditus & honores Epiſcopales contuliſſet, tum procerum titulis compellari, in foro ſe jactare, in ſanctiori Senatu ſedere, exoſi vulgo & Eccleſiæ formidabiles eſſe cœperunt. Nec tamen ulla lege, vel legis colore, dominandi aliquam poteſtatem in Eccleſiam habuere, donec reparatæ ſalutis Anno 1610. in Glascuenſi conciliabulo, conductis ſuffragatoribus, divenditis ſententiis, poteſtatem ordinandi, excommunicandi, & præſidendi in Comitiis Eccleſiaſticis ſurripuerunt potius quam acceperunt. Ad hanc προσασίαν ubi per gradus iſtos aſcendiſſent, ne quid Pontificiarum ceremoniarum deeſſet, Presbyterorum Ordinationi Epiſcopalem conſecrationem ſuperadjici voluerunt. Quam quia in Eccleſiis Noſtris conſequi non poterant, Londini, non ſine patriæ & Eccleſiæ Libertatis diminutione, ab Epiſcopo

ſcopo Cantuarienſi obtinuerunt, tum ſuccum, ſanguinem, & colorem priſtinæ Eccleſiæ amiſimus. Hinc omnia in pejus ruere, & retro ſublapſa referri cœperunt, adeo ut Antichriſtiana Hierarchia ante ejecta, bonorum ſummo cum gemitu & mœrore, ab inferis in lucem revocaretur. Non enim Vos fugit, Viri doctiſſimi & fratres venerandi, quatuor iſtis, Ordinationis nempe, Jurisdictionis, Confirmationis, & Locorum ſanctorum conſecrationis poteſtate, Hierarchiæ illius munia perfici & abſolvi, quæ omnia ſacræ paginæ largitioni, non humanis inſtitutis accepta ferunt Pſeudo-Hierarchiæ illius Patroni, quod quam putidum ſit commentum, refellendi Nobis nec locus, nec animus. Utut eſt, hæc ſibi ut propria vendicarunt, licenter, an crudeliter potius in fidos Dei adminiſtros exercuerunt, quorum alios exauctorarunt, alios ſilentio damnarunt, carceri non paucos manciparunt, patrium ſolum nonnullos vertere compulerunt, quin & eo ſuperbiæ perveneruntt, ut in compitis & plateis, magno ſtipante clientium numero, holoſericis amicti ſe jactarent. Si quæ ſacra domi obeunda (quæ perrara) Sacellanis ſuis ea demandarunt, jus utriuſque gladii ſibi arrogarunt, in ſanctioris Conſilii Senatu dominabantur, jus in foro dicebant, vectigalibus & Fiſco Regio præſidebant. Generalis Synodi indictioni, ne male adminiſtratæ Eccleſiæ poſtularentur totos XX. annos interceſſerunt. Ad Cancellariatus faſtigia, ubi tandem perveniſſent, ut ne mutire aut hiſcere contra, quempiam exiſtimarent, Canonum libellum in lucem ediderunt, quo jus omne Eccleſiæ in ſe tranſcripſerunt, ad eorum

nutum

nutum & renutum omnia geri imperantes, Presbyteros κωφὰ πρόσωπα esse jusserunt, ac præter Verbi & Sacramentorum administrationem (quæ moralis tantum, ut loquuntur in scholis, potestas) iis nihil reliqui fecerunt. Atque hæc hactenus de τύφῳ, & Tyrannide Episcoporum pauca delibavimus. Restat heterodoxia, quæ vel hinc constat, quod ingrati in gratiam Dei Arminianismum, hoc est Pelagianismum recoctum ex ambone promulgare, & populo ingerere non sint veriti, manubriisque Dei gratiæ voluntatem humanam exornare non perhorruerunt. De Statuis in templis reponendis, ambigue pro concione differebant; Pontificem Romanum esse illum Antichristum & purpuratam meretricem, asseverare nefas ducebant; Præsentiam in sacra cœna, non objectivam tantum, & fide contrectandam, sed subjectivam in terris & loco certo circumscriptam asserebant, & quod horret animus meminisse, Christi justitiæ imputationem, in quo salutis cardo vertitur, ex eorum numero non postremi, pro somnio & figmento habuerunt. Nihil crebrius, nihil frequentius in omni cœtu & congressu, quam concordiam inter Orthodoxos, & Romanam Ecclesiam iniri facile posse, quod in articulis fidei palmariis, & fundamentalibus nullum esset disidium. Adde quod mensam Domini in Aram transformarint, quam ad orientem sisti, cancellis circumdari præceperint: illam flexis genibus, quoties præterirent, venerabantur, solis ortum adorabundi spectabant ac Liturgiam idololatricis refertam ritibus Ecclesiæ nostræ, pro norma cultus divini, obtruserunt, quam si amplexa

xa esset, actum de cultu Dei fuisset, tantum enim aberat, ut Anglicanis, a quibus scatet, fœcibus repurgaremus, ut contaminatiorem multo Nobis exhiberent, sanioribus expunctis, nequiora inseruerunt, quæque vero Stylo D. Bucerus, eximiæ pietatis & reconditæ eruditionis Theologus, olim delerat, ea reposuerunt, adeo, ut nullus sit in farragine & pontificiorum errorum mole error, cujus in ea fere non maturam messem, aut sementem saltem oculatus & judicioſus Lector deprehendat. Hinc novorum motuum & tot malorum origo, quæ exterorum aures atque animos implevit. Nam cum Regio Diplomate in eas angustias Pastores & populos conjecti essent, ut vel perduellionis crimen subire, aut illam liturgiam, contra jusjurandum, fidem Ecclesiæ ac Patriæ instituta amplecti cogerentur, effectum est, ut Regni omnes Ordines, quorum jam dudum in tolerandis Episcopis patientia obmutuit, hujus liturgiæ experrecti nuntio, de profligandis corruptelis & primæva puritate restauranda consilium iniverint.

Regem itaque Sereniſſimum cum primis supplicibus verbis & libellis, & sanctiorem ejus Senatum rogare, orare, hortari non destiterunt, ut afflictæ Ecclesiæ succurrerent, in Episcopos vero tantorum malorum Auctores serio animadverterent, dum tardius auxilium parari, supplicibus non responderi, postulata sua nihil pensi haberi cernerent, in se altius descendunt, mentis latebras penitius excutiunt, violati fœderis memoria conscientias pungit, laniat, perfodit: quare seria pœnitentia ducti, Fœdus cum fidei confessione renovare statuerunt,

quæ chirographis primo consignarunt, deinde, solenni indicto jejunio, jurejurando sublatis dextris, multorum cum gemitu & lachrymis, publice in templis confirmarunt. Dum hæc aguntur, missus est a Sereniſſimo Rege Marchio Hamiltonius ad controversias has cognoscendas, lites componendas & tempestates omnes in tranquillum redigendas, cujus ope & industria hoc consecuti sumus, ut his tollendis insidiis comitia Ecclesiastica Glascuæ habenda indicerentur. Ad condictum diem & locum convenerunt frequens Pastorum numerus & seniores, quibus Jus ferendi suffragii ab ecclesiis demandatum, Episcopi per apparitores citati & adesse jussi superbe renuerunt, Ecclesiam ferre Judicem recusarunt, ventilata itaque eorum causa, quod ingentia & innumera in Ecclesiam mala intulissent, omnium calculis de Episcopali gradu dejecti fuerunt, Episcopalem etiam Hierarchiam, quod ex humano instituto profecta, multisque nominibus exitialem & noxiam Nostræ Ecclesiæ semper essent experti, ex Nostris Ecclesiis eliminandam censuerunt. Episcopi ira perciti & efferaci ad Regem confugiunt, apud quem partim importunis precibus & clamoribus, partim gratia & potentia Episcopi Cantuariensis (quem conatuum, molitionum & superstitionum auctorem, fautorem & Patronum habent) tantum profecerunt, ut Sac. sanctum ejus pectus contra indolis probitatem, & innatam clementiam impulerint, ut bellum in Nos, tamquam perduelles indiceret; imo jam paludatus ipse in Nos ducit exercitum, quo terra marique cingimur. Cum in pro-

Digitized by Google

procinctu utraque acies ſtaret, & viderent adverſarii nec numero, nec animis Noſtros inferiores, conventum eſt utrimque, ſuffragante Rege, ut Eccleſia ab Eccleſiaſtica Politia ſuis legibus regeretur. Sereniſſimus Rex, quæ recepit, præſtare viſus eſt, Eccleſiæ congregandi Synodum poteſtatem fecit, in qua omnium ſuffragiis annuente etiam Fraquarii Comite, qui Regis perſonam ſuſtinebat, repetita & confirmata eſt Epiſcopis & Epiſcopalis Hierarchiæ damnatio, ſed ſalvo aliarum Eccleſiarum judicio. Synodum hanc Parliamentum excepit, in quo ante omnia (quod uſu & conſuetudine ſemper obtinuit) poſtulat a Verbi Dei præconibus, ut Canones Eccleſiaſtici ſanciantur & cum primis ille de damnato & conclamato Epiſcopatu.

Ad hoc a Fraquarii Comite, qui Regis nomine comitiis præerat, cunctanter reſpondetur, tempus trahitur, diverticula quæruntur: fallacia tandem hæc reperitur, ut ſi Epiſcopis Regni Corpus careret, præcipuo membro truncaretur, quare in eodem loco ad abſolvendum Regni Corpus ſubſtituendos cenſent Abbates, Priores & ejus farinæ homines, ſed perpaucorum fuit hæc, aut pene nullorum ſententia: qua nihil abſurdius dici poteſt, ſi antiquitatem conſulamus, quam Monachos & Mandritas, qui in locis ſubterraneis, aut ſolitudine latebant, in luce multorum, Urbium frequentia, publicis congreſſibus verſari. Quid a decoro magis alienum, quam illos quorum erat non docere, ſed plangere, in cilicio & cinere ſordeſcere, in ſuprema Regni curia, murice aut bombycina veſte ſplendeſcere? Sed quia dominante Papatu in Regno hoc

receptum fuit, ut Abbates & Priores ſuffragium in his Comitiis ferrent, tolerandum hoc, quod nondum exolevit, at novos & inauditos Abbates renunciari, qui Epiſcoporum vicem ſupplerent & numero exæquarent, nullo jure nitebatur, eoque ſpectare videbatur, ut quando recta, ad reſtituendumEpiſcopatum, aditus non pateret, his artibus per poſticam intromitteretur. Quamobrem iſti de Archimandritis ſententiæ jure reſtitum fuit a Regni Ordinibus. Comitiorum Præſes, partim metu, partim aulica verſutia ineſcatus, Serenisſimum Regem de eo nec non de comitiorum ordine, ſuffragatorum numero, aliisque ſubditorum querelis conſulendum cenſuit. Dum reſcriptum Principis expectabatur & ſperabatur, præter expectationem contra morem majorum, Regis ſolius auſpiciis Regni comitia diſſolvuntur. Magnates reliquique Regni Ordines, graviter moleſteque ferentes, vulnera Eccleſiæ & Reipublicæ non ſanata recrudeſcere,ex primaria Nobilitate ſupplices ad Regem delegerunt, qui omnium nomine, ut par eſt, omnem illi obſervantiam & obſequium deferrent, ſed inauditi ſine fructu & effectu in Patriam ſunt reverſi. Hanc etſi repulſam tulimus, non ceſſamus Regi ſupplicare, viasque quærere, quibus ad ejus benevolentiam aditum aperiamus, parati utique pro ejus ſalute fortunas omnes & vitam profundere. Interea certis ad Nos perfertur rumoribus, Regem exercitum contra Nos conſcribere, quod non ſua ſponte, ſed adverſariorum hortatu & impulſu facere perſvaſisſimum habemus. Verum Epiſcopi Noſtri, aliique Babyloniæ meretricis Leones, claſſicum canere, cædem ſpira-

ſpirare, Regni & Eccleſiæ everſionem moliri non deſinunt. Nec harum Tragœdiarum ſonticas cauſas, alias eſſe ſcimus, quam quod nefariis illorum conatibus, typho, tyrannidi & heterodoxiæ via a Nobis præcludatur.

Videtis, fratres plurimum obſervandi, quam immerito ſeditionis & rebellionis traducamur, quantaque injuria nos Paſtores, tribunitii concionatores ab Adverſariis audiamus, quibus non carceres, non cruces, ſed mentem meliorem exoptamus. Quid autem in caſu inculpatæ tutelæ præſtandum, quoniam vos doctisſimos non latet, inſuper habemus ſcriptis mandare. Vobis autem, a quibus ſolis literas benevolentiæ teſtes accepimus, gratias quantas poſſumus agimus, relaturi etiam, ſi facultas dabitur. A Vobis autem etiam atque etiam petimus, ut innocentiæ teſtimonium perhibeatis, cauſæ Patrocinium ſuſcipiatis, ab obtrectatorum calumniis famam vindicetis: & uti Nos afflictis Eccleſiis auxilio & adjumento fuimus, benignitatis vicem ſimiliter ſperamus. Quod ſupereſt, votis omnibus apud Deum contendite pro Nobis, Noſtrarumque Eccleſiarum pace ac ſalute, quem & Nos obnixe rogamus, ut Eccleſias veſtras æternum incolumes & florentes velit Vobisque & veſtris laboribus ita propitius ſit, ut mortalitatis hoc ſtudio feliciter in munere decurſo, palmam cœleſtem aſſequamini.

Dat. Edimburgi Cal. Apr. 1640.

R. R. V. V. A. A. addictiſſimi
Paſtores & Doctores Eccleſiæ Scoticanæ,
atque illorum nomine,
M. Andreas Ramſæus, Eccleſiæ
Edinburgenæ Paſtor.

XCV.

Litera FERDINANDI III. Romanorum Imperatoris, ad URBANUM VIII. Pontificem Romanum, quibus eum sollicite rogat, ne avocando Cardinalem Gineddi, Legatum suum a latere, tractatibus de Pace Coloniæ Agrippinæ habendis destinatum, exoptato Pacis negotio remoram injiciat, 1640.

Beatissime in Christo Pater.

RElatum Nobis fuit, tum a Nostris ad tractatus Pacis Coloniæ instituendos Deputatis Plenipotentiariis, quam Nuncio hic ad Aulam Nostram residente Vestræ Sanctitatis, sibi a (tit.) Cardinale Gineddi ejusdem Sanctitatis Vestræ ad dictos tractatus Legato a Latere, tam verbis quam scriptis significatum esse, quod Sanctitas Vestra, tametsi magis, quam alias unquam in id incumbat, quo tandem congressus speratus Coloniæ ineatur, nihilominus habita ratione incommodorum dicti Domini Legati sui eidem indulserit, ut possit redire in Italiam, iter suum instituendo adversus Ferrariam, ubi ulteriora mandata Sanctitatis Vestræ expectare debeat, substituto interim in ejus locum electo Patriarcha Constantinopolitano, tanquam Nuncio extraordinario; Unde ipse modo memoratus Dominus Legatus, non attentis quibuscunque rationibus & dissuasionibus a dictis Plenipotentiariis Nostris allatis, ad finem hujus vel initium proximi instantis Mensis inde proficiscí constituerit, ita præse ferens, quod postquam tam integer fere annus in una voce accom-

commodanda conſumtus ſit, ac neque dum liqueat, quo in ſtatu negotium verſetur, in ſiniſtram partem non poſſit accipi, ſi Veſtra Sanctitas Legatum ſuum avocet. Quem in modum Nos hæc tam repentina tamque inexpectata vel reſolutio Sanctitatis Veſtræ, vel ipſa communicatio affecerit, hoc præſertim tempore, quando cæteris omnibus tanta cum patientia & longanimitate tam Noſtræ, quam glorioſiſſimæ memoriæ Domini Patris & Prædeceſſoris Noſtri peræqualis, jam non alia, quam quæ ab Hollandis movetur difficultas, ſupereſt, quo minus initium tractatibus fiat, arbitramur haud difficulter quenquam, ac quam facillime Sanctitatem Veſtram ſecum reputaturam, utpote quam minime omnium lateat, cum qui labores hactenus in his præliminaribus componendis fuerint exantlati, cum quod id, quod nunc a Dominis Hollandis prætenditur, petitum omnino novum & inexpectatum ſit, cum ab initio aliquid poſtulatum non fuerit, nec creditum poſtulatum iri, quam literæ paſſus in ea forma, qua alias ad induciarum tractatus illis conceſſæ fuerant: Omnium autem maxime mirum nobis accidit, quod cum hæc res acatholicos, eorumque favorem concernat, ac tam Sanctitas Veſtra, quam Ejusdem Legatus, jam tum ab initio ſuſceptæ Interpoſitionis ſuæ ac hactenus ſemper conſtantiſſime profeſſi conteſtatique ſint, ſe cum acatholicorum rationibus nihil negotii habere velle, nunc inter alias hujus avocationis cauſas hæc potiſſima allegetur, quod Hollandis, quoad novam illam prætenſionem ſuam, non omnino, ac

quam exactiſſime ſatisfactum ſit. Intelligimus quidem dictum Patriarcham (Virum non vulgaribus ornatum virtutibus) eatenus ſubſtitutum eſſe, ut in qualitate Nuncii extraordinarii, rebus ad tractatus pertinentibus attendat: At cum is etiam in præſentiarum abſit Colonia, ac certe verendum ſit, ne iſta mutatio majorem alteri parti det anſam ad minimum differendi miſſionem ſuam, ſi non plane ab iis, quæ hactenus tanta temporis, laboris & ſumptuum impenſa accommodata fuere, reſiliendi. Non poſſumus equidem Nobis perſuadere, hanc tam præciſam Voluntatem ac perpetuam eſſe Veſtræ Sanctitatis, ut Dominus Legatus, tam ſubito a loco congreſſus diſcedat, præſertim cum is Deo propitio optime illic hactenus valuerit, ac præterea Sanctitas Veſtra, uti ex communicatione ipſiusmet Legati, jam denuo ad alias Coronas pro promotione horum tractatuum miſſiones decreverit. Eadem igitur, qua ſolemus fiducia, hiſce Sanctitatem Veſtram reverenter requirere voluimus, non modo, ut Legatum ſuum in loco congreſſus expectati porro ſubſiſtere & perſeverare jubeat, ac deinceps quoque ipſa, quod facit, quæ ad promotionem hujus tam gravis negotii conducunt, paterne curare non deſiſtat, ſed officia quoque ſua, tam apud Rempublicam Venetam, quam Regem Franciæ ad hoc interponat, ut ipſi vel cum Hollandis hoc agant, ut ii a pertinacia ſua in urgenda illa nova prætenſione recedant, aut certe ipſe Rex Galliæ, omiſſa cura prætenſionis illius, ſuos ad locum congreſſus, ſine alia mora, mittat, id quod & æquum & in-

ten-

tentioni primævæ, cum Veſtræ Sanctitatis, tum Noſtræ ac Regis Catholici, circa ſuſcipiendos hos tractatus eſt conformius. Confidimus autem, quod ſaid, quod minime credimus, hæc tam rationabilis petitio Noſtra locum non haberet, ac inde nova Paci tam diu deſideratæ mora, atque ex hac majores Chriſtiano Orbi calamitates inveherentur, earum rerum culpa Nobis nullatenus imputanda ſit. Qui de cætero Sanctitati Veſtræ omnia filialis obſervantiæ officia reverendiſſimo affectu deferentes, Eidem vitam longævam & beatam ad Noſtrum & militantis Eccleſiæ ſolatium ex animo vovemus. Ratisbonæ, 20. Septembris, Anno 1640.

XCVI.

Literæ Salvi Conductus a FERDINANDO III. Rom. Imp. Suecicis fœderatis, quo tutius ad Tractatus Pacis Lubecæ vel Hamburgi inſtituendos accedere poſſint, traditæ, 1640.

Ferdinandus III. divina favente &c.

UNiverſis & ſingulis, quorum intereſt, aut quomodolibet intereſſe poteſt, notum teſtatumque facimus, Nos ad inſtantiam Sereniſſimæ Reginæ Regnique Sueciæ conſenſiſſe, prout vigore harum conſentimus, ut omnes & ſinguli Suæ Serenitatis fœderati Status & adhærentes per Germaniam, qui negotia ſua in futuro inter Nos, dictamque Reginam tractatu Pacis, per ſe, vel per Plenipotentiarios ſuæ Serenitatis peragere voluerint, ſecure Lubecam vel Hamburgum veniant, vel mittant, & ut tam ipſi, quam qui mittentur ſecure ibidem ad finem tractatus commorentur &

res ſuas peragant & ſecure viciſſim ad ſuos quisque revertantur, & ut ipſi quoque ac eorum Mandatarii una cum comitatu, Miniſtris, Nunciis & Tabellariis ultro citroque eo nomine mittendis, tam quoad perſonas, quam res & bona, omnimoda hac ſecuritate & libertate inviolabiliter fruantur, verbo Imperatorio & Regio promittentes hoc ſalvo Conductu generali, ſingulos eorum in ſpecie æque tuto ac ſecure fruituros, ac ſi nominatim hic inſerti ac expreſſi eſſent. Quæ quidem ſecuritas ut eo commodius ad unumquemque eorum perveniat, parem autoritatem tranſumptis hinc apographis, quæ autographo huic ipſi debetur, tribuimus, ex abundanti inſuper daturi Noſtris ad dictum Tractatum conſtitutis & conſtituendis Commiſſariis plenam poteſtatem, ut, ſi ita poſtulatum fuerit, nomine Noſtro ſingulis eorum, ſingulos ejusmodi ſalvos conductus in optima forma dent ac diſtribuant. In quorum fidem præſentes manu Noſtra ſubſcriptas ſigillo Noſtro Imperatorio firmari juſſimus. Quæ dabantur in Civitate Noſtra Imperiali Ratisbonæ, altera die Menſis Octobris, Anno Domini ſupra Mille ſexcentos quadrageſimo, Regnorum Noſtrorum Romani quarto, Hungarici quinto decimo, Bohemici vero tertio decimo.

Ferdinandus &c.

(L. S.)

Ferdinandus Comes Curtius
ad Mandatum.

XCVII.

Digitized by Google

XCVII.

Literæ S.R. Imperii ELECTORUM, PRINCIPUM & STATUUM LEGATORUM Ratisbonæ in Comitiis congregatorum, ad CHRISTINAM, Suecorum Reginam, quibus ei Comitia ista non belli prorogandi, sed componendi, mediis adinveniendis dicata esse exponunt, atque ab ea, ut ad destinata Paci concludendæ loca Legatos suos mittere tandem dignetur, honeste precantur, 1641.

Serenissima Regina, Domina Clementissima.

NUllatenus dubitamus Regiæ Vestræ Dignitati satis superque innotuisse, quod Sacra Cæsarea Majestas, Imperator & Dominus Noster Clementissimus, cum Electorum suffragio ante semestre circiter publicum conventum indixerit, & ad eum Imperii Romani fideles Status eo fine vocaverit, ut ardens suum Pacis restaurandæ desiderium toti Christiano Orbi probaret, & cum Electoribus Principibus & reliquis Imperii Ordinibus de ejusmodi salutaribus mediis, quibus divini numinis ira cohibeatur, publicis hactenus patienter sustentis calamitatibus finis imponatur, sanguinis Christiani profusio sistatur, suborta dissidia interna tollantur, caput & membra Imperii distracta in pristinam concordiam reducantur, & æqua, tuta honestaque Pax Imperio, vicinis & universo Orbi Christiano restituatur, ageret, deliberaret, statueret. Neque illi intermiserunt debito suo officio fungi, utpote qui hic Ratisbonæ frequenti numero, partim in persona, partim per suos Able-

Ablegatos comparuerint, ſtatimque de dictis pacis reſtaurandæ mediis convenientibus agere & deliberare cœperint, idque tanto deſiderio ac ſtudio, ut Sacra Cæſarea Majeſtas & Imperii Status certo apud ſe ſtatuerint, omnes facile deprehenſuros, quod inſtituti hujus conventus ſcopus ac finis ſit Imperii tranquillitas, & Orbis Chriſtiani pacificatio, poſt tamen præter omnem expectationem conſtare cœpit, non defuiſſe, qui animo malevolo Regiæ Veſtræ Dignitati perſuadere, imo conſtanter imprimere conati ſint, quaſi hæc a Sacra Cæſarea Majeſtate Imperialia comitia non tam pacis reſtabiliendæ, quam belli continuandi cauſa indicta, proindeque Cæſaream Majeſtatem cum Imperii Statibus ad hoc quam ad illam procliviorem eſſe, quod Nobis incitamento fuit, ut Regiam Dignitatem Veſtram hiſce adiremus, & de Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Imperii Statuum pacifica intentione certiorem redderemus. Quantam Sacra Cæſarea Majeſtas ipſiusque Dominus Parens piiſſimæ memoriæ tollendis internis diſſidiis, & cum vicinis Regibus reſtaurandæ amicitiæ operam impenderit, imo a primordio regiminis nil intermiſerit, quod publicæ paci ſtabiliendæ & avertendis bellis, tam inteſtinis, quam externis inſervire poſſet, quin potius pro paterno, quo fertur erga Patriam amore, & ex innata Cæſarea Clementia omnes actiones & conſilia eo direxerit, ut tot annis in Imperio cum tot millium Chriſtianorum innocentum interitu continuata bella, tractatione amicabili, digna & honorifica componi ac ſedari, & hinc omnis diſcordiæ fomites tolli poſſent, non

opus

opus eſt pluribus demonſtrare. Neque enim Regiam Dignitatem Veſtram latere poteſt, quod Imperator ante quadriennium fere ſuos cum pleniſſimo mandato Coloniam miſerit, qui ibidem etiamnum, non absque ſumptu commorantur, & Regis Galliæ aliorumque Confœderatorum Legatos præſtolantur. Omnibus quoque conſtat, quoties per Regiam Daniæ Dignitatem, & alios cum Regia Corona Sueciæ de pace tranſigenda agere cœperit, ita, ut Hamburgum aut Lubecam conventui deſtinaverit, ſalvos Conductus dederit aliaque præliminaria tractaverit & omni cura in id incubuerit, ut obſtaculis ſubinde ſubortis remedium inveniret. Imo vero, quod etiam jam ante biennium & amplius in ipſis materialibus & punctis ſubſtantialibus Pacis erga Militiæ Præfectos, & alios Regiæ Veſtræ Dignitatis Miniſtros in Germania commorantes ſeſe declararit. Cum vero Imperatoria Majeſtas videret, omnibus juſtis adhibitis modis & laboribus deſideratos tractatus in negotio principali Pacis promoveri, & ad ipſum effectum deduci non potuiſſe, de Imperii Comitiis univerſalibus inſtituendis, cum Electoribus agere cœpit, nulla alia intentione & fine, quam ut cum Electoribus cæterisque Principibus & Statibus Imperii deliberaret, qua tandem ratione Pacis tractatus promoverentur, & remoris injectis obviam iretur. Atque inde factum eſt, ut inter alia etiam de ſalvi Conductus Diplomatibus eo ſucceſſu actum ſit, ut ad Inſtantiam Statuum Imperii eo prorſus modo concepta & expedita ſint, quo ea Regiæ Veſtræ Dignitati Deputati expedi-

pediri desiderarunt; Neque est, quod dubitemus Regiam Daniæ Dignitatem ad Instantiam & petitionem a Sacra Cæsarea Majestate & Electorali Collegio factam, Regiæ Dignitati Vestræ pluribus jam significasse, quod jam dicti salvi conductus in originali, Cæsareo Hamburgi residenti Consiliario, Conrado Lutzovio illa lege missi sint, ut Regiæ Vestræ Dignitatis deputatis illos, ita tamen tradat, ut pari passu Regii Suecici in usum Sacræ Cæsareæ Majestat. & Electoris, tum Moguntini, tum Brandenburgici Legatorum & Deputatorum petiti extraderentur. Et licet alii alia spargere malint, Nos tamen nullatenus dubitamus, quin Regia Vestra Dignitas una cum Consiliariis & Statibus Regni in ea, quam semper palam professi sunt, adhuc constanter persistant, cura & studio Pacis, neque aliud optent, quam ut inter se Regnumque Suecicum & Sacram Cæsaream Majestatem Romanumque Imperium, certa, tuta & honesta pax conciliata, orbi Christiano restituatur. Hinc eo meliori spe & fiducia Regiam Dignitatem Vestram officiose requirimus, insuper & obnixe rogamus, quatenus supradictos salvos conductus, eorumque exhibitionem maturare & suos Legatos cum sufficienti mandato Hamburgum & Lubecam, vel si universo Pacificationis negotio magis expedire judicaverit, Norimbergam, aut aliam huic vicinam Civitatem ablegare, & sic Pacis tractatus ejusdemque Conclusionem promovere dignetur, certo persuasi, quod Regia Vestra Dignitas plus fidei hisce Nostris contestationibus, quam malevolorum sinistris persuasionibus habitura, nec ulla etiam ratione, vel pactione con-

Digitized by Google

consensura sit, ut sibi Regnoque Libera facultas, cum Cæsarea Majestate & Imperio Romano de pace tractandi & concludendi, quando & quomodo sibi videbitur, eripiatur; negotio vero pacificationis procedente experietur Regia Vestra Dignitas id, quod hisce Nostris asseruimus, Sacram Cæsaream Majestatem ipso facto probaturam & una cum Imperii Statibus demonstraturam esse, quod nihil ad speciem agat, neque aliud quærat, quam ut pristina amicitia inter Imperium Romanum & Regnum Suecicum stabiliatur & commercia, quæ a multis seculis utriusque subditis & incolis communia fuerunt, cum incremento rursus efflorescant. Hisce Regiam Dignitatem Vestram Deo Ter Optimo Maximo, a quo eidem omnia felicia enixe apprecamur, commendantes officiose rogamus, ut primo quoque tempore nobis ad has literas respondere velit, quo durantibus adhuc hisce Comitiis tractatus Pacis inchoati, & ad optatum finem deduci possint, & de rebus eo certius quid statuere possimus. Datæ Ratisbonæ 17. Januarii 1641.

Regiæ Dignitatis Vestræ

Officiosissimi

Sacri Romani Imperii Electorum, Principum ac Statuum ad hæc generalia Comitia Deputati Consiliarii ac Legati.

XCVIII.

Litera ab ELECTORALIBUS ET ALIORUM SAC. ROM. IMPERII PRINCIPUM AC STA-

STATUUM ad Comitia Ratisbonenſia ABLEGATIS ad STATUS REGNI SUECIÆ miſſæ, quibus ipſis comitia iſta non tam belli continuandi quam pacis reſtabiliendæ cauſa indicta eſſe referunt, utque ſibi facultatem cum Cæſarea Majeſtate & Statibus S. R. I. paciſcendi non eripi patiantur, amantiſſime contendunt, 1641.

Illuſtres, Generoſi, admodum Reverendi, Spectabiles, Magnifici, Amici ac Domini multum colendi.

NObis Dominorum Electorum, Principum ac Sacri Romani Imperii Statuum in hac Imperiali diæta congregatis Legatis atque Plenipotentiariis, non abſque ſingulari admiratione & juſto animorum dolore, diverſimode innotuit, non deeſſe, qui non erubeſcant, Sereniſſimæ Reginæ Regnique Sueciæ Tutoribus & Adminiſtratoribus ſpecioſe ac animo malevolo perſuadere, imo conſtanter imprimere, quaſi a Sacra Cæſarea Majeſtate, Imperatore ac Domino Noſtro Clementiſſimo hæcce Imperialia Comitia non tam Pacis reſtabiliendæ quam belli continuandi cauſa indicta, proindeque Cæſaream Majeſtatem cum Imperii Statibus, ad hoc quam ad illam procliviorem eſſe. Cum vero palam ſit cuilibet etiam mediocriter in publicis verſato ex ſcriptis & factis, imo omnibus ſuæ Imperatoriæ Majeſtatis ipſiusque Domini Parentis piiſſimæ memoriæ actionibus & conſiliis liqueat, eandem non modo a primordio Regiminis ſtatim ex innata Clementia nulli rei magis incubuiſſe, quam ut ſimultates inter illam & Coronas exteras, impri-

Digitized by Google

primis vero Regni Sueciæ natæ, amicabili tractatione sopirentur, & omnis discordiæ fomes, cessantibus cruentis, hucusque cum tot millium Christianorum innocentium interitu, continuatis bellis, tolleretur. In hac pacifica Cæsarea ac Christiana intentione, una cum Electoribus, Principibus, cæterisque Imperii Statibus etiamnum constanter perstat, nec alius hujus Imperialis Diætæ scopus præfixus, verum omnes hucusque deliberationes eo fine sollicite directæ, non minus ac oblata eo tendentia consilia avide arrepta sunt. Hinc est quod justo dolore moti pro veritate demonstranda coacti simus, Regiam Suam Dignitatem & dictos Regni Sueciæ Administratores omnes ac singulos, hisce Nostris interpellare, & de intentione Sacræ Cæsareæ Majestatis & Imperii Statuum insimul & hujus Conventus scopo ac fine, eo tenore, certiores reddere, prout adjuncta Pagina latius explicat. Proin illustres ac magnificas Dominationes Vestras & Vos amice & officiose requirentes, ut hisce Nostris contestationibus plus fidei, quam malevolorum sinistris persuasionibus tribuant, & eo tanquam Regni Sueciæ potissima fulcra & Nobiliora membra amore Patriæ & pro ea, quæ ipsis incumbit, sollicitudine, actiones & consilia dirigant, sedulo-que incumbant, ut a multis jam annis, in Imperio oborta, hucusque continuata disfidia, & hinc profecta cruenta bella, interpositione sua, apud Reginam Sueciæ Dominam Suam cumprimis digna & honorifica, componi ac sedari possint. Quemadmodum e contra Sua Cæsarea Majestas, una cum Imperii Statibus eorum, quæ publicæ paci sta-

biliendæ & avertendis bellis, tam inteſtinis, quam externis inſervire poterunt, nil quicquam eſt intermiſſura, nobis certo perſuadentes, in pacis congreſſu non defutura media, quibus, favente gratia divina, ad felicem exitum res perducatur, cui ipſi promovendæ vel maximum commodum adferet, ſi conſiliis ſuis imprimis quidem ſuam Regiam Dignitatem, dein Regni tutores & adminiſtratores in præſentibus Comitiis ad arripiendam una ſecum pacis reſolutionem diſponant, & cum Imperio Romano & univerſis ejusdem membris in amicitiam priſtinam redeant, nulla vero ratione vel pactione fieri patiantur,, ut Regiæ Dignitati Regnoque libera facultas cum Cæſarea Majeſtate & Imperio Romano de Pace tractandi & concludendi, quando & quomodo ſibi videbitur, eripiatur. Hisce Illuſtritates & Dominationes Veſtras & Vos, Deo Ter Optimo Maximo commendantes, iisdem omnia fauſta ac felicia ex animis apprecamur. Ratisbonæ 18. Januarii 1641.

Inſcriptio.

Ad Regni Sueciæ Status.

XCIX.

Litera EORUNDEM LEGATORUM ad CONSILIARIOS REGIMINIS SUECICI, quibus ab eis obnixe flagitant, ut in animum Reginæ ſuæ pacifica inducere conſilia, comiter ſuſtineant, 1641.

Illu-

Digitized by Googl

Illuſtres, Generoſi, Nobiles & Magnifici, Domini & Amici plurimum honorandi.

COgitantibus Nobis jam pridem, quam gravi Chriſtianæ rei damno non æmulis duntaxat ſtudiis, ſed infeſtis palam armis & aciebus committantur, Principes Populique Europæi, non potuit non confeſtim ad animum occurrere, haud aliunde quam hoc ipſo e fonte dimanaſſe cladium & calamitatum mala potisſima, quæ per tot intervalla annorum non modo diverſis Orbis tractatibus atrociter deſævierunt, ſed & continuis pene bellorum, tam civilium quam externorum tempeſtatibus agitarunt Germaniam Noſtram. Unde mox Cauſæ intervenerunt, magnæ equidem & graves, queis ſerio conſulendum eſſe, in medium decrevimus, quibus maxime rationibus ſiſti turbatæ Patriæ Status, & in ſolido rurſus tranquilloque locari, recompoſita cum finitimis pace, queat. Quam in rem dum ſollicitudinem pro tanta mole haud ſegnem intendit aſſiduo conventus hic Noſter, id conandum ſibi & efficiendum cenſuit cumprimis, ut quæ Nos cauſæ ante menſes complures hanc in urbem ad ſolennia Imperii Comitia contraxerint, iis omnibus, quorum id quoquo modo referre arbitramur, palam atque quantocius innoteſceret. Quam ſententiam cum & Auguſtiſsimo Imperatori ac Domino Noſtro ſummo ante omnia, tum & Ordinibus univerſis non parum probari animadverteremus, enim vero nihil ultra procraſtinandum rati, literas extemplo ad

Sereniſſimam Reginam, tum & ipſos quoque Illuſtres Ordines Regni Veſtratis deſtinare hoc nomine pro ea, quam hic publice gerimus autoritate, omnium Electorum Principum atque Urbium liberarum Legati Deputatique, iſtiusque facti rationem aperire vobis in præſentia pretium duximus, partim ut falſis & acerbis nonnullorum vocibus, queis paſſim jactari non ſine doloris aliquo ſenſu accipimus ſubinde, quaſi haud perinde pacis & concordiæ reducendæ, quam armorum ac belli adverſus Regnum Veſtrum proferendi, hoſtile hoc loco conſilium habeatur, partim vero, ut ſi quid forte opinionis iſtius aliorum artibus irrepſit, jam & inſinuavit pectoribus Veſtris, id omne liberrima profeſſione earundem Literarum eximi ſtatim & coargui queat, ſimulque ſinceris ac integris animis jam dijudicetur, quam indignam Imperatoris Faſtigio, tum Dignitati Ordinum Germaniæ injuriam factum eant hominum quidam non ſatis æqui, ut ſuſpicamur, publicæ tranquillitati, qui turbida ejusmodi ac truci oratione miſcere imperitiorum mentes & actiones, conſiliaque conventus hujus odioſis ſermonibus vocare in invidiam, (quod nulli Veſtrum probari magnopere confidimus) nihil quicquam verentur. Quippe univerſo terrarum Orbi conſtat, adeo non abhorruiſſe unquam pacatioribus Conſiliis heroicum & magnificum placidiſſimi Cæſaris pectus, ut contra ea, quo ruptam armis publicam quietem refoveret & undique munitam redderet, nec labori immenſo, nec effuſis in id facultatum ingentium jacturis uſpiam pepercerit: pronis huc ſemper & accenſis Ordinum ſtudiis, quemadmodum literis paulo

Digitized by Go

paulo ante memoratis disertim declaravimus. Vobis autem, illustres ac generosi Domini, commendandi negotii totius præcipueNobis ratio est,valida illa ac eminens,quæ humeris Vestris innititur administrandis supremis Suecici sceptri curis potestas: Unde ominari lubet simul ad literas Nostras Vestræ quoque auctoritatis suffragatio, Vestra consulta & hortamenta, id quod officiose admodum & enixe rogamus, insuper accesserint, causam deinceps haud fore, quo minus, quæ fato hactenus & Numinis indignatione dirempta fuere pacis commercia, melioribus auspiciis nunc denuo instaurentur non modo, sed & optatum aliquando finem consequantur, ut omnia ad compositionem æquis Legibus ineundam quam integerrima hinc adferantur, Nobis sedula cura erit, pari modo Vos quoque animatos esse, dubitari vetat sapientiæ Vestræ ac Virtutis honorificæ penes nos æstimatio. Non erit inglorium Nomini Vestro hoc operis. Nobiscum aggredi, quo compescatur nimia illa & vecors, quæ passim tenet, belligerandi feritas, atque sic parcatur immensæ hominum multitudini, quos ferri acies quotidie ac ferme tetrior fames, hinc dira morborum funerumque tabes miseranda strage haurit. Illud vero imprimis ad pietatis laudem illustre, ad animi conscientiam lætum, ad ipsius denique nominis honorem egregium erit, vindicare a contemtu & ludibriis jus divinum humanumque, quorum per bellorum scelera exiguus ferme respectus manet, atque ita demum domesticis rationibus caute & prudenter attendere, ne illa interim lex projiciatur, quæ saluus humanita-

nitatisque publicæ tuetur partes, quæ cædes & vim cruentam inter cognatos atque conſanguineos immane quantum deteſtatur. Loquatur Europa miſeras & infandas clades, quas ab aliquot retro annis inter potentiorum diſſidia ad exitium pene ſui perpeſſa eſt; Nobis vel ad memoriam aut conſpectum tantæ fœditatis horret animus, ſed enim ubi ſingulis, quæ in hanc rationem veniunt, cogitationem pauliſper advertere volueritis, horrendorum criminum inanis ubique & obſcœna facies occurret, nihil triſtius tamen & Chriſtianæ Charitati adverſum magis fateri ratio coget, quam tantum nullibi non cruoris innoxii temere fuſum, ac ſi cum Barbaris aut belluarum efferatiſſimis depugnandum fuiſſet, ut jam pleræque cauſarum, quæ armis tam crudelibus pabulum ſubminiſtrant, nequaquam ſat dignæ videri poſſint, tametſi juſtiſſimæ habeantur, uti propterea humanitatem ipſam dediſcere, aut quod exitioſum plane, Numinis jam ante infenſi flagitiis Noſtris incendere pœnas contumaciter velimus. Nec enim inexpiabiles alere inimicitias Chriſti Sacra profeſſos decet, quibus alio fine arma ſumere maxime alienum, niſi ſola pacis cupidine & adipiſcendi æqui juris, qua una præſcriptione bellorum facinora non illegitime ſe tuentur. Neque vero reformidamus multum, ne forte, quod primi venire in conditiones haud iniquas, & concordiæ hanc viam periclitari non abnuimus, ad timoris aut humilitatis Interpretationem vulgo trahatur. Quippe fixum imo notumque Nobis, mollis longe verius & infirmi animi eſſe, ob multitudinis pauciſſima pro ſano æſtimantis

tis judicia & vaniſſimos decoris obtentus dimoveri a recto. Et præſtare ducimus longe id genus minutæ æmulationis dimittere publicis utilitatibus, dum tali impendio plurimorum innocentium vita, incolumitas, decus atque ſecuritas omnium redimatur. Scimus familiares res gerentibus, uti pro ſucceſſu ſpiritus gerant & ſecuriori paululum flatu expendant potius, quam contrahant vela. De Vobis, quos exactus Diſciplinarum cultus & longinquo rerum uſu conſummata ſapientia ad verum erudiit, nulla vanitatis iſtius ſuſpicio inceſſet, nec proſpera tamen, ſi recte ratio putabitur, inulta Vobis usque quaque, aut citra damnum ſteterunt, quibus ipſis quantillum ad rerum Veſtrarum ſtabilitatem profeceritis adhuc, illud argumento eſt, quod poſt ejusmodi geſta nondum voti compotes novos ſemper labores, nova ſubinde provocatis aut ſuſtinetis pericula, ut illam quoque, quæ favere nonnihil viſa eſt, in præſens vereri fortunam atque ſuſpectam habere par ſit, ne mox invidiæ rurſum & incertis caſuum pateat. Quæ quidem haud ideo ſcribuntur prolixius, quaſi non præſto ſint prudentiæ Veſtræ utriusque fortunæ documenta, ſed quo ſimpliciter potius & aperte moneamus de iis, quæ turbante maximo hoc bello, communiter rebus Noſtris conducere videntur. Quas partes amore publicæ tranquillitatis & patriæ ſalutis, pro qua nihil laboris aut diſcriminis recuſamus, imponi Nobis eo libentius paſſi ſumus, quo major fiducia tenet fore, ut ex ipſa literarum Noſtrarum ſincera ac minime fucata indole manifeſte deprehendatis magnitudinem affectus atq; de-

ſiderii noſtri adſerio capeſcendum pacis negotium, neque majus aliud hujus animiNoſtri pretium nunc petimus a Vobis & avemus, quam ut Sereniſſimæ Reginæ ac Dominæ Veſtræ ita conciliare comiter ſuſtineatis Literas ad Regiam ejus Dignitatem, ut id, quod ſummopere auguratur Nobis animus, Heroina, ſicut fertur, lenitatis eximiæ & ab omni violentia in tantum aliena, in quantum neceſſe eſt, generoſo atque ſanctisſimis præceptis imbuto pectori, arduæ pietati ac muneri Chriſtianæ Regnatricis haud indecorum ſtatuat. Plane Nobis perſuaſum eſt, nihil a Vobis iſthac parte prætermiſſum iri, dum id perfeceritis, quo non præſens modo ætas, ſed & poſteritas ipſa ad æternum lætetur Nec Noſtra Vobis officia, ſi qua Reipublicæ tempora permittent, non prolixe pollicemur, majori longe eodem præſtituri ſtudio, ſi quando erepta præſentisſimo diſcrimini Europa, ac reddita ſacro pariter & profano publico otii & concordiæ felicitas, poſt Deum immortalem Veſtrum quoq; munus non minima ſui parte eſſe cœperit, Deum ardentibus ſuppliciis veneramur, ut intervenire conſiliis Noſtris, atque ea ſubjicere cunctorum pectoribus curæ ſibi habeat, quæ juſta, quæ pacifica & gratulatione totius Chriſtiani Orbis digna erunt, imprimis autem adſpiret flagrantem unius æqui honeſtique ardore mentem & egregiis adeo ac ſalutaribus cœptis nequaquam diſſimilem largiatur eventum. Dabantur Ratisbonæ 18. Januarii 1641.

Ad Regni Sueciæ Conſiliarios.

C. *Li-*

Digitized by Google

C.

Reſponſoria CHRISTINÆ, Reginæ Sueciæ, ad Electorum, Principum & Statuum S. Romani Imperii LEGATORUM literas, quibus ſe a pacificis conſiliis, ſi juſtæ, decoræ ac tutæ Pacis ratio haberetur, non alienam eſſe, declarat, 1641.

NOs Chriſtiana, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; deſignata Regina & Princeps hæreditaria, Magna Princeps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ & Careliæ, Ingriæque Domina &c. Reverendiſſimis, Celſiſſimis, Illuſtriſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis & ſpectabilibus Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus, Conſanguineis & Amicis Noſtris chariſſimis & Nobis ſincere & grate dilectis ſalutem, ſtudia amicitiæ, & felicia quæque offerimus & precamur!

Reverendiſſimi, Celſiſſimi, Illuſtriſſimi, Reverendi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi & ſpectabiles Domini, Conſanguinei & amici chariſſimi, nobisque ſincere & grate dilecti. Quas literas Veſtro nomine datas Ratisbonæ in Comitiis Veſtris die 7. 17. Januarii nuper elapſi, Conſiliarii Veſtri atque Legati, ad Nos ut transmitterentur, Sereniſſimo Regi Daniæ, Conſanguineo, Amico & Vicino Noſtro chariſſimo: Tum Noſtro Regnique Noſtri Conſiliario & Senatori atque Generali per Germaniam Campi-Mareſchallo, Domino Johanni Bannerio concrediderunt, illæ unius ejusdemque tenoris hiſce diebus rectæ nobis redditæ ſunt, neque Nobis minus gratæ fuerunt, quod vium ſit Dilectionibus Veſtris atque Vobis, per il-

las dempta ſuſpicione aliud agi, Nos certiores reddere, comitia Veſtra indicta & convocata nullo alio fine, quam ut deliberetur ac ſtatuatur de mediis ſalutaribus tollendi belli, ſiſtendi profuſi ſanguinis Chriſtiani atque Concordiæ & pacis æquæ, honeſtæ, tutæ, Imperio, vicinis & univerſo Orbi Chriſtiano reſtituendæ. Licet vero aliud a Dilectionibus Veſtris atque Vobis non minus quam a Sereniſſimo Imperatore Ipſo hactenus actum non ſit, id tamen dolere Dilectiones Veſtras atque Vos, non deeſſe, qui Nobis perſuadere nitantur, Comitia Veſtra continuandi belli cauſâ indicta & Imperatorem cum Imperii Statibus adhoc, quam illam procliviorem eſſe, idque Dilectionibus Veſtris & Vobis fuiſſe incitamento, ut Nos literis Veſtris adiretis & de Imperatoris ac Veſtra pacifica intentione redderetis certiores; Hujus vero nunquam ſatis laudati ſtudii, & deſiderii rationes Dilectiones Veſtræ atque Vos conſtare ſcribitis, & Sereniſſimi Imperatoris divi Parentis, atque propriis conſiliis & actionibus huc directis: Ex miſſis Coloniam quadriennio abhinc cum pleniſſimo Mandato Legatis ibidem adhuc commorantibus: Ex tractatu per Regem Daniæ & alios cœpto, Hamburgo aut Lubeca Conventui deſtinatis Præliminaribus & aliis, imprimis Salvis Conductibus, ad Inſtantiam Statuum Imperii ad eum modum, quo Noſtri deputati expediri deſiderarunt, pertractatis, facta ex occaſione cunctorum ſubſtantialium erga militiæ Noſtræ Præfectos atque alios declaratione. Denique ex eo, quod promovendo Pacis tractatui, amovendisque remoris & impedi-

Digitized by Google

pedimentis omnibus, comitia Veſtra eſſent indicta. Dilectiones itaque Veſtræ atque Vos, non attentis iis, quæ in contrarium de Nobis ſpargun-tur, confiditis, Nos cum Conſiliariis & Statibus Regni Noſtri conſtanter periſtituras in cura & ſtudio (quod profeſſæ ſumus) pacis Noſtro, neque aliud Nos velle, aut optare quam ut inter Nos Regnumque Noſtrum & Sereniſſimum Imperatorem atque Imperium Romanum, certa, tuta, honeſta pax reconciliata Chriſtiano Orbi reſtituatur, atque hinc Dilectiones Veſtræ atque Vos Nos requiritis & rogatis, ut ſupradictos ſalvos Conductus, horumque exhibitionem ex noſtra parte maturare, Noſtrosque Legatos cum ſufficienti mandato Hamburgum aut Lubecam, vel (ſi id univerſo pacificationis negotio magis expedire judicaverimus) Norinbergam aut aliam vicinam Comitiis Veſtris Civitatem ablegare, pacisque tractatus & ejus concluſionem promovere dignemur, certo perſuaſi, nos plus fidei conteſtationibus Veſtris, quam malevolorum ſiniſtris perſuaſionibus habituras, neque conſenſuras ulla ratione, aut pactione, ut Nobis Regnoque Noſtro libera facultas de pace tractandi, & concludendi eripiatur, facta ſpe, Imperatorem procedente pacificationis negotio ipſo facto probaturum, & cum Statibus Imperii demonſtraturum eſſe, nil agi ad ſpeciem, ſed ut amicitia atque commerciorum uſu utrinque reſtitutis, cuncta cum incremento rurſus efflo-reſcant, ſicuti hæc ipſis Literis uberius explicant. Gratæ acceptæque Nobis fuere literæ & per illas Nobiſcum ſuſcepta communicatio Dilectionum

Veſtra-

Digitized by Google

Veſtrarum atque Veſtra, quo adeo libere conteſtaremini ſtudium Veſtrum componendi diſſidii, & revocandæ concordiæ domeſticæ, reſtaurandæque amicitiæ cum exteris & vicinis, imprimis Nobiscum & Regno Noſtro, ac licet de univerſis Imperii Statibus aliud ſuſpicari nunquam Nobis in mentem venerit, cum non ignoremus plures Nobis ſanguine junctos, cæteros non improbare conſilia & Intentionem Veteris Libertatis Imperii reducendæ & confidentis Amicitiæ cum vicinis & exteris Regibus conſervandæ: Attamen vel maxime Nobis gratulamur, quod per proprias Veſtras Literas certiores redditæ ſimus, huc inclinare Sereniſſimum Imperatorem una cum Imperii Statibus, neque aliud in Comitiis Veſtris agi, quam ut ſalutaria media honeſtæ, tutæ & juſtæ pacis atque tranquillitatis inveniantur, hucque cuncta conſilia Veſtra conferri. Libera hæc atque evidens communicatio non parum erexit atque firmavit fluctuantem animum Noſtrum & dubium Voluntatis ac Intentionis Sereniſſimi Imperatoris & plurium Imperii Statuum. Si igitur exemplo Veſtro motæ eadem communicandi libertate uſæ, cauſas diffidentiæ, quæ Nos hactenus exercuit, ſummatim expoſuerimus, & pacis impedimenta præcipua amoveri, & prudentiſſimo Veſtro conſilio & opera, fundamenta in Comitiis Veſtris futuræ domeſticæ concordiæ & juſtæ Pacis cum Vicinis atque Nobis collocari petierimus, confidimus æquanimitati Veſtræ, ſtudio id pacis atque tranquillitatis univerſalis Noſtro adſcriptum iri. Non diffitemur, nos reputantes cauſas belli inter

divum

Digitized by Google

divum Parentem Noſtrum glorioſiſſimæ memoriæ & moderni Imperatoris Parentem exorti, in nos continuati atque longo tempore geſti, tum quibus modis conſiliisque tractationes hactenus tentatæ ſint, nihil minus unquam credidiſſe, quam ſerio in Pacificationem Orbis Chriſtiani animos adverſæ partis, eorum imprimis, qui res & conſilia regunt, inclinaſſe. Etenim bello divus parens Noſter cum nuſpiam offendiſſet, bis in Boruſſia extra Imperii Limites petitus eſt. Mare Balthicum primo Piratica intutum redditum, brevi ſternendum ingenti claſſe, quam parabat Fridlandus contra morem majorum, liberum commerciorum uſum, & Jus accolarum maris Balthici, addito ne quid deſtinati lateret, inſolenni titulo dignitatis marinæ, oppreſſi ejectique Duces Megapoleos atque alii Conſanguinei noſtri, Ducatibus territoriisque ſuis, & innocentiſſimus Dux Pomeraniæ contra fas & æquum plurimaque Cæſarea promiſſa ſubjugatus, & ſuis territoriis atque portubus exutus, ut omnia pararentur infeſtandis ſubjugandisque Regibus & Civitatibus ad mare Balthicum habitantibus & ſitis. Quod ſi quis ejus temporis Imperii faciem, detracto velamine adſpiciat, cum Principum Statuumque territoria a numeroſo & perpetuo milite, ex arbitrio Leges Imperii & libertatem evertente eſſent infeſſa, & conſilia ac deſtinata penitius rimetur, poterit ne quis rerum ſaltem mediocriter peritus intentionem ignorare? nihil per Germaniam antiquæ Libertatis erat reliqui; rationes componendæ Litis cum dicto Parente Noſtro contemptæ atque rejectæ, poſtquam bellum exarſerat

ſerat & plurimi Principes ac Status Imperii ſe juſtiſſimis Parentis Noſtri armis conjunxerant ac fœdere ſociarant, non id actum a parte adverſa, quomodo ſanarentur Imperii vulnera, & vetus amicitia Imperatorum atque Imperii cum vicinis Regibus & rebus publicis reſtabiliretur, ſed quomodo diſtractis confœderatis, his ejectis, illis oppreſſis, aliis enervatis, Dominatus per Germaniam cum diſcrimine, & extremo periculo vicinorum firmaretur ac ſtabiliretur. Si alia deforent argumenta, documento erit Pax Pragenſis & inde ſecutæ rerum temporumque confuſiones, fax & fundus, ſi verum fateri libet, calamitatum, quæ exinde florentiſſimam olim Germaniam inundarunt, atque in hanc uſque diem tum autores ipſos tum alios immerſos tenuerunt. Si moderatis conſiliis ſuus locus, & ſupremi Numinis Juſtitiæ atque omnipotentiæ cuncta mortalium ad ſui nominis gloriam & æqui leges regenti ſuus honos relictus fuiſſet, jam per Germaniam & vicinia quieſcerent omnia. Facta quidem mentio aliquoties eſt tractatuum de Pace, neque dubitandum, quin Dilectiones Veſtræ, atque vos nihil magis penſi habueritis, quam ut pacificandi Orbis Chriſtiani juſtæ atque honeſtæ rationes reperirentur. Aſt ſi tractandi tanti negotii modi hactenus quæſiti uſurpatique ponderentur, facile cuivis patebit, nihil aliud hactenus actum eſſe, quam ut tractatus non abruptus, ſed ſuſpenſus ſervaretur ex occaſione & eventu rerum dirimendus. De Præliminaribus actum eſt, non cum uno ſed pluribus, pluriumque interventu, de Salvis Conductibus expeditis & neceſſariis antehac convenire non

Digitized by Google

non potuit, tametsi a Nobis aliisque confœderatis Noſtris nihil peteretur non conſonum æquitati, promovendo negotio pacificandi Orbis Chriſtiani, & dignitati atque Libertati Statuum Imperii Romani, Dilectionum Veſtrarum & Veſtra de cætero Laus eſt, quod ad inſtantiam petitionemque Veſtram ſint expediti. Hiſce atque aliis id genus (ſummatim enim tangere illa, non deſcribere voluimus) recte & accurate penſitatis, non mirabuntur Dilectiones Veſtræ, atque Vos, ſi memores ante actorum & diligentius examinantes ea, quæ intelligimus in Comitiis Veſtris propoſita & ventilata fuiſſe, diffidendi rationes graviſſimas hucusque habuerimus, & re exactius ponderata easdem adhuc non omnino negligere poſſimus. Verum hiſce ſepoſitis & Dilectionum Veſtrarum fidem ſecutæ, animum tranquillando Orbi Chriſtiano & colendæ augendæque cum omnibus vicinis Noſtris, imprimis Sereniſſimo Imperatore atque cum Dilectionibus Veſtris ac Vobis, ſinceræ amicitiæ multo ante cupidiſſimum retenturæ, id aſſeverare firmiter valemus, nihil Nobis gratias contingere poſſe, quam ut juſtæ ſecuræ atque honeſtæ Pacis conditiones reperiantur, collapſum turbatumque Imperii Statum (quem conſervari integrum Neque ad ſervitutem detrudi non Veſtræ tantum, ſed & cunctorum Regum & Rerumpublicarum Europæ intereſt) antiquis moribus & Libertatibus reſtituendi; preſſos & oppreſſos Imperii Status, confœderatos Noſtros ſublevandi atque in ſuis territoriis, bonis atque jure veteri collocandi; Alios ſuis bonis juribusque dejectos, qui partes Noſtras ſecuti

ti ſunt conſolandi ſatisfaciendique; denique pacem univerſalem Nobiſcum & cum Chriſtianiſſimo Rege Galliæ, Fratre, Conſanguineo, Amico & fœderato Noſtro chariſſimo, ac cæteris, qui hac comprehendi volunt, conditionibus decoris juſtis & æquitati conſonis ineundi atque firmandi, ut quandoque ſublatis diſſidiorum atque diffidentiæ cauſis animi utrinque in amicitiam mutuam coaleſcant & collapſæ jam diu res ſociatis affectibus & reducto commerciorum uſu refloreſcant. In hunc finem communicatos Nobis per Regem Daniæ Salvos conductus, Veſtra opera expeditos, acceptavimus, hac conditione, ut pauci errores, ſeu ſcribarum vitio, ſeu ſtudio illati corrigantur (Exemplaria enim tantum, non originalia ſunt communicata) & Regi Galliæ itidem approbentur. Commendavimus quoque de meliori nota Dominorum Ordinum Generalium fœderati Belgii, amicorum fœderatorumque Noſtrorum cauſam Regi Daniæ, idemque hiſce literis Noſtris repetimus, ut, ſi hi velint, eorundem quoque ratio habeatur, ne quid hinc inde tractatui obſiſtat, aut eundem remoretur. Nos Inſtrumenta Salvorum Conductuum pro Imperatoriis, Electorumque Moguntini & Brandenburgici Plenipotentiariis ac Deputatis jam dudum Hamburgum transmiſimus, ibidem cum Imperatoriis permutandos, habemus quoque jam multo tempore ibidem Legatum & Cancellarium Aulæ Noſtræ Johannem Salvium deſtinatum inter alios tractandæ Paci, cum mandato quasvis occaſiones juſtas arripiendi, & ſuper omnibus, quo magis maturetur tractatus, cum Legato Chriſtianiſſimi Regis

gis Galliæ ibidem commorante communicandi. De locis tractatuum id quidem hactenus visum est haud inconveniens instituto, ut Lubeca aut Hamburgum Nostratibus, Colonia Agrippina Regis Galliæ Legatis seligerentur; verum cum Christianissimus Galliæ Rex fœderatus Noster, ut magis suum studium pacis universalis tollendique impedimenta omnia contestaretur, loca tractandis hisce maxime negotiis propria svasisset, nullo alio fine, quam ut omnia commodius conjunctiusque & in usum tam Imperii quam vicinorum Regnorum & Rerumpublicarum, sine longiori mora peragi pertractarique possent, noluimus vel consilio hortatuive fœderati & amicissimi Regis, vel promovendo pacificandi Christiani Orbis negotio deesse, quin facile assensum Nostrum daremus, ut Colonienſis Tractatus Monasterium, Lubecensis aut Hamburgensis Osnabrugam transferrentur, eoque directis, & quo ad sola loca congressus mutatis salvis Conductibus, ut de cæteris conditionibus & tempore per Legatos utrimque Nostros Hamburgi residentes, certi quid concluderetur. Quæ quidem non existimamus Serenissimo Imperatori, Dilectionibus Vestris aut Vobis ullo modo improbari posse. Missuræ quoque sumus primo vere in Germaniam, qui Nostro Regnique Nostri nomine loco suprascripto illico aggrediantur hunc tantopere Orbi Christiano expeditum ac necessarium tractatum Pacis, ut ex his atque cæteris constet, Dilectionibus Vestris, Vobis atque omnibus, quorum interest, nos nihil magis detestari quam sanguinis Christiani profusionem, & illam per Germaniam grassantem &

Digitized by Google

propemodum bello durante immedicabilem militarem ſævitiam, neque quicquam magis expetere, quam ut his malis impoſito fine ac ſedatis motibus, quibus conquaſſamur utrinque aut metuimus, & tranquillatis animis refocillati, & veteri benevolentiæ reſtituti, quam Majores Noſtri ac Prædeceſſores, multis retro ſeculis coluerunt amicitiam & animorum officiorumque conjunctionem, excolamus, amplificemus & firmatam ad poſteros transmittamus. In nobis nihil erit vel impedimenti vel moræ, quo minus ad tractatum juſtæ, decoræ ac tutæ Pacis deveniatur. Eandem novimus mentem & vota eſſe confœderatorum Noſtrorum per Germaniam, neque de Chriſtianiſſimo Galliæ Rege Confœderato Noſtro, quin idem velit, dubitandum. Ex hac igitur parte parata erunt omnia, ubi innotuerit ſalvos Conductus eſſe commutatos & traditos, & de loco Conventus & die inter Nos Noſtrosque confœderatos atque Imperatorem per Legatos utrimque Noſtros Hamburgi reſidentes conſtitutum: procedente vero Pacis negotio, ſicuti Dilectiones Veſtræ atque Vos Nobis voluiſtis ſpem facere, nihil aliud futurum, quam ut vetus amicitia ac commerciorum uſus refloreſcant, ita Dilectionibus Veſtris ac Vobis perſuaſiſſimum de nobis eſſe cupimus, Conſilia Noſtra nunquam alio collata fuiſſe, nunc vero eo cumprimis intendi, ut tranquillatis hiſce atrociſſimis motibus, quibus concutitur Orbis Chriſtianus, & mitigata armorum ſævitia, animi & conſilia reuniantur, tutaque ac ſecura pace refloreſcente, occaſiones iſtiusmodi animorum Diſtractioni in poſterum præcidantur. Cui elabo-

Digitized by Google

elaborando ac perficiendo Dilectiones Veſtras atque Vos non minus quam Nos ſtudioſiſſime in Comitiis Veſtris, atque ubi & quomodo res poſtulaverit, incubituras neutiquam dubitamus. Hiſce Dilectionibus Veſtris atque Vobis feliciſſima quæque apprecamur. Dabantur ex arce Noſtra Stockholmenſi die 22. Martii 1641.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sueciæ reſpective Tutores & Adminiſtratores

Matthias Soop, loco R. S.
Archidapiferi.

Jacobus de la Gardie,
Reg. Svec. Mareſchallus.

Carolus Gildenhielm, R. S.
Admiralius.

Axelius Oxenſtirn, Reg. Sveciæ
Cancellarius.

Gabriel Oxenſtirn, L. Baro in
Mœreby & Lindholm. R.S.
Theſaurarius.

Andreas Gildenclau.

CI.

Reſponſoria CONSILIARIORUM REGNI SUECIÆ, ad Electorum, Principum ac Statuum S. Romani Imperii LEGATORUM literas, quibus pollicentur, ſe omnia ſua eo directuros conſilia, ut S. R. Imperio, ſi modo id etiam

Digitized by Google

alteri parti curæ cordique ſit, juſta, ſecura ac conſtans tandem reſtitui tranquillitas poſſit, 1641."

Reverendiſſimi, Celſiſſimi, Illuſtriſſimi, Reverendi, Illuſtres, Magnifici, Generoſi & Nobiles, Domini & Amici obſervantiſſimi, honorandi & plurimum colendi.

VEnerunt in manus Noſtras Celſitudinum, Illuſtritatum atque Dominationum Veſtrarum, quas earum nomine Conſiliarii & Legati Veſtri, ad S. Regiam Majeſtatem Dominam Noſtram clementiſſimam, nos, & Illuſtriſſimos atque ampliſſimos Regni Sveciæ Status, e Comitiis Veſtris Ratisbonæ die 7. (17.) & 8. (18.) Januarii nuper elapſi dediſtis, easque Nobis in hunc finem convocatis communicatas, & in abſentia Statuum, ex ratione moderni Regiminis hujus Regni, reſignatas, vidimus, legimus, ſumma diligentia ponderavimus. Non poſſumus non ſummopere laudare & approbare ingens ſtudium Celſitudinum, Illuſtritatum & Dominationum Veſtrarum locandi turbatæ ſuæ Patriæ ſtatum in ſolido tranquilloque & pacem cum finitimis componendi: Neque minus admiramur inſignem prudentiam & dexteritatem amovendi ea, quæ hiſce conſiliis utrinque obſiſtere aut remorari, vel ullo modo ab his cogitationibus Nos divertere queant, gratiſſimum habentes, Celſitudines, Illuſtritates & Dominationes Veſtras adeo ſincere atque aperte voluiſſe mentem ſuam explicare, Noſque adeo ſtudioſe hortari, ut cunctis, quæ veniunt in conſiderationem & ſummo judicio memorantur, perpenſis, id conſulamus in medium atque

Digitized by Google

que agamus, quo pace & tranquillitate Orbi Christiano restituta, grassanti per Germaniam armorum sævitiæ, & quæ hanc comitari solent, malis aliis, exoptatus, bonisque omnibus expetitus ubique finis aliquando inveniatur. Optime & ex usu tranquillitatis Orbi Christiano admodum necessariæ fecere Celsitudines, Illustritates & Dominationes Vestræ, susceptа hac fidente communicatione, quæ non grata modo Nobis extitit & jucunda, sed intentionem Nostram pacificandæ Europæ Vestræ quidem congruam, ast rationibus quibusdam nonnihil turbatam, mirifice excitavit & firmavit. Cognitæ sunt Nobis Nosque haud parum afficiunt calamitates, quibus affligitur & quassatur Germania olim florentissima, magnaque Christiani Orbis pars: neque ignoramus fortunæ varietatem, aut oblivisci facile possumus, quanti Nobis steterit hoc bellum, aut quæ inde adhuc evenire queant. Id vero dolemus ex animo, tantum hactenus potuisse consilia hominum suum ex bello facientium commodum, ut inter tot vota pro pace concepta nulla firma ratio reperiri potuerit reconciliandi dissidentes affectus, & Orbem Christianum grata atque suavi pace beandi. Serenissima Regina Nostra, ut Regni, sic ingenii divi Parentis sui, Gustavi Adolphi Magni glorioſissima neque unquam intermorituræ memoriæ hæres, nihil æque expetit, quam sibi facultatem præberi contestandi, quantopere cupiat conservato Romani Imperii libero statu, veteri cum Ejusdem Imperatore atque Statibus omnibus amicitia redintegrata, atque pace univer-

ſali cum vicinis conſtituta, ut Orbis Chriſtianus, reſtinctis incendiorum flammis, conquieſcat & adverſus paganos Nominisque Chriſtiani Hoſtes, hanc mutuam & civilem quaſi lanienam forſan in ſuos uſus verſuros, conſolidetur. Idem ſentire Regni hujus Status Celſitudines, Illuſtritates & Dominationes Veſtræ pro certo putabunt. Nos id & olim & nunc conſuluimus cupimusque, neque ullam occaſionem elabi patiemur ad ſcopum juſtæ, decoræ atque tutæ Pacis collimandi ac penetrandi, dum modo Nobis ab adverſa parte non præcidantur ſpes, eo uſque eluctandi, ac Celſitudines, Illuſtritates & Dominationes Veſtræ laudabili ſuo inſtituto inhærentes, modum atque rationem invenerint, vulnera Imperio, cum ſummo Vicinorum Regum ac Rerumpublicarum diſcrimine ac præjudicio, inflicta, ſanandi & conſolidandi. Quæ huc faciunt, & quæ conferre aliquid poſſe videntur, de eis, cum ſint uberius explicata Literis S. Regiæ Majeſtatis, Dominæ Noſtræ propriis, aut inter Commiſſarios utriusque Partis commodisſime pertractari poterunt, non erimus in præſens prolixiores: Hoc unum ubi addiderimus, nos conſi-

ſos, hac conteſtatione deſiderii Veſtri in pacem univerſalem & amicitiam cum vicinis atque Nobis, pacificandique Orbis Chriſtiani, id ſtudioſe acturos, ut Reginæ Noſtræ Regnique Commiſſarii primo Vere in Germaniam mittantur, qui adjuncto Legato Hamburgi reſidente, & jam diu tractatuum negotio deſtinato hoc aggrediantur, quam primum conſtiterit inter Sereniſſimum ac Poten-

Digitized by Google

Potentisſimum Imperatorem Romanum ac Chriſtianisſimum Regem Galliæ, ut eodem tempore tractatuum inter eorundem Cæſaream Regiamque Majeſtates initia fiant, ac ſimul cœpta ad felicem exitum eodem gradu provehantur. Locus Tractatuum Nobis Lubecæ aut Hamburgi non diſpliceret, verum cum Chriſtianisſimus Rex Galliæ, fœderatus Reginæ Noſtræ prudenter judicet, loca tractatuum Noſtris ſuisque Commiſſariis deſtinata propius contrahi debere, & promovendo Pacis negotio, tollendæque concluſionis protractioni & dilationi convenientius eſſe, ſi illi Monaſterium, Noſtrates Oſnabrugam venirent, non improbatis, quas attulerat, rationibus, nihil recuſandum duximus, quod maturare pacis & tranquillitatis reductionem poſſit: Ideoque, ſi Imperatori ac Celſitudinibus, Illuſtritatibus ac Dominationibus Veſtris placeat, Salvos ſuos conductus iſthic dirigere, ac Imperatorio Legato Hamburgi reſidenti injungere, ut cum Sacræ Regiæ Majeſtatis, Dominæ Noſtræ, atque Chriſtianisſimi Regis Legatis ibidem commorantibus de his atque cæteris præliminaribus tranſigat, valde promovebunt tractatus, Nosque in eo laborabimus, ut Legato Regni Sveciæ plena ſuper iis mandata mittantur. Denique divinam benignitatem veneramur, ut dignum tantis Principibus Chriſtianis negotium Pacis adeo ſalutare & univerſis & ſingulis neceſſarium, pacificis conſultis, amicabili Tractatu & felici, cunctisque, quorum intereſt, jucundo exitu bea-

re velit. Dabantur Stockholmiæ 27. Martii 1641.

Celsitudinibus, Illustritatibus & Dominationibus Vestris ad servitia & officia paratissimi.

Jacobus de la Gardie, Comes de Lecko, Reginæ Sveciæ Marescb.

Axelius Oxenstirn, R. S. Cancellarius.

Joh. Skilte L. Baro in Duxderoff, ac supremi per Regnum Gotiæ Judicii Præses.

Claudius Flemminck supremus Præfectus Stockholm. & Amir.

Petrus Brahe, Comes in Wisensborg, n. p. Finlandiæ, Alandiæ, utriusque Careliæ Gubernator Generalis.

Carolus Bonde, Camerarius Regni, Consiliarius & Collegii Matani Præses.

AxeliusBanerius, Reginæ Sueciæ Marescb.

Joh. Curck, supremi per Finlandiam Judicii Præses.

Carolus Gildenhielm, L. Baro de Berquara R. S. Amiralius.

Gabriel Oxenstirn, L. Baro in Mœreby & Lindholm &c. R. S. Thesaurarius.

Petrus Banerius, Eques Aur. Consiliarius Cancellariæ.

Mathias Soop, Judicii Regii supremi Assessor.

Hermannus Vrangelius, Reg. Sveciæ Campi-Marescbalus.

Achatius Axelii d. Gebholm, Consiliarius Cameræ Regni.

EricusRining, Amiralius.

Johan. Oxenstirn, L. Baro in Kimitho, Consiliar. Cancell.

CII. Li-

CII.

Literæ, quibus STATUUM S. R. IMP. LEGATI PHILIPPO IV. Hiſpaniæ Regi, pro conceſſis Ordinum fœderati Belgii Generalium Legatis, ſalvis conductibus gratias agunt, ac ut quamprimum cæteros ad tractatus deputatos Oratores ſuos mittere velit, eum ſubmiſſe requirunt, 1641.

Catholice ac Potentiſſime Rex.

INtelleximus Regiam Dignitatem Veſtram ſuperata tandem ea, quæ congreſſum Plenipotentiariorum ad tractatus Pacis Coloniæ inſtituendos Deputatorum adhuc remorari videbatur difficultate, Ordinibus & Statibus fœderati Belgii literas Paſſus ad eosdem tractatus ea, qua deſiderabatur forma conceſſiſſe, easque ad manus Oratoris Veneti, Pariſiis reſidentis, perferendas curaſſe, omni momento, quibus oportet locis tradendas, quando Sereniſſimus Rex Chriſtianiſſimus Plenipotentiarios etiam ſuos eodem ablegarit. Agnoſcimus exinde Regiæ Dignitatis Veſtræ in pacandum Chriſtianum Orbem ſtudium, atque eo nomine Regiæ Dignitati Veſtræ gratias agimus, & cum omnino confidamus etiam Regem Chriſtianiſſimum propediem quosdam Coloniam ablegaturum eſſe, de quo eundem peculiaribus ad Regiam Dignitatem ſuam Literis ſcriptis modo interpellare omittere noluimus, quin ſimul Regiam Dignitatem Veſtram ea, qua par eſt, obſervantia & honore requireremus, ut ipſa quoque cæteros ad dictos tractatus deputatos Oratores ſuos plena facultate inſtructos, eodem quam ocyus mittere velit, erit Regiæ Dignitati Veſtræ

ſumme honorificum, & non minus propriis ſuis Regnis hæreditariis, quam Imperio, Orbi Chriſtiano, & bono publico maxime proficuum a Regia Dignitate Veſtra nil omiſſum eſſe, quo pacis negotium maturari & juvari potuerit. Neque omnipotens Deus bonis conatibus deerit, ſed, pro ſua immenſa bonitate, omnium conſilia ſic moderabitur, ut deinceps gloriari poſſimus, quod per Regiæ Veſtræ Dignitatis ſingularem cooperationem Imperio certa, tuta ac honeſta pax & Orbi Chriſtiano tranquillitas reſtituta ſit, & Sacri Romani Imperii Electores, Principes ac Status pro viribus operam dabunt, ut ſummum iſtud beneficii genus omni data occaſione pro poſſibili compenſare poſint. Hisce Regiam Dignitatem Veſtram divinæ Protectioni commendamus, eidemque omnem felicitatem comprecamur. Ratisbonæ 2. Martii 1641.

CIII.

Literæ ab ELECTORUM, PRINCIPUM & STATUUM S. R. Imperii ad Comitia Ratisbonenſia deputatis Conſiliariis & Legatis ad LUDOVICUM XIII. Galliæ Regem, exaratæ, quibus ab eo, ut Oratores ſuos, extraditis & receptis invicem ſalvis conductibus, Coloniam Agrippinam ad reſtaurandos Pacis tractatus ablegare dignetur, obnixe contendunt, 1641.

Chriſtianiſſime ac Potentiſſime Rex.

MInime dubitamus, quin ad Regiam Dignitatem Veſtram jam pridem perlatum ſit, quemadmodum Sacra Cæſarea Majeſtas, Dominus noſter.

Digitized by Google

ſter Clementiſſimus ante ſemeſtre circiter omnibus Imperii Statibus, tam cum Regia Dignitate Veſtra, quam cum Serenisſima Regina & Corona Sueciæ, ejusque Confœderatis, literas ſalvi conductus ad Tractatus Pacis, qua Coloniæ, qua Lubecæ vel Hamburgi inſtituendos, ad eum plane modum, quo vel Regia Dignitas Veſtra, vel prædicta Serenisſima Regina & Corona deſiderabant, ſit impertita, a Serenisſimo quoque Hiſpaniarum Rege, Statibus & Ordinibus confœderati Belgii Literas paſſus ad eosdem Tractatus, in ea, qua petebantur forma, conceſſas, & ad manus Oratoris Veneti, Pariſiis Reſidentis miſſas eſſe; facile Regia Dignitas Veſtra ab eodem Oratore, prout & illud intellexit a Sacræ Cæſareæ Majeſt. ad tractatus Coloniæ habendos Deputatis tractatus, autographum ipſum ſalvi Conductus, pro Regiæ Dignitatis Veſtræ colligatis in Imperio, dicto Oratori transmiſſum eſſe, omnia omni momento, quibus oportuerit, tradenda, quando Regia Dignitas Veſtra Literas Paſſus, pro Deputatis Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Domo Lotharingica, quæ non minus in manibus ejusdem Oratoris in forma debita aſſeruntur eſſe, iis quibus debentur, conſignari curaverit, & Plenipotentiarios ſuos Coloniam proficiſci juſſerit, adeo plane, ut quicquid alii de conſiliis, quæ hic agitantur, circumferant, Nos Regiam Dignitatem Veſtram merito credere velimus, Comitia hæc, prout a Sacra Cæſarea Majeſtate ex ſincero pacandi Imperii, ſimul & reliqui Orbis Chriſtiani ſtudio, indicta ſunt; ita eo prorſus a Nobis animo celebrari, ut, ſi quæ ulterius obſtacula pacis

tra-

tractandæ vel concludendæ obveniant, tanto facilius & celerius ex parte Noſtra removeantur, quibusvis aliis conſiderationibus omiſſis, ut Deo & hominibus ſatisfaciamus, noſtrum erga tranquillitatem publicam deſiderium omnibus modis explicantes. Proinde non ex hoc ſolum, ſed ex eo etiam capite, quod Regia Dignitas Veſtra præ ſe tulerit, ut ſe collaborante Chriſtianus Orbis ex diuturnis bellorum tempeſtatibus in tranquillo ponatur, tanto certius expectamus, Regiam Dignitatem Veſtram non minus ſuos ad locum tractatibus deſignatum, Oratores miſſuram, ac tandem promoturam id, quod pro ea, quam publicæ tranquillitati, ex munere nobis commiſſo, debemus, ſollicitudine communi nomine eandem obnixe requirimus, nullatenus dubitantes, quin ut palam profeſſa eſt, ita etiam reipſa miſſis ad tractatus conventus quam primum ſuis, comprobatura ſit, nil ſibi eſſe tranquillitate Orbis Chriſtiani, ſuorum quoque ſubditorum antiquius, certo viciſſim confiſa, quod ſicuti in ſæpe dicta Sacra Cæſarea Majeſtate Sacrique Imperii Ordinibus & Statibus, idem ſtudium hactenus ſemper conſtitit; ita nec impoſterum ejus quicquam omiſſuri ſint, quod ex ſua parte illuc conferri poſſit. Qui de cætero Regiæ Dignitati Veſtræ omnia fauſta & felicia compreca-mur. Datæ Ratisbonæ 2. Martii Anno 1641.

Regiæ Dignitatis Veſtræ

Officioſiſſimi

Sacri Rom. Imperii Electorum,

Principum & Statuum ad hæc generalia Comitia Deputati Conſiliarii ac Legati.

CIV.

CIV.

Litera FERDINANDI III. Rom. Imp. ad FERDINANDUM, Infantem Hiſpaniæ, Cardinalem & Archiepiſcopum Toletenſem, quibus, ut Archidiœceſin & vectigalia Trevirenſia, a militibus & Miniſtris Hiſpanicis vi occupata confeſtim evacuari mandet, poſtulat, 1641.

Ferdinandus Tertius &c.

Sereniſſime Princeps, Conſobrine & Affinis Chariſſime.

CUm non modo Nos jam alias ad Reverendiſſimam Paternitatem ac Dilectionem Veſtram, cum ſuper moleſtiis ac acerbitatibus ab ejusdem Præſidiario Civitati atq; Archidiœceſi Trevirenſi impoſito milite illatis, levandis, arcendisq;, tum vectigalibus, & teloniis eorumque procurationibus a Miniſtris Hiſpanicis vi occupatis, ejusdem Archidiœceſeos adminiſtratoribus reſtituendis, aliquoties benevole requirendo ſcripſerimus, ſed inclytum quoque ſeptemvirale Collegium eodem ſuper negotio, velut ad ſummam Rempublicam ſpectante, apud eandem Reverendiſſimam Paternitatem ac Dilectionem Veſtram, enixiſſime ſemel atque iterum inſtiterit: Omnino pro Noſtro de cognito Reverendiſſimæ Paternitatis ac Dilectionis Veſtræ Nobis gratificandi ſtudio concepta ſingulari fiducia expectabamus, ut eandem uni atque alteri toties inſtauratæ impenſiori requiſitioni volens lubensque concederet, tamque acerbarum querelarum cauſas penitus ſubmoveret. Verumtamen cum easdem apud Nos prælibati Adminiſtratores denuo

nuo dolenter redintegrarint, quod non ſolum Archidiœceſis illa prioribus oneribus ac moleſtiis non liberetur, quin aliis ſuper aliis aggeſtis gravaminibus magis magisque opprimatur, ac velut hoſticum ſolum hoſtili plane modo infeſtetur, quippe cum tam dilatandis ſtativis, introducendis atque hoſpitandis indies majoribus copiis, quam occupatis ejusdem Præfecturæ arcibus, caſtris atque oppidis, Sarburgo nimirum, Pfalzello, Grymburgenſi arce atque oppido, & Hammerſteiniana imprimis arce atque oppido, teloniis ſuis ac vectigalibus abreptis, novis ac gravioribus impoſitis exactionibus, reciproco mercimoniorum uſu ablato, atque interrupto, penitus exhauriatur, atque hinc in vicinos quoque Electores graviſſima redundent damna, adeoque non modo prædicti Archidiœceſeos illius adminiſtratores, ſed idem ſeptemvirale Collegium atque univerſi præterea hic in Comitiis congregati Sancti Imperii Ordines ac Status, omni majori ſubmiſſione, cura ac ſollicitudine a Nobis petierint, ut in id benigne dignaremur intendere, quo tandem Electoratus ille, nobiliſſimum Sancti Romani Imperii membrum, gravioribus id genus moleſtiis elevetur, nec omnino funditus evertatur evaſteturque. Auguſtalis ſane muneris noſtri partes a Nobis flagitare viſæ ſunt, ut æquiſſimis juxta atque enixiſſimis id genus precibus, lubentes benigni deferremus, ac proinde Reverendiſſimam Paternitatem ac Dilectionem Veſtram de integro amanter, pro ſolita noſtra fiducia, iterum ac ſæpius requirimus, uti competentia ac neceſſaria tandem mandata, quo ſupra memorata gravamina

pror-

prorſus amoveantur, atque una cum Civitate Trevirenſi dictæ Præfecturæ, arces, caſtra, oppida, aliaque loca, telonia, ac vectigalia a prædictis Miniſtris vi occupata, cum omnibus ſuis pertinentiis, juribus ac redditibus, dictæ Archidiœceſeos adminiſtratoribus primo quoque tempore ac durantibus adhuc præſentibus Comitiis plane atque integre reſtituantur expedire velit. Faciet in eo Reverendiſima Paternitas ac Dilectio Veſtra rem juſtitiæ conformem & tam Nobis gratam, quam inclyto ſeptemvirali Collegio atque univerſis Imperii Ordinibus, deſideratam & acceptam. De cætero Reverendiſimæ Paternitati ac Dilectioni Veſtræ conſtantem amantiſimi conſobrini & affinis affectum benevolentiſime offerentes, eandem diutiſime ſuperſtitem, ſoſpitem ac fortunatam ex animo precamur. Ratisbonæ, 9. April. 1641.

CV.

Litera ad CHRISTINAM, Reginam Sueciæ, a S. ROMANI IMPERII ELECTORUM, PRINCIPUM & STATUUM LEGATIS exaratæ, quibus eam, ut maturandorum pacis tractatuum ergo Oratores ſuos quamprimum ablegare, & neceſſarias ſalvi conductus tabulas transmittere haud gravetur, ſtudioſe compellant, 1641.

Sereniſſima Regina, Domina Clementiſſima.

PErvenerunt ad manus Noſtras Literæ Reſponſoriæ, quæ Stockholmii a Regia Veſtra Digni-

Digitized by Google

Dignitate proxime elapſo 27. Martii die ad Sacri Romani Imperii Electores, Principes & Status datæ ſunt, & in illis invenimus multa adduci, quibus cauſas tam belli inter Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum II. & Sereniſſimum Regiæ Veſtræ Dignitatis Patrem ante aliquot annos cœpti, & hucusque continuati, quam etiam tractatus Pacis tam diu protracti, a ſuis partibus amoliri, & in alios derivare conatur. Etſi vero materia non deſit ad iſta omnia reſpondendi, quia tamen & in prioribus & in hiſce literis cauſas belli & moras pacis examinare non intendimus, ſed omnis Noſtra cogitatio & cura eo tantum directa fuit & adhuc eſt, qua ratione ex præſenti diſcordia iterum ad veram concordiam, & ex diuturna tempeſtate belli ad exoptatum pacis portum quam primum, cæteris ambagibus ſepoſitis, pervenire poſsimus, illud ſolum quam officioſisſime reſpondere voluimus, imprimis Nobis & lectu jucundum & cognitu gratum fuiſſe, quod Regia Veſtra Dignitas una cum Regni Sueciæ Tutoribus, Adminiſtratoribus & Proceribus, iis inſuper habitis, quæ alias ſuadere poſsint, bello continuando pacis reducendæ deſiderium præferat & Nobis ejus certam ſpem faciat, eandem & invictisſimi Imperatoris Domini Noſtri Clementisſimi & dictorum Imperii Statuum mentem eſſe, Regia Veſtra Dignitas nullatenus dubitet, ſed certo ſibi perſuadeat. Id vero non diffitemur in hiſce Comitiis ad factam S. Cæſareæ Majeſtatis Propoſitionem etiam de iis deliberari, quæ ad conſervationem Exercitus, & ad Imperii defenſionem neceſſaria

ſunt,

ſunt, donec illud paci & quieti reſtituatur. Propterea tamen nihil cauſæ ſubeſt, ut Regia Veſtra Dignitas, vel de Imperatore, vel Imperii Statibus depoſiti Pacis deſiderii ſuſpicionem concipiat; tantummodo enim ad eum finem omnia iſta conſilia ſpectant, ſi præter omnem ſpem tractatio & concluſio pacis longius differantur, quid tum facto opus ſit, ut & pax promoveri & æquis conditionibus ſanciri, atque interea collapſa militaris diſciplina reduci queat. Quod vero continuatio belli horum Comitiorum primarius finis & principalis ſcopus ſit, Regia Veſtra Dignitas ſibi haud perſuaderi patiatur, quin contra certo apud ſe ſtatuat, id etiamnum hic agi, ut bello penitus remoto Orbi Chriſtiano publica tranquillitas reddatur, & cœptum Pacificationis negotium quoad ejus fieri poteſt, maturetur. Neque enim Veſtram Regiam Dignitatem latere credimus, hic ab Auguſtiſſimo Imperatore Noſtro & Imperii Proceribus potiſſimum conſultari & præparari, quæ ſtabiliendæ Paci & neceſſaria & proficua videantur, quippe eo nomine Sereniſſimum Galliæ Regem non minus per literas invitavimus, & eadem de cauſa Sereniſſimum Hiſpaniæ Regem compellavimus, ut mature Statibus Hollandiæ, deſiderati Salvi Conductus Tabulas transmittat, haud dubia ſpe freti, fore, ut iſti invitationi & compellationi locus detur. Ad Noſtram etiam Interceſſionem factum eſt, ut Imperatoria Majeſtas Salvos Conductus pro Legatis Coronæ, tam Galliæ quam Sueciæ conſcriptos; in iis locis, prout Legato Regis Daniæ inſinuatum fuit, emendaverit &

Digitized by Google

ſic emendatos Legato & Reſidenti ſuo, Cunrado Lutzovio, Hamburgum transmiſerit, ſimulque in mandatis dederit, ut cum utriusque Coronæ ibidem commorantibus Legatis, de certis locis & die, quoad Tractatus inſtituendos conferat & conveniat, neque dubitamus, ſi Regia Veſtra Dignitas cœptis veſtigiis deinceps inſtiterit & pari ſtudio pacificationi promovendæ operam impenderit, brevi & Imperio totique Orbi Chriſtiano pacem reſtitutum iri. Ut autem id facere, omniaque maturare, & non tantum ad eum locum & diem, de quibus Hamburgi ad ſupradictum modum conventum eſt, ſuos Legatos cum pleno mandato quantocyus ablegare, ſed etiam tam pro Electorum quam aliorum Principum & Civitatum Imperialium ad pacificationem Deputatis Legatis ſufficientes dicto Lutzovio exhibendas Salvi Conductus literas transmittere velit, obnixe efflagitamus, non dubitantes Deum optimum maximum bonis conatibus nullatenus defuturum, ſed negotium pacificatorium eo directurum, ut profuſi ſanguinis Chriſtiani fluvius inareſcat, publica tranquillitas ac priſtina amicitia reviviſcat, & commercia, quæ durantibus hiſce belli motibus marcere cœperunt, inter Imperii Romani & Regni Sueciæ Incolas & ſubditos rurſus efflореſcant. Hiſce Regiam Veſtram Dignitatem Divinæ Protectioni commendamus & ut nihil eorum, quæ ſuum teſtatum Pacis deſiderium reipſa probare & ejus etiam maturationem juvare poſſunt, intermittere velit, etiam atque etiam petimus. Dabantur Ratisbonæ 4. Julii 1641.

CVI.

Digitized by Google

CVI.

Literæ EORUNDEM ad REGINÆ REGNIQUE SUECIÆ TUTORES, ADMINISTRATORES & CONSILIARIOS, quibus ab eis, ut literas ſuas ad Reginam datas, omni meliori modo commendare & animum regium ad pacis quamprimum reſtaurandæ negotium indies proniorem reddere ſtudeant, ſollicite efflagitant, 1641.

Illuſtres, Generoſi, admodum Reverendi, Nobiles & Magnifici, Domini & amici plurimum honorandi.

REcte Nobis exhibitæ ſunt literæ, quibus Noſtris, ad Illuſtres & Magnificas Dominationes Veſtras & Vos, proxime præterito 18. Januarii die datis, reſpondere voluerunt, ut earum ſummam hic prolixius repetamus, neque neceſſarium eſſe neque magnopere deſiderari putamus, tantum hiſce ſignificare voluimus, quam jam inde ab initio hujus Conventus de Illuſtribus & Magnificis Dominationibus Veſtris, ac Vobis & pacifica eorum intentione ſpem concepimus, eam ſupra dictis literis ita comprobatam eſſe, ut jam firmiter ſperare liceat, Deum optimum maximum ulterius & Sereniſſimæ Reginæ, veſtra & Noſtra, imprimis vero invictiſſimi Imperatoris, Domini Noſtri Clementiſſimi conſilia ita executurum eſſe, ut propediem bellum, quod hucusque cruento plane conflictu & eventu geſtum eſt, pace mutetur & publica tranquillitate conſtituta aboleatur, ut tamen

omnia felicius & facilius cedant, quæ in adjunctis ad Regiam ſuam Dignitatem datis literis petivimus, Illuſtribus ac Magnificis Dominationibus Veſtris & vobis omni meliori modo commendare voluimus, bona ſpe nixi, fore, ut Regia Dignitas ad ulteriorem admonitionem Veſtram ſine omni mora tractatus pacificatorios præparet, eosque quantum fieri poteſt, maturet, & ita quidem ſua ex parte dirigat, ut omnibus innoteſcat, ipſi una cum Regni ſui Proceribus nihil prius fuiſſe, quam ut humani ſanguinis profuſione occluſa, Germanorum, Suecorum & Gallorum animi coaleſcant, & priſtina amicitia floreſcat. Nos e contra, ut hactenus, ita etiam deinceps omni ope connitemur, ut a parte Romani Imperatoris nihil eorum intermittatur, quæ inter Cæſaream ſuam Majeſtatem, Galliæ Regem & ſæpe dictam Reginam deſideratam pacem conciliare videbuntur. Hiſce finimus & ut Deus omnipotens Illuſtribus ac Magnificis Dominationibus Veſtris ac Vobis quævis, tam fortunæ, quam animi & corporis bona cumulatim largiri velit, ex animo precamur. Dabantur Ratisbonæ 4. Julii, 1641.

CVII.

Litera FRANCISCI DE SOUSA COUTINII, Legati JOHANNIS IV. Luſitaniæ Regis per ſeptentrionem extraordinarii, quibus pro Principe EDUARDO, Fratre Regis ſui, Carceri Viennæ incluſo APUD STATUUM S. R. IMP. RATISBONÆ CONGREGATOS

Digitized by Google

TOS DEPUTATOS intercedit, eumque tanquam omni culpa immunem defendit, 1641.

Reverendiſſimis, Celſiſſimis, Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis, Spectabilibus & Nobilibus Dominis, Ordinibus Sacri Romani Imperii & eorum Legatis, Ratisbonæ congregatis, Dominis & amicis obſervandis, honorandis & plurimum colendis.

FRanciſcus de Souſa Coutinius a Conſiliis Sereniſſimi Regis Portugalliæ Johannis, nomine quarti, Eques militiæ Ordinis Chriſti, ejusque Commendatarius & Cuſtos Major arcis de Souſel, & ipſius Regiæ Majeſtatis Legatus Extraordinarius in Partes ſeptentrionales, humillime & debito cultu, felicitatem & ſalutem precor, & ab omnibus ſimul per has literas dicendi licentiam reverenter imploro.

Notorium eſt, Sacri Romani Imperii Patres graviſſimi & omnibus titulis digniſſimi, Principem Eduardum Brigantinum, qui fideliter Imperio inſervierat, in illo violenter hodie detineri, ablata Libertate in Patriam & Luſitaniam proficiſcendi, arreſto & repreſſaliis factis ejus Perſonæ ſuorumque ſervorum & familiarum. Res quidem nova fuit & eo admirabilior, quo Celſiſſima Congregatio Ratisbonæ juſtiſſima & æquiſſima eſt, & nusquam Principibus Liberis, niſi ſub hoſte hoc fieri conſuevit. Notum eſt omnibus, quod ille Celſiſſimus Princeps, relicta Patria, deſerto fratre, tunc Principe & Duce Brigantiæ, hodie Luſitaniæ Rege, Domino meo; relictis bellis & exercitibus aliorum

Digitized by Google

Regum & Principum vicinorum, Sacrum Romanum Imperium adierit, ut ei ſua officia, ſervitia, operas & ſumptus offerret. Nemo negabit, quod & ipſi Potentiſſimi Sueci & Galli hoſtes publice proteſtantur, quod æmuli fateri non recuſant, quod tota Germania novit: Illum ſemper ſtrenuum & egregium bellatorem & ducem in omnibus locis & Imperii muneribus, ſibi commendatis, ſeſe geſſiſſe, multisque quotidianis oblatis occaſionibus vitam & pericula deſpexiſſe, ſive in urbibus obſidione cingendis, ſive in eisdem ab illa liberandis, vel aperto campo, vel caſtris metatis, victorem multoties exiviſſe, & ſemper pro Imperio glorioſe pugnaſſe, & hoc equidem non illius ſumptibus, ſed ſuis, per ſeptennium libentiſſime peregiſſe. Ecce ille ingenuus Dux & Princeps, ſolus Imperii ſervitor, non alterius, qui ſe liberavit ab hoſtibus, jam captivus habetur ab amicis, & ubi libertatem quæſivit, invenit ſervitutem, ubi præmia ſpectabat, repreſſalia patitur & arreſtum; Et ei non ſolum omnis communicatio humana prohibetur, ſed & poteſtas, ut ei pro alimento & victu ſuppeditentur neceſſaria, denegatur. Quid amplius hoſtis faceret, ſi eum caperet? certe minus, nam hodie liber eſſet. Quæ Principibus in tota Europa ſecuritas dabitur ab Imperio? Qui poterunt illi ſe offerre & libere inſervire? Quo exemplo allicientur animi; dum illud meritorum exemplar jam exemplum conſiderant ſervitutis? Ubi eſt juris gentium & fidei publicæ, ſub qua ille militaverat, obſervatio? Ubi eſt illa ſacra Imperialis vel Germanica libertas, quæ etiam fugatis

ab

Digitized by Google

ab aliis Regnis & criminosis datur, si de Imperio benemerito Principi innocenti & inculpabili denegatur? Ubi est peregrinorum & exterorum favor? Ubi præmia bene merentium? Sic solvitur effusus egregii militis & Ducis sanguis? Sic septennalis labor indefessus, sic electio servitii Sacri Romani Imperii æstimatur? Si in aliquo circa munera & obligationes suas offendit Imperium, Libellus Criminum offeratur, convincatur & legitime veniat puniendus; sed si Imperii nec pacem publicam fregit, nec aliquid contra eam moliebatur, imo totis viribus pro ea defendenda pugnabat, quid restat culpæ, quid flagitii restat? nisi habentur officia & beneficia pro injuriis, & unum idemque sit defendere, quod offendere. Si ad Instantiam Regis Castellæ, & forsitan per Ministros, qui a Domo Brigantina panem & honorem obtinuerant, opponatur, quod Principis Eduardi Frater, Serenissimus Rex Portugalliæ, omnium sui Regni & Populi acclamationi consentiens, injuste a Rege Castellæ discesserit & rebellaverit, hoc contra veritatem est; neque enim rebellio dicitur restitutio, neque violentiæ repulsa appellari poterit injustitia. Omnibus patet, quod Catholicus Rex Philippus II. armis invadens Lusitaniam, eam majori vi oppressam, non ut hæres, sed hostis occupavit, nec resistere poterat Serenissima Domina, Domina Catharina, hæc enim si tunc jura valerent, jam regnaret; nam a jure per beneficium repræsentationis, in locum Infantis Eduardi, Patris sui, ingressa, ut agnata, ad successionem Regis Henrici, ipsum Patrem, ac si viveret, repræsentabat,

& Catholicus Rex Philippus II. cognatus, Imperatricem Dominam Eliſabetham matrem fœminam referebat, & uterque non ex propria perſona, ſed ex perſona Parentis concurrebat, ac proinde quemadmodum Eduardus, ſi viveret, Eliſabetham Sororem excluderet, ſic etiam ſua filia Catharina, ut agnata, illum repræſentando, Catholicum Regem, qui cognatus erat & Eliſabetham fœminam repræſentabat, excludere jure merito debuit. Et præter hanc veritatem tritæ & notiſſimæ leges ſunt, ſecundum quas & cauſæ & poſſeſſionis jus amittit, qui jura deſerit & armata contendit manu, ſic ex illis ſit certum, quod Catholicus Rex, ſi aliquod jus haberet, (quod negatur) illud amiſerit, ubi primum, relicto juris ordine, ſumpſit arma, quorum viribus inniti non potuit ad præſcriptionem, nam præterquam quod contra legitimos Regni ſucceſſores nulla præſcriptio currit, quis titulus, quæ bona fides, quis partium conſenſus pro illo & ſuis ſucceſſoribus poterant conſiderari? Extortis Luſitanis Vaſallis, & majori vi oppreſſis contendentibus, præſidiato Regno, ubi omnes arces, caſtella, & fortalitia armato Caſtellano milite compleverunt. Ultra hæc aliud inſuperabile obſtaculum opponebatur Catholico Regi, ex Lege Comitiali Luſitana: in Lamecenſi Civitate edita, jam a tempore primi Portugalliæ Regis Alphonſi Henrici, quæ quaſi Salica vel Gallica fuit. Ex ea enim prohibetur Regnum Luſitaniæ ad Reges exteros pervenire & ſic, quod per infantes filias Regum Portugalliæ, non poſſet ad eorum maritos externos jus

ali-

Digitized by Google

aliquod ad Regnum pertinere, & jam hoc & ſuæ acclamationis jure uſus Joannes primus Rex Luſitaniæ, cum tamen nothus Regis Petri filius eſſet, excluſit Beatricem, filiam Legitimam Regis Ferdinandi, cui ille ſucceſſit & prædictæ Dominæ Beatricis maritum Joannem Regem Caſtellæ debellavit. His & aliis fundamentis, quæ melius & uberius eo jam tempore explicarunt omnes jurisprudentiæ Profeſſores, Libris editis, in celeberrima Academia Conimbricenſi & aliis. Conſcius ſui Juris erat Sereniſſimus Brigantiæ Princeps, ſed inter arma Caſtellæ, quamvis Luſitanorum amori fideret, non tamen ei aperte de illorum voluntate conſtabat, & ita nihil moliebatur. Sed Deus Optimus Maximus, per quem Reges regnant & Legislatores juſta decernunt, ſumſit Caſtellæ miniſtrorum Tyrannidem pro libertatis & Juſtitiæ inſtrumento: Nam eo tyrannidis, & injuſtitiæ duorum potentium Miniſtrorum generi & ſoceri, Didaci Soares & Michaelis de Vaſconcellos, qui Regii Status Portugalliæ Secretarii erant, Madriti & Oliſipone, intolerabilia ab eis arbitrata tributa, deſpectus & exſtirpatio nobilitatis, bonorum, locorum, juſtitiæ & militiæ equeſtrium inſignium venditiones, velut in haſta publica, pervenerunt, ut ſolum reſiduum eſſet, quod jam moliebantur, ut antiquiſſimum Luſitaniæ Regnum foralibus & legibus fractis, reduceretur in miſeram Provinciam. Quibus & aliis multis incitati omnes Prælati Eccleſiaſtici, omnis Nobilitas & populus, nemine diſcrepante, acclamarunt, reſtituerunt & juvarunt Regem ſuum Joannem IV. cui per breve temporis ſpacium, omnes

arces & præſidia, in quibus Caſtellanæ Cohortes erant, obedierunt, & omnes Regiones & Inſulæ Portugalliæ ubique enſium ictu vel armorum ſtrepitu traditæ ſunt; Ecce quomodo Sereniſſimus Rex meus Joannes IV. tuendo jure ſuo, pro ſuorum Vaſallorum tuenda libertate gubernat & regnat, nec ſui juris defenſio & reſtitutio ei in culpam poterit imputari, & ſi contrarietur Catholicus Rex, & ad jus provocet, quod armorum vi cœperit Luſitaniam, illud ipſum pro Rege Domino meo eſt, quod enim armis extorſit, hoc licet armis regnum repetere, & ſic inter ſeſe uterque jura & uterque arma revolvat.

Sed dato & nunquam conceſſo, quod Sereniſſimus Rex Portugalliæ aliquam injuſtitiam & hoſtilitatem committeret contra Catholicum Caſtellæ Regem, quæ culpa, quis dolus, quæ machinatio conſiderari poteſt in innocenti Principe Eduardo? Filius ipſe obligationibus Paternis, ſi non ſit hæres, exuitur; uxor mariti debitis, niſi per ſucceſſionis vincula, non tenetur; clamant Jure Conſulti, quod crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poſſit, nam unusquisque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur & alibi quod ſatius eſt impunitum relinquere facinus nocentis, quam innocentem damnare: Quomodo igitur innocens ex culpa alterius obligabitur? Anne fuit motionis Portugalliæ & fratris ſui particeps Eduardus? Reſpondet veritas, nullo modo. nam ſi ſciret & in ea, vel ſcientia, vel ope concurreret, juxta liberas Civitates erat, quo petere & ubi ſe recipere poterat,

Digitized by Google

rat, ſed nihil ſcivit, conſcius ipſe ſibi nihil timuit, & externa ſecuritas ſatis interiorem demonſtravit. Sed ulterius pergendo, permiſſa (& nunquam conceſſa) quacunque aliqua præſumptione, juxta quam cenſeretur, illi gratos fuiſſe Luſitaniæ motus, eis conſenſiſſe & voluiſſe ab Imperio exire; quod negatur, quid deinde ſequitur contra Imperium? Illi Princeps Eduardus non Caſtellæ inſerviebat, & ſecundum Regnorum diverſitates, Dominia & Poſſeſſiones, nihil Imperio & Germaniæ eſt commune cum Caſtella, nihil cum Portugallia. Unde quamvis etiam pro offenſis Imperii poſſit innocens detineri, nihil debet, ratione Imperii, Eduardus, nec Serenisſimus Rex Johannes frater ejus aliquod cum Imperio debitum contraxit, nec a Germania aliquid abſtulit. Si pacem Caſtellæ fregit, non fregit Germaniæ Pacem, & ſi adhuc e contrario illa antiquisſima accuſantium allegatio repetatur, quod omnis qui ſe Regem facit, contradicat Cæſari, non habet locum in utroque fratre, nec debet audiri, nec valere apud Sacram Catholicam & Cæſaream Majeſtatem. His & aliis Juris, æquitatis & rationis monumentis inſtructus ante Celſitudines, Illuſtritates & Dominationes Veſtras & ante ipſam Sacram & Cæſaream Majeſtatem præſentialiter adeſſe deſiderabam, ut juſtitiam ab omnibus humiliter implorarem, ſed jam non conceditur ire, & quæ mihi ſecuritas ſervabitur de jure gentium, ſi in Perſona tanti Principis frangitur? Quæ mihi ipſius ſervo libertas dabitur, ſi & ipſi Domino denegatur? Juſte igitur per has literas a Celſitudinibus, Illuſtritatibus & Do-

Digitized by Google

Dominationibus Veſtris, nomine Serenisſimi Portugalliæ Regis, Joannis IV. Domini mei, peto, ut Princeps Eduardus, ejus frater innocens, liberetur, & in priſtinam & debitam libertatem reſtituatur, & ad meliorem promotionem ejus effectus, innocentis Ducis & Principis juſtitia, Suæ Sac. Cæſ. Majeſtati a Congregatione Celſisſima proponatur, ut ſuis ipſius Legibus obligetur, & ſatisfactionem præbeat actioni, in quam omnes alii Reges & Principes proſpiciunt & mirantur, ita, ut in Cauſa Celſisſimi Ducis ac Principis Eduardi, juſtitiæ, non ſanguini deferatur, & non fiat, quod unde jus oritur oriantur injuriæ. Et ſic confido & ſpero firmisſime me aſſecuturum a tanta Congregatione, in qua generaliter omnibus & particulariter ſingulis Dominis congregatis, & gratulationem Regis Domini mei, & officia mea humiliter offero, præſtaturus. Holmiæ, 24. Julii, Anno Domini 1641.

Franciſcus de Souſa Coutinius.

CVIII.

Litera FERDINANDI III. Romanorum Imp. quibus FERDINANDO, Infanti Hiſpaniæ, Rom. Eccleſiæ Cardinali & Archiepiſcopo Toletano Salvos conductus pro Legatis ad Pacis negotium deputandis ratione locorum eſſe mutatos & mutandos nuntiat, 1641.

Ferdinandus Tertius &c.

CElare Reverendisſimam Paternitatem & Dilectionem Veſtram noluimus, quod cum Regina & Status Regni Sueciæ literis ſuis ad Electores, Principes & Status Imperii 27. Martii nuperi datis

tis iisdem significarint, desiderare Regem Galliæ ad Tractatus pacis secum & cum Regina ac Corona Sueciæ instituendos, in locum Civitatum Colonienſis ac Lubecæ vel Hamburgi (de quibus alias conventum fuerat) nunc ad Tractatus quidem Gallicos Monasterium Westphalorum, ad Suecicos vero Osnabrugam, civitates Episcopales denominari atque constitui, Dictorumque Electorum Legati ac cæteri Principes & Status, absentiumque Deputati in præsentibus Comitiis congregati ea super re Nos (quemadmodum Reverendisima Paternitas & Dilectio Vestra ex adjunctis exemplis videbit) interpellarint; Studio Pacis etiam in dicta loca, Monasterium & Osnabrugam consenserimus, jamque adeo Literas passus petito modo transcriptas Deputatis Nostris, ad Gallicos tractatus Coloniam transmiserimus, proinde ad Oratorem Venetum Parisiis residentem transmittendas, ab eodem ad manus Deputatorum, sive Deputandorum a Rege illo (receptis tamen prius similibus literis passus pro Nostris Plenipotentiariis ad eundem modum, in conventa forma expeditis, quas simul ad eosdem Plenipotentiarios Nostros transmittere debeat) consignandas, ne qua igitur ex parte Serenisimi Hispaniarum Regis Catholici, consobrini & Affinis Nostri charisimi, vel Reverendisimæ Paternitatis ac Dilectionis Vestræ sit mora, eidem hac de re hisce benevole significare voluimus, amanter requirentes, ut & ipsa salvos conductus desideratos ad eundem modum transcriptos similiter dicto Oratori Veneto quantocyus transmittat. Qui de cætero eidem Reverenden-

rendisſimæ Paternitati & Dilectioni Veſtræ affectum Conſobrini & Affinis amantisſimi benevole confirmantes, eidem omnia proſpera optamus. Ratisbonæ 6. Auguſti 1641.

CIX.

Literæ CHRISTIANI IV. Daniæ Regis ad CLAUDIUM DE MESMES, Ludovici XIII. Galliæ Regis, ad tractatus reſtaurandæ in Germania Pacis Legato, quibus ne pacis diutius negotium protrahatur, poſtulatis ipſius ab Imperatore ſatisfactum iri, verbo ſuo regio ſpondet, 1641.

Chriſtianus IV. Dei gratia Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum Gothorumque Rex &c.

SIngulari favore & gratia Noſtra præmiſſis, Illuſtris ac Generoſe, ſincere Nobis Dilecte. Relatum Nobis, ex quibus cauſis arbitramini, vobis non licere, quoad duo illa poſtulata, in Præliminaribus, hactenus tot annos tractatis, reſtantia, etiamnum in Reſolutione Cæſaris acquieſcere. Spes fuit non parva, cum ad manus Noſtras ea perveniret, nihil Vos amplius deſideraturos. Quia vero Veſtris mandatis ſtricte inhæretis, & ad finem horum præliminarium non properatis, antequam ſalvi conductus cum Titulo Tutricis & Regentis pro Sereniſſima Duciſſa Sabaudiæ traditi fuerint, ſimulque adſit a Rege Hiſpaniarum Plenipotentia, & ratihabitio eorum, quæ circa hæc Pacis univerſalis Præliminaria Hamburgi cum Legato Cæſareo concludentur. Cum Nos etiam ex literis Imperatoris intellexerimus, quam enixe ille cupiat, remoto omni obſtaculo, in cauſa Principali fieri initium, noſque ipſimet conſideraverimus, quam neceſſarium

Digitized by Google

rium universæ Christianitati sit, hoc ut quo citius fiat; Vobis expromittimus, prædictos Cæsarem Regemque Hispaniæ his vestris desideratis quantivis etiam momenti, locum daturos, & amore aureæ pacis & dolore tot calamitatum, quibus Imperium Romanum, totaque Christianitas est implicata, requisitioni Nostræ non defuturos. Contendimus itaque a Vobis benevole, velitis ultimam hisce Præliminaribus addere manum, & hinc inde traditis salvis conductibus, qui sunt ad manus, sine ulteriori mora de certo die determinando cum Legato Cæsareo convenire, Nos Vobis gratiam & benevolentiam iterum pollicemur. Dabantur in Castris Nostris Fulsbuteliæ, die 25. Novembr. An. 1641.

Christianus.

CX.

Responsoriæ Legati Gallici CLAUDII DE MESMES ad præcedentes REGIS DANIÆ Literas, 1641.

Serenissimo & Potentissimo Principi, Christiano quarto, Daniæ, Norwegiæ, Gothorum, Vandalorumque Regi.

Serenissime ac Potentissime Rex.

IN verbo Vestro laxavi rete, & quamvis nec literæ Salvorum Conductuum nec alia adessent, quemadmodum oportuit antequam Conventui de pace universali dies præfiniretur; tamen in tractatum non invitus consensi, quem nunc ad Majestatem Vestram belligerantium Principum Legati mittimus. Valuit apud me securitas Regiæ expromissionis, ut præter ordinem usumque rerum gerendo-

rendarum & præter ipſa mandata eouſque progredi auderem, arbitratus contra Jurisperitorum Regulas hac vice ineſſe cautionis tantum in perſona, quantum in re, quod is fidem interpoſuerit ſuam, qui & Rex eſt & arbiter publicæ concordiæ, & armatus; ſpero equidem fore, ut tantam autoritatem ſecutis, nemo nobis impune & afflicti Orbis expectationi illuſerit: nec dubito, quin Reges ac Principes Chriſtiani conſiderate religioſeque habituri ſint judicium ejus, qui inter ipſos & ætate eſt primus, & longo regnandi uſu coalitam prudentiam, vel his maxime difficillimis temporibus exerit. Saltem id certo ſpondere poſſum Majeſtati Veſtræ, Chriſtianiſſimum Regem una cum belli Sociis ac fœderatis impleturum abunde, quicquid ſuarum eſſe partium ex præſenti Tractatu intelliget & gratiſſimo quoque animo (non ſegnius ac cæteri omnes, qui communibus miſeriis finem impoſitum vere cupiunt) æſtimaturum labores, officia, ſtudiumque incomparabile, quo Majeſtas Veſtra promovere negotium Pacis & Reipublicæ Chriſtianæ priſtinam conficere tranquillitatem, conſilio præclaro, illuſtrique conatu, tot jam annos perſeverat. In re tam ardua, ſi nec opera mea inutilis fuit, eamque Regiæ Veſtræ Majeſtati probare potui, equidem me ſummam habere votorum meorum libens profitebor, qui ſum jam pridem

Serenisſimæ Majeſtatis Veſtræ

Hamburgi prima Januar. 1642.

Humillimus & Obſervantiſſimus Servitor

Claudius de Meſmes.

CXI. *Li-*

Digitized by Google

CXI.

Literæ FERDINANDI III. Rom. Imperatoris, ad CHRISTIANUM IV. Daniæ Regem, quibus eum, quo ultimam manum inchoando pacis in Germania reſtabiliendæ negotio imponere, illudque omni ſtudio promovere haud gravetur, amice compellat, 1642.

Ferdinandus Tertius &c. Sereniſſimo Daniæ Regi &c.

UTrasque Dilectionis Veſtræ 19. Novembris & 24. Decembris Anni proxime elapſi datas literas recte accepimus, atque ex iisdem pariter atque ex appoſitis ſcripturis liquidius intellexĭmus, quantum ac quousque in compoſitione Præliminarium ad inſtantem Congreſſum univerſalem adhibita, quoad Gallicos ſimul ac Svecicos Hamburgi commorantes Miniſtros Dilectionis Veſtræ operatio profecerit; Imprimis vero quemadmodum apud Nos Titulum Tutricis ac Regentis pro Duciſſa Sabaudiæ ſe obtenturam, Legato Gallicano, quaſi in anteceſſum expromittere ſit coacta; Nos proinde amanter atque enixe requirendo, ne datam in hac expromiſſione ſuam fidem deſtitui, ſimulque præſentis aperturæ occaſionem denuo elabi, negotiumque hoc in caſſum ac nihilum recidere patiamur. Tametſi igitur neutiquam dubitemus, quin Noſter tum Hamburgi commorans conſiliarius Imperialis Aulicus Conradus a Lutzow, juxta præſcriptum ac tenorem Cæſarei Noſtri ad ipſum 19. Decembris expediti mandati, ad Dilectionem Veſtram pluribus retulerit, quibus & quam

Digitized by Google

gravibus ducti rationibus petitum Titulum Ducissæ Sabaudiæ hactenus censuerimus denegandum & Dilectio Vestra quoque intellexit, hocce ad Tractatus Principales, non vero ad præliminaria spectans, negotium, non esse idoneam neque sufficientem causam, cur Franciæ Rex a congressu illo sese potuerit aut debuerit abstinere; tum Dilectioni Vestræ satis notum est, quot & quam diversis adversæ partis petitionibus jam ante detulerimus, neque tamen ille ab omnibus desideratus congressus, post tot tantasque a summæ autoritatis interpositoribus factas sinceraciones, a parte adversa ad optatum fuerit promotus effectum. Utut autem sit, amicam atque enixam Dilectionis Vestræ requisitionem benevole accipimus, imprimis vero in facta expromissione, vel hoc consideramus, quod Dilectio Vestra petitum salvum Conductum eum in modum desideret, ut ambobus Sabaudiæ Principibus, ratione tutelæ, a Nobis ipsis commissæ, neutiquam fraudi præjudiciove sit. Ac proinde Nos erga Dilectionem Vestram ita declaramus, quod dictum salvum Conductum pro Ducissa Sabaudiæ, eo plane modo, quo Dilectio Vestra postulavit, sub die hodierna (Tit.) Comiti ab Auersberg transmittamus, Illique simul clementer præcipiamus, ut eundem tam diu penes se retineat, neque antea extradat, donec omnia in præliminaribus sint transacta & composita, & universum negotium a sola extraditione hujus salvi Conductus pendeat; Verum tamen excipimus & reservamus Nobis hic expresse, quod quando tandem ad realem extraditionem fuerit perventum,

quod

quod hujus Tituli in his duntaxat ſalvis conductibus facta conceſſione prædictis Sabaudiæ Principibus, in juribus ipſorum realique poſſeſſione concreditæ per Nos ipſis, & de jure commiſſæ tutelæ, ne vel minimum quidem præjudicium creari, ſed ad almam ſaltem pacem provehendam, liberandamque Dilectionis Veſtræ hac in parte datam Regiam fidem, hac tantum vice conceſſum intelligi velimus. Ad reliqua omnia, quæ a Conſiliario Noſtro Imperiali Aulico, mediante Dilectionis Veſtræ Conſiliario, Domino Langermann, cum Svecicis Gallicanisque Miniſtris acta ſunt, & partim ex Noſtræ, partim etiam ex aliorum Intereſſatorum ratificatione atque ulteriori reſolutione pendent, quod attinet, exinde ſingulari cum grati animi affectu agnoſcimus indefeſſum & conſtans Dilectionis Veſtræ ſtudium, quod hactenus promovendo Congreſſui illi ſedulo atque indeſinenter impendit. Id Dilectioni Veſtræ merito ſempiternam Nominis ſui gloriam conciliabit. Et licet neque dum (quod Nobis quidem liqueat) ulla iſtiusmodi legitimatio ad tractandum cum Cæſareis Noſtris Miniſtris a Gallicis legatis fuerit exhibita, atque ipſemet faſſus ſit, id, quod hac vice, hac in re actum eſt, absque mandato actum eſſe, nihilominus tam pro Noſtra, quam Sereniſſimi Hiſpaniarum Regis parte inprimis in duarum ad dictos Tractatus Urbium Monaſterii nimirum & Osnabrugæ electione conquieſcimus; nec ſecius acceptamus ac conſentimus, ut ſtatim, poſt traditos hinc inde ſalvos conductus, præſidia moderna, quæ Civitatis diſciplinæ non ſunt obnoxia, educantur, & quam

Digitized by Google

diu hi Tractatus in una alteraque urbe duraverint, tam diu earundem cuſtodia ac defenſio Ipſismet Civibus atque Incolis concredatur. Volumus etiam, ut Civitas Osnabrugenſis, durantibus hiſce Tractatibus, Privilegiis ſuis gaudeat, in eorumque fruitione manuteneatur ac conſervetur, nec Magiſtratus in præſenti Eccleſiarum quam Scholarum dictæ Civitatis conſtitutione, ulla ratione perturbetur. Demum etiam, licet ſalvi conductus Noſtri Cæſarei, tam loco ad Tractatus aſſignato, quam etiam perſonis, quibus ii ſunt conceſſi, omnem ſufficientem præſtent ſecuritatem; Ex ſupra abundanti tamen chariſſimi fratris Noſtri Dilectioni & omnibus ab ipſius ductu militantibus gratioſe ordinatum volumus, quemadmodum ſub Dato hodierno ordinamus atque inhibemus, ne durantibus hiſce tractatibus, adverſus Civitatem Osnabrugenſem & Petrusbrugenſem, poſtquam Noſtri & Interpoſitorum & aliorum Regum ac Principum Legati, Osnabrugam intraverint, quicquam infeſtum aut hoſtile, conſilio aut facto (quocunque tandem nomine id vocari poſſit) ſuſcipere aut attentare auſint. Idem Dilectioni Veſtræ tam de Sereniſſimi Hiſpaniæ Regis Catholici armis (quoad hoſtes quoque ipſius id veniant quæſitum) quam duorum Bavariæ & Saxoniæ Electorum concreditis Imperialibus copiis promittimus & aſſeveramus certo confiſi, partem quoque adverſam viciſſim ſimiliter ſtipulaturam, neque Dilectionem Veſtram hoc nomine idoneam ab ipſis fidem & ſufficientem ſecuritatem accipere recuſaturam, ſibique neceſſaria ad hoc mandata militaria ad manus ſuas tradenda curaturam,

Digitized by Google

turam, quemadmodum Nos Noſtra talem in eventum Dilectioni Veſtræ transmittenda, trà dendaque curare non detrectamus. Et cum jam de omnibus, quæ ad promovendam neceſſariam hinc inde correſpondentiam & reciprocam literarum transmiſſionem, curſorum & nuntiorum expeditionem, & cætera hiſce annexa pertinent, jam in accordatis ex utraque parte ſalvis conductibus optime proviſum ſit, in eo ſubentes penitus conquieſcimus, certa freti ſpe, ut quemadmodum ex hac parte fiet; ita etiam ex altera, quicquid ita factum conventumque eſt, rite adimpleatur. Quod ſi vero præter omnem ſpem atque expectationem Congreſſus & Tractatus iſti absque concluſa deſideratiſſima Pace diſſolvantur, volumus nihilominus, ut intra ſex hebdomadas contra Osnabrugam & Petresburgum nihil hoſtile attentetur, vel Svecica Corona impediatur, quo minus Præſidium ſuum denuo illuc introducat, dummodo idem reſpectu Civitatis Monaſterienſis obſervetur. Ad diem quod attinet, quo cum reciproca ſalvatorum conductuum extraditio fieri, tum congreſſus ille univerſalis initium ſuum reipſa ſumere debeat, Nobis & Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi Catholico etiamnum eo erit gratius, quo maturius & is conſtituetur, & congreſſus ille realem ſuum ſortietur effectum, & jam pridem Noſtris ad hoc Deputatis Plenipotentiariis, ut in procinctu ſint, benigne injunximus, præſtolabundi, quod & Gallicus Hamburgi commorans Miniſter petitos ex Noſtra parte ſalvos conductus in debita forma tandem ad manus Dilectionis Veſtræ traditurus ſit, prout etiam præfato Legato No-

ſtro Comiti ab Aursberg idonea dedimus mandata, quo tractatibus hiſce inchoandis præfixus dies ſalvis conductibus inſeratur, adeoque Cæſarei Noſtri ſalvi conductus perfecti & abſoluti Dilectioni Veſtræ tradantur, quin etiam, ut loco fratrum Palatinorum, Ducum Brunsvicenſium cognatorum ac Fratrum, & Landgraviæ Haſiæ Caſſelenſis Domus Palatina, Brunsvicenſis & Luneburgenſis, uti & Haſiæ Caſſelenſis in ſalvis conductibus perſcribatur, ſimiliter conſenſimus, atque ita de integro expeditos ſalvos conductus ſæpe dicto Noſtro Comiti ab Aursberg transmiſimus. Super unico duntaxat loco, qui inter Monaſterium & Osnabrugam ad promovendos Tractatus, neceſſariaque inter Legatos inſtituenda colloquia & conferentias opportunus, & omnibus partibus gratus eſſe poſſit, declaramus Nos ac reſolvimus, quod quicquid per Noſtros Cæſareos atque alios Regios Monaſterii & Osnabrugæ tum futuros Legatos, ea ſuper re determinabitur, id ratum firmumque erit, prout ad Tractationem illam Legatus Noſter ſatis comparebit inſtructus. Quoad illud autem, quod inter Conſiliarium Noſtrum Imperialem Aulicum & Gallicos Svecicosque Miniſtros agitatum eſt, ut nimirum, ad lucrandum tempus omnia, quæ in hoc congreſſu univerſali reciproce extradere neceſſum eſt, Hamburgum deferri atque ibi per Dilectionis Veſtræ Deputatos eorundem extraditio fieri debeat, Nos quidem jam olim omnes eos ſalvos conductus, quos Noſtris ad Colonienſes Tractatus deputatis Legatis transmiſeramus, Noſtro itidem Hamburgi commoranti Conſiliario Imperiali Aulico

Digitized by Google

lico eum in finem transmiſimus (quemadmodum Eosdem ibi in Prototypis reperire eſt) ſi res ita poſtularit, etiam illic extraderentur, ſed illos tamen ſub dato etiam hodierno Legato Noſtro Cæſareo denuo mittimus, & adhibebitur debitis locis curatio neceſſaria, ut ii Salvi Conductus, qui a Sereniſſimo Cardinali Infante Hiſpaniæ, felicis recordationis, Oratori Veneto Lutetiam transmiſi, in ejusdem adhuc verſantur manibus, Hamburgum quoque remittantur. Ad Serenisſimum etiam Hiſpaniæ Regem ſuper confirmatione omnium a prædicto Serenisſimo Cardinali Infante datorum Salvorum Conductuum, primo quoque tempore ſcribemus, nihilominus verentes, quod ne propterea, donec inde veniat reſponſum, dicti Tractatus non inchoentur. Quicquid vero in illa inter Conſilianium Noſtrum Imperialem Aulicum & Svecicos Gallicosque Miniſtros agitata & concluſa, ac benignam ratificationem a Dilectione Veſtra Nobis transmiſſa transactione ſupremæ Noſtræ & Sacri Imperii Autoritati repugnans comprehenditur, huic neutiquam aſſentimur, neque approbamus. Dilectionem Veſtram amice ac ſtudioſe requirentes, ut juxta hanc Noſtram Declarationem, partem quoque adverſam eo velit diſponere ac permovere, quo & ipſa congreſſum hunc ſincere absque ulla fraude & captione ſuſcipiat inchoandum ac promovendum, quem in finem ſæpe dicto Legato noſtro Comiti ab Auersberg benigne mandavimus, ut ſi ita Dilectioni Veſtræ placitum fuerit, Ejusdem Deputatis ulteriorem ſuper omnibus broponat explanationem, conjunctaque obera ac ſtu-

dio eo incumbant, ut ab omnibus optatæ illius Pacis transactioni exordium reipsa ponatur. Insuper Dilectioni Vestræ pro felicis & pacati anni precatione condignas merito agimus gratias vovemusque vicissim, ut Dilectionis Vestræ laudanda sollicitudo ac cura desideratum ab eadem atque aliis omnibus scopum consequatur, atque ipsa una Nobiscum Sacri Romani Imperii, Patriæ Nostræ charissimæ, tum Regnorum ac Provinciarum suarum, atque universæ Reipublicæ Christianæ constituta Pace, adeoque impensæ suæ laudabilis operæ fructu, in plurimos consequentes annos prolixissime gaudeat. De cætero Eidem Dilectioni Vestræ constantem sinceræ benevolentiæ & amicitiæ affectum cumulate offerentes. Viennæ 1. Februarii 1642.

CXII.

Literæ CLAUDII DE MESMES, Ludovici XIII. Galliæ Regis, ad Præliminaria Pacis in Germaniam reducendæ pertractanda Plenipotentiarii, ad CHRISTIANUM IV. Daniæ Regem, cui artes ac dolos a Ministris Cæsareis in protracto per quinquennium componendorum Pacis Præliminarium negotio adhibitos candide exponit, seque proxime e Germania discessurum nuntiat, 1642.

Serenissime ac Potentissime Rex.

CUm assiduam Majestatis Vestræ pro publica salute contentionem & continuatos hactenus labores exceperit silentium, ex quo Viennenses ac Ipsam literæ super tractatu Præliminarium perveneruni,

Digitized by Google

nerunt, ſatis ex iſta intermiſſione liquere potuit, Auſtriacos Majeſtati Veſtræ non approbaſſe ſuas tricas, qui prolixo ſcripto in omnes ſe partes verſant, ut pactionis illius, veſtræque adeo Majeſtatis auctoritatem detrectent. At vero Chriſtianiſſimus Rex, ne & ipſe ſilendo, aut æquiſſimæ cauſæ defuiſſe, aut quod adverſa pars publicæ tranquillitati intervenerit, non ægre admodum tuliſſe videretur, per me animi dolorem ſui, & conſtans pacis, licet adhuc fugientis ſtudium Majeſtati Veſtræ teſtatum voluit. Id ſane non modo pientiſſimum Regem, ſed omnes bonos Chriſtiani Orbis Principes male habet, quod tot votis expetitum, tot conſiliis & tractationibus præparatum de pace colloquium (cum Galliæ Sveciæque placitum Regiæ ratihabitiones docuerint) ſola Domus Auſtriacæ declinatione eludatur. Nos quidem, Serenisſime Domine, miris modis antehac deluſi Regnorum fœderatorum Legati, ſenſimus hoſtium artes diximusque palam (ubi illi ad concordiam propendere viſi ſunt) aliud nimirum agi, aliud ſimulari. Licebit mihi appellare memoriam Majeſtatis Veſtræ, atque ut puto pudentius, quam qui ejusdem judicium rejiciunt. Novit illa quantis flexibus negotium hoc impeditiſſimum fecerint, in id unum ſedulo intenti, ut fœderatos diducerent. Procancellarium Imperii Curtium olim huc miſerunt, qui Nos concluſioni propiores cum animadverteret, ſtatim diſceſſit, nec cur id faceret, ullam rationem reddidit. Curtio Lutzovium, Lutzovio Auersbergium ſubſtituerunt. Sed mutatis Perſonis eadem ſemper fabula: Proviſum duntaxat volentes, ne

Digitized by Google

per varias manus erranti negotio novamque ſubinde formam induenti, certus aliquis modus finisve imponi poſſit. Neque in hac ſuorum ſubrogatione quievere, quin etiam (ut pergerent turbare) ipſis utique, quos ſemel probaverant diſceptandæ cauſæ arbitris non ſteterunt, & novos nunc e Domo Brunſvicenſi, nunc e Lauenburgica Mediatores, indecora Veſtræ Majeſtatis præteritione, non ſemel adſciverunt. Sane excuſari verecundia eorum poſſet, quibus forſan Religio fuit, Regium nomen tot obtendere ludibriis, niſi & ipſo demum in hac poſtrema tractatione parum honeſte uſi eſſent, dum cujus autoritate, ſententia, ſapientia perfectum fuerat, ut jam pateret omnibus ad concordiam via, id apud ipſam Majeſtatem Veſtram & improbant, & improbandi cauſas non adferunt. Quam decenter utrumque, Ipſi viderint, Ego rem ut ſe habet recenſebo ordine. Annus eſt, ex quo Veſtram apud Majeſtatem, cum per Literas, tum per Legatos non modo animum pacis cupidiſſimum præ ſe tulerunt; verum etiam quotidie ab ea flagitabant, ut initium Conventus, quantum fieri poſſet ociſſime, ipſa conſtitueret; paſſim per Germaniam concitantes ſiniſtram de Regnis opinionem, & multa de ceſſatione Gallorum Svecorumque conqueſti. Quis adeo impatientibus votis non crederet? Igitur Majeſtas Veſtra utriuſque partis Miniſtros urgere, ſua Nos adhortatione & autoritate impellere, in eundem denique locum rem deducere cœpit, ut ſpes futuri congreſſus magna tum demum affulſerit. Sed eam indies labefactabant Auſtriaci, Salvos conductus, quos exhi-

exhiberent, ex multis saltem aliquos habebant, nec sine vitio: Regnorum vero nullus deerat, neque in formula eorum quicquam desiderabatur, nam & petitum ab adversa parte titulum Christianissimus Rex studio Pacis addi salvis conductibus jusserat, quos Majestati Vestræ legendos exscribendosque permisi. Unde manifesto constitit non retrogradi Gallos neque diverticula quærere, quin potius quacunque possunt compendiosiori via properare ad pacem. Deerat quoque a Rege Hispaniæ Legatus aut saltem procuratorium mandatum: imo pro illorum morositate satis mihi facturos profitebar, si vel autore Cardinali infante Luzovius negotium cum Hispanis commune susciperet. Sed nihil horum; perdidimus operam, ego Hamburgi, Madriti vero & Bruxellis Oratores Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, quibus spes expediendi illius mandati injecta est centies. Idem affirmarunt Michaelis Salamancæ Literæ, ad ejusdem Reipublicæ in Aula Christianissima Legatum, non ita pridem datæ. Quid autem mirum, si tam lubricos tamque elabendi certos constringere non potuimus? Nonne Ipsa Majestas Vestra exeunte Novembri scripsit, se sperare futurum, ne Plenipotentia Hispanica contumacius protraheretur? At necdum adest, Serenissime Rex, & cum his moribus videri ambiunt Pacis amantissimi, quæ quomodo cohæreant, nemo non sentit. Defectum tantum cæterosque non paucos Lutzovius expleri posse ratus, proposuit sponsionem Majestati Vestræ, mihique (fatendum est enim) propter rei insolentiam nonnihil nutanti fecit convitia,

vitia, ubique dictitans, rationem iniri mecum nullam posse, quando tam commoda non uterer. Scilicet ille, si Deo placet, impiger, & illius Principales de concludendo negotio valde solliciti, qui sub exitum diuturnæ tractationis, toties, quid requireretur, admoniti, egebant adhuc fidejussore; Ego lentus, & Galli publicæ tranquillitatis osores, quibus omnia erant in numerato. Nihilominus ne possent adversarii vel minimam suis tergiversationibus speciem Juris induere, accepi conditionem paratus de Præliminaribus paciſci, modo Majestati Vestræ (quod pollicebantur) præstarent eventum. Inexpectatus ut apparuit Consensus & liberale responsum nulli omnino usui fuit: qui rem confectam paulo ante, & jamjam secuturos Congressus magno promiserant hiatu, elingues facti sunt, & deferbuit ille ad pacem tantopere simulatus ardor. Sed nolim propterea grandem iis dicam scribere, nisi quatenus obliquando rursum, & perplexa, ut solent, faciendo omnia, sponsorem Regem paulo confidentius liti obtulerant: siquidem id in se recipere Majestas Vestra, quo pollet magnarum rerum usu, inconsultum duxit, non sibi satis constare professa de mente consiliisque contrariæ partis. Tum illi (ut suis se artibus involverent) invidiam in omnes promiscue derivare, nemini parcere, & quo sanctam pacis impatientiam melius venditarent, in ipsis quoque Mediatoribus diligentiam requirere sunt anniſi. Magnum quid loquar, at verum tamen: Certe hic, Rex Serenissime, crebrius nihil jactabatur ab eorum sequacibus, quam processurum expedite negotium,

si ab

ſi ab alio Interprete vel etiam nullo adminiſtraretur. Nempe extremum hoc deerat oſtentationis genus, ut tale quidpiam dicere auderent. Nos interim ſociorum Regnorum Miniſtri ipſis jam haud diffitentibus adverſariis, extra omnem culpæ adſinitatem poſiti, ſi non ſpe optatæ pacis, & promoti per Nos, quacunque licuit optimi operis, & Noſtra & omnium conſcientia fruebamur. Ibi diu res hæſit, donec Lutzovius acceptis tandem ab Aula Viennenſi mandatis, ut ipſe prædicabat, ampliſſimis, novæ tractationi locum invenit. In eam Nos ſtatim ductu Majeſtatis Veſtræ ingreſſi ſumus, & pro innata ſperantibus credulitate, dum varia hinc inde agitantur, menſem Nobis unum fruſtra exiiſſe vix ſenſimus. Cum vero propius conferre pacem cœpiſſemus, jamque in eo eſſemus, ut definiretur aliquid certi, Lutzovius omnes ſibi cunctandi vias occluſas cernens, inſalutatis Nobis derepente hinc ſeſe proripuit, dignus Curtio hac in parte ſucceſſor, deſideratusque eſt totas ſex hebdomadas. Interea de pacificatione vox nulla, quam quæ Goslariæ, ut quondam Pragæ, ſeorſim cudebatur, circumveniendis fœderatis belloque redintegrando accommodata. Nec defuere qui ſeceſſionem cum tractatione connecterent, eandemque eſſe rationem utriusque affirmarent, ne, ſi generalis pax imminere videretur, in ea videlicet mallent Celſiſſimi Duces Brunſuico-Luneburgenſes, utpote dignius tutiusque, res ſuas ſeorſim agi, putantes. Utut ſit, aberat quo cum tractaremus. Vix reverſus cœpit in Nos ſuo more invehi, non ſecus, ac ſi ipſe hic permanſiſſet, nos evaſiſſemus.

Sed

Sed ubi tertio reſtituta eſt res; tertio ille vel caruit, vel carere ſe finxit petitis dudum literis ſalvi Conductus, famoſaque illa Plenipotentia Hiſpaniæ. Moram idcirco deprecatus Viennam ſe ſcripturum recepit. Quid faceremus? expectavimus crebro jam uſu duratis ad hujusmodi patientiam animis. Longo exinde intervallo protulit ſui Domini mandata, quæ in antigrapho Majeſtatem Veſtram penes ſe aſſervari proinde juſſit, & hæc illum ſiſtendi ſe Nobis pro Hiſpano quoque capacem faciebant. Exhibuit & ſalvos Conductus fere omnes (nam juvat aliqua ſemper ex parte retinere arbitrium rei.) Tum autem Majeſtati Veſtræ viſum eſt Regiam expromiſſionem accommodare negotio, & de ratihabitione tractatus, qui circa præparatoria pacis univerſalis cum Legato Lutzovio iniretur, cavere. Poteram equidem jure optimo ſuſpenſam habere tantiſper concluſionem, dum aut Regis Catholici, aut certe Fratris conſenſus tamdiu promiſſus ederetur: poteram graves ſuſpicionis cauſas opponere, quod nimirum anni unius ſpatio tam expeditum fuerat Auſtriacis (modo Pax cordi eſſet) ipſa inſtrumenta Salvorum Conductuum, & Plenipotentiæ Hiſpanicæ, quam eorum pollicitationem huc transmittere: Id eo feciſſem juſtius, quo ſciebam tunc temporis eodem artificio fruſtra haberi Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Legatum, qui poſt annum & quod excurrit, variis modis locisque circumductus, ne multi laboris fructum pro Majeſtatis Veſtræ Nepotibus ullum ferret, neve ad ullum rediret. Aliis forte conſiliis rem acturi, ſuſceperant Viennæ par-

Digitized by Google

partes Hiſpanicas; ac ſi præſenti ibi jam pridem Hiſpanico Oratori poteſtas tractandi nulla nec eſſet, nec eſſe aliquando poſſet: Ac ſi ille non qua Legatus tantum, ſed qua Hiſpanus Regis ſui voluntatem minus exploratam haberet, quam Germani, quibusque ab eodem Rege nec negotium in hac cauſa datum eſt, nec judicium. Quid? quod dicere veritus non erat, ſe habere quidem hujus generis Plenipotentiam ſuis permixtam chartis, ſed quo pertineret, non ſatis meminiſſe. Adeo ſibi placent Auſtriaci, dum ejusmodi ambages conſuunt, quibus totum orbem ludificant. Hæc me exempla, Sereniſſime Domine, totque anteriores cauſæ, dubiam eſſe Imperalium fidem, præſertim vero in rebus Hiſpanicis, & minime ſequendam monebant. Acceſſione tamen Veſtræ Majeſtatis firmatus oſtendere volui, quam liberaliter quamque libenter in tam illuſtri Expromiſſore conquieſceremus. Quod itaque felix fauſtumque foret, veſtris auſpiciis rem abſolvimus: habendis conſiliis ſelecta ſunt loca, & inchoandis dicta eſt dies, cautum denique, qui Salvi Conductus, quave forma hinc inde prius commutandi eſſent. Quodnam quæſo, in iſtis omnibus abominabile illud eſt, quod tantopere averſantur Auſtriaci, aut quid ſuccenſere Conventioni tam innocenti queunt? Ecce illam tamen irritam faciunt, quodque omnes Regio Majeſtatis Veſtræ Conſilio divino geſtum ferebant, id datis ad eandem confidentiſſime Literis ſubvertere, & tantum non exprobrare haud dubitant. At Legato Gallico defuit Plenipotentia, nam ita ſcribunt, & ipſemet faſſus eſt, ſe abs-

Digitized by Google

absque mandato conveniſſe. Aſt illos potius defecit conſilium, qui ad has nugas confugiunt, cum ego & eorum & Majeſtatis Veſtræ Miniſtris ſæpius ediderim factam mihi a Chriſtianiſſimo Rege poteſtatem de Præliminaribus deque ipſa Pace tranſigendi, quemadmodum Regia ipſius Ratificatio, quæ poſtea ſecuta eſt, id abunde demonſtrat & locum dubitationi nullum relinquit. At faſſus ſum me absque mandato conveniſſe; imo vero plane non diffiteor. Innuere volunt datas a me Veſtram ad Majeſtatem literas, quibus peracta omnia cum ſignificarem, inſerui forte, me præter uſum rerum gerendarum ac præter ipſa mandata dixiſſe diem Congreſſui ante acceptos ſalvos Conductus. Nec igitur pepigi absque mandato, & circa unam duntaxat Tractatus particulam ſcripſi, extra Mandatum, Regio Mediatori, eoque tempore, quo omnis jam merito ceſſabat tractatio, me illius reverentia fines mandati nonnihil tranſiliiſſe, ne tam ſancto operi ullum per me accideret impedimentum. Quod ſi ex tali Epiſtola, non ex ſolenni tractatu pactisque conventis jus petendum eſt, cur tacent quod ibidem ſubjunxi, atque etiam conceptis verbis ſpopondi, Regem Chriſtianiſſimum impleturum abunde (ut & fecit) quicquid ſuarum eſſe partium ex præfata Conventione intelligeret? Rem miram iſti pacifici mihi vitio vertunt, quod promoverim pacem, & poteſtatem defectus non cauſatus uberem illis materiem eripuerim cum deteſtandi noſtras moras jactandique multa magnifice de ſtudio ſuo, tum citra invidiam, quod præcipue optaſſent, a pacis

Digitized by Google

cis consiliis discedendi. Sed ne verbosæ eorum Epistolæ responsurus, eandem ipse prolixitatem cum Majestatis Vestræ tædio usurpare cogar, attexui ad singula illius capita, quod adstruendæ & tutandæ veritati necessarium fuit, atque ita recognitam hisce annecto. Si Vestræ Majestati quid temporis vacui comites Regum curæ concesserint, non pigebit Eam, ut arbitror, in rei hujus causas & momenta penitius inquirere, & si non Nostris, at publicæ quietis hostibus indignari. Nec ipsos haud dubie Electores Principesque Imperii tantus Austriacorum amor, aut tantum tenet avitæ libertatis fastidium (quam deinceps Germania suorum exulum numero censere potest) ut non etiam aperire oculos, non dispicere velint, per utrum stet, quo minus discedatur ab armis. Repetant saltem memoria, quam diffidenter secum sit actum, quamque perplexe communicatum fuerit hoc negotium pacis. Nuper enim Ratisbonæ, dum anxii postulant edoceri, quo res essent loco, quodve Hamburgi cum Legatis Gallico Suecicove tractasset Procancellarius Curtius, plena illis & liquida facta enarratio sæpe promissa est, nunquam tamen secuta. Ita ut ne Imperii quidem Ordinibus ad eum præcipue finem convocatis & de ineunda pace deliberantibus, status causæ unquam vere innotuerit. Quæ loquor plana sunt. Interfuerunt iisdem Comitiis & a Majestate Vestra Delegati, neque quisquam ibi fuit, qui non moleste ferret, iis literis, quas ad Socios Reges scripserunt, non nisi generalia quædam & indefinita contineri, quæ maturando tractatui minus idonea vi-

debantur. Tali apud amicos quoque dissimulatione Austriacis uti visum est, ne si totum negotium permitterent judicio eorum, quos ad concordiam proclives esse constabat, ipsi fortassis impellerentur, quo pervenire nolebant. Nempe fuit honestius largitionibus multis & iniquissimis Legibus, pagorumque ad ipsius Austriæ fines ducentorum deditione ac servitute pacem Ottomannicam redimere, quam Germanicæ operam dare. Nisi fortasse leve est denegasse amico & venerando nomini Majestatis Vestræ id, quod ab ipsis eodem omnino tempore Osman Aga, Mehemet Effendi, Trinar Tefftedar, & Mustapha Alai ultro delatum acceperunt. Nam qui annus & mensis nobilitari debuit exordio fœderis per totam Christianitatem sanciendi, is novissime inito inter Austriacos Turcasque fœderi inscriptus est. Ad cuncta hæc quasi per se non satis gravia & omnibus bonis exosa ut aliquis veluti cumulus accederet, placuit adversariis denuo experiri, qua fraude commodissima possent, Suecos a fœderis societate divellere, ibi demum sui copiam facturi, ubi semotis arbitris clam & precario pacem ita cauponentur, ut pax non sit. Comes Aversbergius cum apud Dominum Salvium per emissarios aliquot ejus rei periculum frustra feciſſet, multis subinde precibus ab ipso Majestatis Vestræ non hos in usus Deputato, Domino Langermanno, ægre impetravit, ut per eum quoque certior fieret, idem Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Legatus, se brevi instructum fore mandatis & Plenipotentia, unde Regnum illud, modo res tantum suas agat, plus quam abunde sibi satis-

ſatisfactum ſentiret. Nil moratur tam ſtrenuos corruptores: & tunc & ſæpe ante repulſam paſſi, Lutzovium audenter ſubmittunt, qui ſpecie honeſtatis, tamquam valedicturus Suecico Legato & acceptum Illi laturo commeatum, quem pro Itineris ſui ſecuritate a Campiductore Torſtenſohnio petierat, prima quidem hæc officii verba præfatus, cœpit de Tractatu Præliminarium & declaratoriis ſui Domini literis dicere, quas Ratificationis loco haberi volebat. Sed graviſſimas rationes opponentem Suecicum Legatum & multa adhuc parantem interpellavit alter (quippe qui de his ſermonem non inſtituerat, niſi tranſitum ſibi facturus ad alia) ſumpſitque inde occaſionem reſpondendi: Etiamſi ratihabitus fuiſſet tractatus, non tamen inveniri exitum potuiſſe tam arduo & multiformi negotio pacis univerſalis, conſultius futurum, multoque magis e re Suecorum, ſi ſoli tranſigant. Et hoc quidem argumentum ab utili copioſe tractavit, oſtenditque illis omnia Regna mundi & gloriam eorum, ſi fidei ſervantes, hoc eſt, Sueci eſſe deſierint. Ni faciant, fore, ut bellis implicentur æternis, quia nec Gallia magno tractandi deſiderio flagret (jam horruit dicere nullo) nec, cui pacis generalitati conſentire videtur, illius aſſequendæ ratio reperiri ulla unquam poſſit. Plura in eandem ſententiam importunus Orator congerebat, fatiſcente jam dudum auditore, qui tentatos toties ad faſtidium dolos, tandem quoque riſu proſecutus eſt; velut apud merces obſoletas ſolemus, quæ ſæpius venales, ubi vitium transparuit, quodcunque etiam pretium ſtatuatur, nemini tamen obtrudi

poſſunt. Ex his Auſtriacorum, quantumlibet irritis conatibus patet evidentiſſime, contra quod profeſſi ſunt, nihil eos minus in animo habere, quam Monaſterienſem & Oſnabrugenſem Congreſſum, & ſuarum utique artium fiducia Tractatus ſingulares, bello acrius perſequendo aptiſſimos, uno Verbo, Pragenſes etiamnum moliri, conjunctos præfracte repudiare, quantacunque cum ſuæ exiſtimationis jactura & mundi laborantis calamitate judicent alii. Nemini contra non perſpectum eſt, quæ ad accelerandos conventus conferre potuerint, eorum nihil a Chriſtianiſſimo Rege prætermiſſum, ipſum ſtudio Pacis ea tribuiſſe, quibus alias nullo reſpectu ceſſurus fuiſſet, denique Pactionem Præliminarium non cunctanter, idque rebus ſuis ad votum fluentibus, confirmaſſe. Et profecto nihil ſe per hoc bellum malle, quam ut publica repræſentetur tranquillitas, vel hoc ipſo luculenter docuit, quod ab inſtauratis cum Regno Sueciæ productisque ad belli exitum fœderibus ſtatim aſſenſu firmavit ſuo, quæcunque communi utrinque Delegatorum ſententia Regioque imprimis Majeſtatis Veſtræ interventu in negotio pacis acta hic & conſtituta fuerunt. Cæterum paris animi indicium in gente Auſtriaca, cum ne ullum quidem hactenus prodierit, quin & noviſſimum hunc tractatum violarit, ſine Religione rem ad otium deduci patiens, quaſi in eo ingens aliquod commodum ſuum verſetur, ſi fracti ac debilitati Imperii Proceres magis magisque opportuni fiant injuriæ. Ego quid hic ultra incaſſum morer, non video. Itaque, Sereniſſime Rex, poſtquam Sociorum

rum Regum ac Principum uſibus, mandante Rege Chriſtianiſſimo, hinc proſpexi curavique pro mea mediocritate, ne quid detrimenti cauſa communis accipiat, dum adverſa pars libidine bellandi victa armis inſiſtit, illinc pacis tractationem quam maxime aptam explicatamque confeci, diſcedo tandem e Germania. Facio id equidem cum ſummo doloris ſenſu, quod pro quiete nobiliſſimæ, quam late patet, Provinciæ, Chriſtianitatisque totius ſollicitum Regem meum in tam pio laudabilique inſtituto deſeruerint Auſtriaci. Nec profecto minus cupide expeto, ut eximiis Ipſius pro publica tranquillitate ſtudiis demum conſentientes cauſam ei præbeant, brevi me ad Tractatus Pacis (cui meam negotio operam dicavit) in hasce oras iterum ablegandi. Supplico Maj. Veſt. per eam quoque abire mihi ut liceat, & repetitis obſequiis Regium obtinere favorem, etiam cum ab Ipſius Regnis longius abero, atque adeo ab illis quæ hic infrequentes non fuerunt, rerum cum Ea gerendarum occaſionibus.

Quod ſi meam toto hoc quinquennio vel ſuperioribus temporibus operam atque obſervantiam Majeſtati Veſtræ ulla unquam in re probavi, idem promereri haud ſegnius enitar, ubicunque ſuorum honore mandatorum porro dignabitur

Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ

Hamburgi die 30. Maji
1642.

Humillimum & obſequentiſſimum
Servitorem
Claudium de Meſmes.

Digitized by Google

CXIII.

Literæ CHRISTIANI IV. Regis Daniæ, ad Legatum Gallicum CLAUDIUM de MESMES exaratæ, quem, quod Auersbergius Haffniam inopinato appulsus omnia præstare promiserit, quæ Cæsareis e Lege Præliminarium præstanda essent, certiorem reddit, ac requirit, ut iter exinde, quo redire in patriam parabat, differat. 1642.

CHristianus IV. Dei gratia Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Slesuici, Holsatiæ, Stormariæ ac Ditmarsiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorst. Salute & gratia nostra præmissis, &c. Illustris & Generose, Nobis sincere grateque dilecte. Venit ad Nos Haffniam paucos ante dies Cæsareus Legatus Comes ab Auersperg, Nobisque exhibuit omnia ea, quæ vigore transactionis Hamburgi cum Lutzovio inita ex parte Imperatoris præstari oportet, exceptis duntaxat iis, quæ a Rege Hispaniarum desiderantur, quæ & ipsa se intra breve tempus exhibiturum, atque ita dictæ transactioni, quantum ex ea ad Imperatorem & Regem Hispaniarum pertinet, usque quaque satisfacturum esse promisit. Cum igitur nihil quod sciamus, superst, quod Tractatus Pacis ulterius remoretur, reliquum nunc est, ut extraditioni eorum Instrumentorum, quæ jam unicuique Legatorum ad manus sunt, & Congressui auspicando dies dicatur; quorum illi quidem 29. hujus Mensis, huic autem (ne Legatus Cæsareus in exhibitione promissa, eorum, quæ Regi Hispaniarum præstanda sunt, temporis angustiam accusare possit)

ſit) Calendas proximi Decembris conſtituimus. De Vobis ſpem indubitatam concepimus, fore & Vobis hæc gratiſſima, Nobisque Libenter Vos conſenſuros, & propterea iter, cui Vos accinxiſtis, tantiſper ſuſpenſuros eſſe: certi navem illam Noſtram ſecuritati itineris Veſtri deſtinatam paratam fore deinceps, quandocunque Vobis in Patriam reverti placuerit. Cupimus autem, ut Nos Voluntatis Veſtræ de his omnibus & ſingulis quantocyus & per exhibitorem præſentium certiores faciatis. Nos Vobis viciſſim gratiam Noſtam Regiam deferimus. Datum in Noſtra Glückſtadia die 13. 23. Auguſti 1642.

NB. Ejusdem fere argumenti datæ quoque ſunt ad Suecicum Legatum, mutatis tamen mutandis.

CXIV.

Reſponſum CLAUDII de MESMES, Legati Gallici, ad præcedentes CHRISTIANI IV. Regis Daniæ Literas, quo ab Auerſpergio novam tantum fruſtrationum ſcenam inſtructum iri docet, ſeque non ideo, ſed ſolummodo ut ipſius voluntati obſequatur, diſceſſum ſuum dilaturum eſſe promittit, 1642.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

QUæ Majeſtati Veſtræ Comes Auersbergius tam luculenter promiſit, etiam apud me fidem invenirent, ſi ſincere tandem Auſtriaci ſine ambagibus ullis, ſine reſervationibus aut diverticulis ſtudium pacis profiterentur. Norunt omnes, quam juſtis de cauſis plenam Tractatus Hamburgenſis Ratificationem Legati Galliæ Sueciæque repoſcimus, parati talem accipere ab Imperialibus

& Hiſpanicis, qualem Ipſi jam dudum exhibuimus. Scilicet ad id obligantur Religione pactorum ſolennium, & viſponſionis a Majeſtate Veſtra incomparabili exemplo interpoſitæ. Quid hactenus ſecutum ſit, res ipſa indicat. Jam non autem verbis & pollicitationibus, ſed facto opus eſt. Promiſſionum ſatis a Legato Luzovio, ſatis ab Aula Viennenſi ſuperque tulimus. Quid ille nunc ad ſui Prædeceſſoris fidem ampliſſima poteſtate muniti, quid ad Regiæ cautionis autoritatem ſua promiſſione acceſſurum putat? Si poterunt adverſarii fidem & ſuam & Mediatoris fallere, ac ſolennitate Conventionis publicæ nihil moveri, quid profecto foret præſidii in unius Miniſtri pollicitatione. Equidem, quæ mandata nuper acceperit Comes Auerſpergius, mihi compertum non eſt. Ea ſi coram inſpicere licuiſſet, minus fortaſſe hæreret animus meus, qui nunc præter incerta quædam & generalia, adde toties nec quicquam venditata promiſſa, in quo acquieſcat, non invenit. Obteſtor Veſtram Majeſtatem, ut infirmitati meæ det veniam, ſi inter tot ambigua, tot implicata Auſtriacorum conſilia toties deprehenſus, nunc iterum objecta nova ac ſatis confuſa ſpecie, nihil ipſe ſubito expediam. Nihil eſt manifeſtius, quam feciſſe eos infectum, quicquid Luzovio promiſerant, publicisque Literis declaraſſe Majeſtati Veſtræ Orbique univerſo, nunquam futurum, ut Tractatui de Præliminaribus Pacis aſſentiantur. Quæ omnia cum hodie contrariis promiſſis ſubruant, quomodo ſe a tergiverſationis ſuſpicione purgare poſſint, non video: Apparet enim, quam lentis paſſibus

in

in hoc negotio incedant, quanta incertitudine modo referant pedem, modo proferant, quam denique, quod dici ſolet, nec navigare Ipſos ventus ſuus, nec manere ſinat. Neſcio quam ſim rerum intelligens, videor tamen animadvertiſſe totum hoc, quod novis nunc conſiliis moliuntur adverſarii, non alio pertinere, quam ut publica judicia, quorum favorem amiſerunt, ſi recolligere non datur, vel impediant ſaltem aut interturbent. Sed excuſſa tota ſerie tractationis hujus, facile pellucet artificium. Omnia enim egerunt membratim & per particulas temporibus diverſis ſæpe deſerentes, quas ante probaverant rei gerendæ, occaſiones, delati demum ad concluſionem, ſed cujus ſtatim pœnituit ipſos, & quam ulla non arte diſſolvere conati ſunt, ita ut animus a quiete averſus diſtincte proderetur. Octavus jam eſt Menſis, quod conſummatus ſignatusque Hamburgi Tractatus Viennæ pertinaciter diſplicuit, ratihabitioque ejus plane denegata eſt. Grandi Epiſtola Miniſtri illi profeſſi ſunt, nimium quantum exiſtimationi Domini ſui dignitatique Imperii in plurimis articulis præjudicari, perque Legatum ſuum, Comitem Auerſpergium contenderunt, Legatos fœderatorum Regum ad redordiendam novam tractationem eſſe protrahendos. Sed tandem poſtquam agnoverunt tam ſucceſſum conſiliis ſuis, quam juſtitiam defuiſſe, obruti pene ac oppreſſi liberrima indignatione, adeoque convitiis bonorum omnium, ut tantam invidiæ tempeſtatem, aliqua ſaltem ex parte diſcutiant, poſt octo demum menſes aliam novarum fruſtratio-

num ſcenam inſtruxerunt. Nihil nunc eſt, quod in tractatu præliminarium deſiderent, non jam amplius peccavit quicquam Luzovius: omnia nunc recte & pro ſublimitate Imperii Domusq; Auſtriacæ. Quia in mutatione tam oppoſita, utrum integro ſinceroque animo etiamnum verſentur, multas dubitandi cauſas habeo, atque idipſum, ut reor, ſuſpicabitur Majeſtas Veſtra, ſi & partes ſecum invicem & earum acta utrinque comparet. Primum Ratificatio a Legatis Regnorum ſubito & ſine effugiis, tum ſimul ac ſemel ſecuta eſt. Neque enim cum Galli ratum haberent, quod geſtum erat, Suecorum conſenſus abfuit; neque offerentibus ſe Suecis, latuerunt in inſidiis Galli, ſpeculaturi opportunitates perturbandi omnia, ubi lubitum foret. E contra Imperiales diu prolixeque refragati, nec niſi pudore publicarum querelarum, fortaſſe & Suecorum victoriis permoti, tandem ſe quidem omnia ea executuros ajunt, quæ Transactione Hamburgenſi continentur: Hiſpani vero adhuc abſconditi obmuteſcunt, alto ſupercilio omnes hactenus pro pace exhauſtos a Majeſtate Veſtra labores, aliorumque Mediatorum toties repetitas admonitiones ac ſummam ſollicitudinem deſpicere auſi, quæque pro iis ſæpius ſpoſponderunt conjunctiſſimi Imperiales & fœderati chariſſimi ſpontaneæ oblivioni tradere, aut, ſi mavis, etiam ignorare. Quid poteſt eſſe colluſione tam manifeſta liquidius? Omnino id agunt Auſtriaci, ut negotii partem aliquam velut veſtem laciniam manibus prehenſam teneant, retracturi hoc pacto totam, ubi id ipſis opportunum viſum fuerit.

Quæ

Quæ omnia cum docuerit eventus, Nobis Regnorum Legatis non ſuccenſebit Majeſtas Veſtra, ſi territi veſtigiis prioribus veremur primum, ne inter illa, quæ nunc oſtentat Comes Auerſpergius, ratificatio Viennenſis vel deſit, vel imperfecta offeratur: deinde ſi & Hiſpanicam requirimus promiſſionem, eam plane non acepturi ſumus. Nimirum, ſereniſsime Rex, Nobis nec ab expreſſa formula ſolennis Pactionis diſcedere, nec a Mandatis Regum Noſtrorum licet, quibus diſerte jubemur dare operam, ut quemadmodum ab ipſorum parte pridem factum eſt, nullis circumſcriptam dilationibus, promiſſis, exceptionibus, ſed plenam ac præſentem Imperialium, Hiſpanorumque ratihabitionem obtineamus. Quandocunque autem Majeſtati Veſtræ contigerit, eos hoc limite defigere (quæ res ſane difficultatis pleniſſima ſponte errantes divagantesque reducere in viam) nulla neque per Gallos mora neque per Suecos erit, quo minus tradantur utrinque cum ratificatione ſalvi conductus, & congreſſui initium fiat. Interim cum id ſibi perſuaderi nec dum poſſint Auſtriaci, nihil ſupereſſe videtur quod diſceſſum meum producere debeat. Quoniam tamen Majeſtati Veſtræ placere intelligo, ut ſuſtineam me ad diem usque 29. Menſis hujus, qui erit Octavus Septembris anni Gregoriani, promptiſſime, ut par eſt, licet jam in procinctu, obſequar, non quod interea perfici quicquam poſſe exiſtimem cum adverſariis tam moroſis; ſed quia ſic voluit, ſic juſſit Majeſtas Veſtra. Cæterum maximas ipſi gratiſſimasque gratias habeo, quod navem prætoriam ſecuritati itine-

itineris mei benigne deſtinaverit: quo nomine aliisque permultis quantum ſibi me devinxerit, coram, ſi Deo viſum, teſtabor. Neque enim inſalutata Majeſtate Veſtra diſcedam a complexu Regiæ Dexteræ, tanquam captato inſtitutæ Profectionis omine feliciſſimo, patriam meosque poſt tot annorum intervallum, repetiturus. Datum Hamburgi 18. (28.) Auguſti 1642.

Serenisſimæ Majeſtatis Veſtræ

Obſervantisſimus Servitor

Claudius de Mesmes.

CXV.

Reſponſoria JOHANNIS SALVII, Legati Suecici, ad REGIAS DANICAS Glucksburgi die 13. (23.) Auguſti ad ſe datas, 1642.

Serenisſime ac Potentisſime Rex.

E Literis Regiæ Majeſtatis Veſtræ datis Glücksburgi die 23. Auguſti, lætabundus percepi, Cæſareum Legatum, Dominum Comitem ab Auersberg nuper Hafniam ea omnia, quæ Cæſarea Majeſtas vigore ultimi Præliminarium concluſi Hamburgenſis præſtare tenetur, tandem attuliſſe, exceptis tamen iis, quæ nomine Regis Hiſpaniarum promiſerat. Quia igitur inter Præparatoria Pacis nihil Majeſtati Veſtræ amplius reſtare videtur, niſi ut inſtrumenta, quæ jam utrinque ad manus ſunt, reciproce commutentur, & dies tractatui principali dicatur: ideo Majeſtatem Veſtram commutationi Inſtrumentorum nominaſſe diem 29. hujus Menſis, Tractatus autem principalis Terminum ad futu-

Digitized by Google

futuri Menſis Decembris initium protendiſſe, ut interea ſpatium habeat Legatus Cæſareus, quod pollicetur, Hiſpanica quoque Inſtrumenta adferendi; clementer requirendo, ut nomine Sereniſſimæ Reginæ meæ in utrumque diem conſentiam. Pro obſequioſo reſponſo, imprimis nomine ſuæ Regiæ Majeſtatis Sveciæ maximas ago Regiæ Veſtræ Majeſtati gratias, quod tam indefeſſa conſtantia, tam tædioſi laboris negotium eo uſque perducere voluerit. Spes jam per Dei gratiam affulget propinquior, ejusdem Majeſtatis Veſtræ autoritate, etiam quæ deſunt, cætera brevi ſecutura: modo ſincere ſerioque res ab altera quoque parte tractetur. Sed cum ea, quæ die 15. anni elapſi, ſub fide publica promiſerunt Cæſareani, ſe intra octo ſeptimanas integre pleneque præſtituros, jam primum poſt octo demum menſes vix media' ſui parte præſtentur; optant revera magis quam ſperant hominum judicia, candidius rem tantam ab iis agi. Et ut bona cum Majeſtatis Veſtræ gratia dicam, quod ipſe ſentio, ſi pari tergiverſatione morave Reges confœderati conſenſum jam ſuum ex totidem Menſium rerumque revolutione ſuſpenderent: nihilo proniores ad nutum hunc primum hoſtilis oportunitatis ſe declarantes, quam hoſtes ad fidei publicæ obſervantiam hactenus fuere, haud injuſtius, credo, jure talionis uterentur. Verumtamen ſicut Regia Majeſtas Sveciæ nunquam temporum inſidias captavit, ad pacem pacisque tractatus conſtanter propenſa quocunque rerum armorumque ſuorum ſtatu; ita etiamnum ſuæ Regiæ Majeſtatis nomine haud invitus conſentio in

diem

diem a Regia Veſtra Majeſtate dictum Inſtrumentorum omnium commutationi. Quinimo, ſi certo Nobis perſuadere poſſemus, ab altera tunc parte cuncta rite præſtitum iri præſtanda, vel ſaltem Dominum Comitem ab Auersberg intra paucas certoque definitas numero hebdomadas, ea, quæ deſunt, infallibiliter ſuppleturum, haud difficilius in alterum quoque Principalis nempe negotii diem ſtatim conſentiremus. Adeo enim nihil ad hoc ex hac parte deeſt, ut in ſingulas etiam horas ad utrumque parati ſimus. Sed quoniam adhuc valde incertum videtur, an tantillum Miniſtri promiſſum, rem tantam tam brevi tempore præſtare valeat, cum ne Regia quidem ſponſio majorem, tot menſium ſpatio hactenus, niſi magna cum difficultate, potuerit extorquere: Ideo zelum quidem Majeſtatis Veſtræ in maturando tam pio opere grate agnoſcimus & deprædicamus, heroicæ tamen ſuæ tot annorum regnandi uſu firmatæ prudentiæ reverenter ſubjicimus conſiderandum, ſitne vel de more gentium, vel tot, quorum intereſt, ſtatuum ſive dignitate ſive ſecuritate, adeoque proprio Majeſtatis Veſtræ reſpectu, ut Major pars Regum & Rerumpublicarum Europæ ad certum diem locumque aut ſponte confluat, aut quod neceſſum eſt, debite invitetur, nondum acceptis, quæ invitatorias & notificationem merito comitari debent, tabulis publicæ ſecuritatis? Quodſi ratihabitiones & inſtrumenta, quæ vi pactorum adhuc deſiderantur, pro hoſtium ingenio, vel omnino non compareant, vel non juſto tempore talive forma, ut ſuper iis honeſte tutoque tractari poſſit (nihil enim

Digitized by Google

enim horum adhuc certum eſt) judicet Majeſtatis Veſtræ æquanimitas, annon honeſtius tunc foret, dictum diem fuiſſe tantiſper non dictum, quam tot Principes & Status defectibus tantis eludi? De voluntate Domini Comitis ab Auersberg nolumus non honorifice ſentire. At tertii factum præſtare & quidem extranei tantique Regis, idque tam firmiter certoque, ut ad nudum ſolummodo verbum tot gentes undique convolare debeant, ſitne id in alicujus Legati poteſtate, prudentius metui quam credi poſſe arbitramur. Quare quo magis publicæ intereſt & fidei & ſecuritatis, & tot Regum Principumque Dignitatis, adeoque totius Reipublicæ Chriſtianæ, ut rebus, non verbis amplius, nitatur tanti momenti negotium, eo impenſius Majeſtatem Veſtram rogamus, ne dignetur etiam nunc ſtrenue urgere Cæſareanos, ut totum Tractatum Hamburgenſem, tum integre ratihabeant, tum reipſa plenarie exequantur. Ita fiet, ut non tam cito ii pacta impleverint, quam Nos ad diem dictum plane, prompte paratique futuri ſimus. Alias, evitari vix poſſe præſagio, quod fœderati denuo juſte querantur, vel hoſtes perfide Nobiſcum egiſſe, vel Nos ſine Ratione ac Fundamento rem præcipitaſſe. Atque his Regiam Majeſtatem Veſtram divini Numinis protectioni, meque ſuo favori obſequioſiſſime commendo. Hamburgi die 18. Auguſti Anno 1642.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Humillimus & obſequentiſſimus
Servitor.

J. Salvius.

CXVI. *Li-*

CXVI.

Litera CHRISTIANI IV. Daniæ Regis, ad CLAUDIUM DE MESMES, Legatum Gallicum, quibus terminos commutandis inſtrumentis & inchoando Pacis tractatui poſitos, ob cauſam ſonticam productos eſſe nuntiat, ſcireque ex eo cupit, num, præſtitis ab Imperatore & Rege Hiſpaniarum præſtandis, plenam deinde facultatem ipſos Pacis tractatus inſtituendi ſit habiturus, 1642.

CHriſtianus IV. Dei gratia Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque Rex, Dux Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, ac Ditmarſiæ, Comes in Oldenburg & Delmenhorſt. Singulari Gratia Noſtra præmiſſa. Illuſtris & generoſe, Nobis ſincere dilecte. Exhibitioni & commutationi Inſtrumentorum eorum, quæ in manibus Veſtris & reliquorum utrinque Legatorum jam verſantur, terminum tam auguſtum ideo conſtituimus, ut tempus ſupereſſet Vobis utrinque, ſi quos forte in illis deprehendi defectus contingeret, eos vel corrigendi vel ſupplendi, dum quæ ex Hiſpania expectantur, & dies Tractatibus ipſis dictus adveniant: Cum Vos autem Verbis Pactionis cum Lutzovio initæ ſtricte, prout Literæ Veſtræ Nobis redditæ docent, inhæreatis, ut ab illa ne latum quidem unguem diſcedere, neque etiam ante admittere quicquam eorum velitis, quæ vi pactionis dictæ præſtari ex parte Imperatoris & Regis Hiſpaniarum debent, quam illa omnia & ſingula ſimul & ſemel repræſentari poſſint, & in eo mandatis Regis Veſtri poteſtatem Veſtram conſtringi teſtemini: ſufficiet

gitized by Google

ficiet Nobis ea, quæ Noſtri officii ſunt, feciſſe, & quæ ex altera parte ad Nos delata ſunt, mentemque deſuper Noſtram ſignificaſſe. Cum igitur exhiberi ad 29. hujus menſis ea, quæ a Rege Hiſpaniarum deſiderantur, non poſſint, expedire Nobis videtur, diem illum exhibitioni & commutationi inſtrumentorum dictum in primum Decembris produci, & tractatibus inchoandis deinceps, quando exhibitio & commutatio utrinque facta erit, alium conſtitui. Interea ſciré ex Vobis cupimus, ſi ea, quæ ex parte Imperatoris & Regis Hiſpaniarum, vi dictæ pactionis, præſtanda ſunt, plene & nullis circumſcripta dilationibus, promiſſis, exceptionibus intra jam dictum terminum obtinueritis, ſitne & tunc futurum in Veſtra poteſtate, quemadmodum nunc eſſe affirmatis, congreſſui diem illico conſtituendi, & illo conſtituto, quantum ad Galliam pertinet, initium faciendi, an vero aliquid ſuperſit aut intervenire queat, quod tractatus morari poſſit, aut accedere illis, quæ jam præſtanda ſunt neceſſum ſit, antequam dicti Tractatus inchoentur. Ita gratiam Noſtram Vobis deferimus. Dabatur ex arce Noſtra Glücksburgi, die 23. Auguſti Anno 1642.

Chriſtianus.

NB. Ejusdem fere tenoris literæ ab eodem Rege ad Svecicum Legatum ſcriptæ fuerunt.

CXVII.

Reſponſoriæ CLAUDII DE MESMES, Chriſtianiſſimi Regis Legati, ad CHRISTIANI IV. Danorum Regis præinſertas literas, 1642.

Digitized by Google

Serenisſime ac Potentisſime Rex.

QUod tuemur publicam fidem Veſtræ Majeſtatis autoritate ſuffultam, ſperamus id ipſi non poſſe improbari, neque Nos religioſe nimis inhærere ſolennibus pactis. Verumtamen dum reverenter admodum operimur diem illum, quo tandem aliquando dignentur Auſtriaci transactioni de Præliminaribus gratioſe aſſentiri (videmus enim ad eorum nutum & tempora totum hoc pacis negotium quaſi ad ſcopulum aliquem adhæreſcere) per Nos nihil nec obſtitit, nec etiamnum obſtat, quin interim exhibeantur, quæ hic adſunt inſtrumenta ratificationis & Salvorum Conductuum, ſi quid in iis peccatum eſt, emendanda. Sed ut vel iniqua permutatione Nos omnia (nihil enim per fœderatos deeſt) adverſarii partem duntaxat, & illam fortaſſe vitioſam extraderent, vel otioſa diligentia utrique partem commutaremus, quæ & cauſæ continentiam diviſiſſe videretur, id vero illud eſt, quod non admittendum exiſtimavimus. Imo equidem, Sereniſſime Rex, ab hujusmodi prævia communicatione, ubi fraus abeſſet, adeo non alienus fui, ut potius, quod ea omiſſa fuerit, poſtremis ad Majeſtatem Veſtram Literis oſtenderim mihi non liquere, nec de acceptis nuper a Comite Auersbergio mandatis promere poſſe quid ſentiam, antequam illa inſpiciendi cognoſcendique copia fieret. Quoties itaque viſum fuerit Imperialibus deſcendere in hanc cum Majeſtate Veſtra ſententiam & proferre, quæ jactitant, in Nos illi nec imparatos, nec idem ſecum mutuo facere difficiles un-

Digitized by Google

unquam inciderint. Durum ſane videri poſſit, penes eos ſtare tanquam belli pacisque arbitros, ut ſuo more modoque tranſigendi occaſiones nunc pervertant, nunc revocent, & hoc rurſum ſerius, ocius, pro lubitu. Ita quippe fit, Serenisſime Rex, ut ipſi temporibus, omnes ipſis ſerviant. Quod tamen malum, ut a Capitibus Germanorum arceamus, bella ſunt. Sed quoniam in anguſto limite octo Menſium æſtuant adhuc Auſtriaci, neque ſatis potuerunt, tam iniquis ſcilicet pactis coarctari, abſolutam ratihabitionem Tractatus Hamburgenſis & ſalvos Conductus huc transmittere, diemque Inſtrumentorum omnium commutationi jam bis fruſtra definitum produci rurſus amant ad primum Decembris. Detur & hoc illorum moroſitati, probe intelligimus indulgenter tenereque habendos, qui ad reddendam Orbi quietem duriuſculi ſunt, quique, ut ſuum illud faſtidium vincant, opus habent intervallis longioribus. Sin autem ne tunc quidem tergiverſando feſſi, aut denuo vadimonium deſerent, aut rebus neceſſariis parum inſtructi Nobis ſe ſiſtent (verendum enim, ne Calendis Decembribus, poſtquam per menſes undecim parturierint, naſcatur aliquid monſtri, & tam tardi fœtus multa ſint vitia) tum omnino eos ejuraſſe pacem, nemo uſquam erit qui inficias eat. Certe ſi, quod abominor, ita eveniet, haud dubitamus, quin tot tantiſque cunctationibus tam manifeſto fruſtratam Majeſtatis Veſtræ illuſtrem curam conſequatur demum indignatio juſtiſſima, & quo id ipſi modo placuerit, tantus Rex palam faciat, quam indigna ſuis Majoribus ſuaque interpo-

ſitione ſint perplexa ejusmodi & illiberalis artificii plena conſilia. Hæc a me eo ſcribuntur, Sereniſſime Domine, ut toties monitos ac tam diu deliberantes adverſarios nihil tum demum, exacto fere anno, deficiat eorum, ad quæ ipſi pactis conventis obligantur. Honeſte, niſi fallor, nec impatienter id petimus. Quod ubi rite præſtitum erit, & rebus transactis fas jusque ſuum conſtabit, ſcio affirmoque iterum Majeſtati Veſtræ, ſicut in exequendo hactenus tractatu Præliminari fœderata Regna, & quidem tanto intervallo, poſt ſe reliquerunt Imperiales & Hiſpanos, ita tunc quoque nihil prius futurum Chriſtianiſſimo Regi, nihil propius, quam ut auſpicando congreſſui dies altera conſtituatur, quando per illos prior fruſtra eſt conſtituta. Atque interim me Regio Majeſtatis Veſtræ favori obſequioſe commendo. Dat. Hamburgi 30. Auguſti, 9. Septembr. 1642.

Sereniſſimæ Majeſtatis Veſtræ

Obſervantiſſimus Servitor

Claudius de Meſmes.

CXIIX.

Reſponſoriæ JOHANNIS SALVII, Legati Suecici, ad Literas CHRISTIANI IV. Daniæ Regis, die 23. Auguſti (ſtyl. vet.) ad ſe exaratas, 1642.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

QUam zeloſe Regia Majeſtas Veſtra prioribus Literis negotium pacis maturare videbatur, tam grate id a me tunc agnitum fuit ac deprædicatum.

Digitized by Google

catum. Etsi enim nuperis Majestatis Vestræ de 23. Augusti videtur responsum meum de 18. (28.) Ejusdem, priorem tantum diem, pro præparatoriis consummandis simpliciter acceptasse, alterum vero desideresse protensum: tantum tamen abest, ut vel hunc vel illum productos cupiam, ut si per adversam partem licuisset, etiam breviores optassem. Neque enim in menses & dies modo, sed in singulas etiam horas nos ad utrumque paratos profitebar. Aliquot quidem considerationes adduxi, cur incerta deficientium instrumentorum promissio suspendere debere videbatur figendorum terminorum certitudinem, non tamen eo animo, ut ad primum Decembris motum cuperem; sed ut Regiæ Majestatis Vestræ prudentiæ ac sollicitudini occasionem præberem, si qui viderentur, certiores modos proponendi, quo hostium his artibus, remoris, & tergiversationibus vel finis tandem, vel modus saltem aliquis poneretur, tot Christianorum suspiriis attemperatus. Si Sveciæ solius res agerentur, potuisset Pacis Germanicæ Tractatio confestim inchoari, dum cæterorum defectus emendantur. Sed quoniam nec Galli vel Batavi, nec Domus Palatina vel Hassiaca (pactis Hamburgensibus omnes comprehensi) ad diem locumque condictos tuto convenire possunt, nisi etiam Hispanica securitate muniti: dandum id fuit amicitiæ ac fœderi, ut Serenissima Regina mea pro iis loqueretur. Etiam propterea, ne admissa semel publicorum pactorum mutilatione ansa præberetur adversariis imposterum plura majorave violandi. Nunc cum e proximis Majestatis Ve-

ſtræ literis, tam ad Regiam Majeſtatem Sveciæ, quam ad me, appareat, Eam ipſam continua ac pertinaci adverſariorum cunctatione motam commodius judicare, ut commutatio Inſtrumentorum fiat primo Decembris, eaque rite peracta, tum demum dies principalis dicatur; etiam his Majeſtatis Veſtræ placitis, pro majori hoſtium commoditate, ex abundanti deferimus. Certi autem ſumus, niſi tunc adverſarii, poſt undecim nempe Menſium ſpatia præſtiterint, quod ab initio duos intra menſes & ſe præſtituros receperunt & præſtare potuerunt; nihil minus quam pacem ab iis ſerio ſincereque agitari. Quod ſi vero opinionem hanc Noſtram multorumque fefellerint, promiſſis pactisque rite adimpletis: nihil ulla ex parte obſtare video, quo minus tunc dies certa tam congreſſui, quam actioni principali & præfigatur & ſervetur. Neque enim ſpero, Majeſtati Veſtræ prætextus videri, quæ ſcripſeram, cum & Ipſi Majeſtati Veſtræ & Majeſtatis Veſtræ Miniſtris dudum omnia inſtrumenta Noſtra, partim in ſua origine, partim in authenticis apographis realiter monſtrata ſint. Nec alium ob finem vel ego hic Hamburgi jam ultra ſexennium hæreo, vel in Pomerania jam diu degit Senator Regni Sveciæ, Dominus Baro Oxenſtirna, niſi ut toti mundo, etiam cum adverſæ partis confuſione oſtendamus, falſo Nobis moras pacis, ab alieniſſimis hactenus a Pace adverſariis imputari. Laudabile vero exemplum præbet Regia Majeſtas Veſtra cæteris Mediatoribus, ut cum viderint Majeſtatem Veſtram tam fervide Congreſſus urgere Sveco-Cæſareanos, haud ſegnius ii quoque

Digitized by Google

que cæteros promoveant. Deus auctor Pacis piis ejusmodi consiliis & conatibus ex alto benedicat, ut optatum tandem sortiantur eventum. Cujus divinæ tutelæ Majestatem Vestram obsequiosissime commendo. Hamburgi die 30. Augusti Anno 1642.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

Humillimus & Obsequentissimus Servitor

J. Salvius.

CXIX.

Litera JOHANNIS SALVII Plenipotentiarii Suecici, ad DN. LUZOVIUM, Plenipotentiarium ad Pacis tractatus Cæsareum, cui cæteros Plenipotentiarios Sueciæ Stralsundiam appulisse nuntiat, ac ut dies inchoando ipsi tandem Pacis tractatui dicatur, amice ab eo flagitat, 1642.

Nobilissime & Excellentissime Domine Legate.

Nuper in Sveciam notum feci, Excellentiam Vestram accepisse desideratos hactenus Salvos Conductus pro Galliæ fœderatis, nihilque magis desiderari, quam ut dies Tractatui Pacis dicatur, & Legati vestri approperent. Advenere postea Legati Suecici Stralsundiam, nihilque jam moræ in nobis est, quo minus sine ambagibus cuncta rite consummentur. Hoc Excellentiæ Vestræ significare debui, ut, si jam ipsi quoque placuerit finem præparatoriis imponere, de animo voluntateque ejus quantocius certiores reddamur. Nam & mihi

mihi alias hinc discedendum erit: non quidem (quod de Excellentia Vestra falso, ut spero, spargitur) ut quæsito absentiæ prætextu pacem declinem, sed ut alibi negotia publica curem. Ad ultimas Excellentiæ Vestræ non respondi: nullo argumenti defectu, sed quod eæ magis ex malevolorum instinctu, quam propria conscientia sua profectæ viderentur. Novit enim Sveciam non sua sponte, sed partim necessariorum precibus sollicitatam, partim multiplicibus lacessitam injuriis arma induisse: dum non contenti Germaniæ vexatione, aquilas in Borussiam, portenta Titulorum in maria extenderunt Cæsarei officiales. Quin imo dum pro re Dominos Vestros, Archi-Episcopum Bremensem & Duces Megapolitanos ditionibus exutos restitueremus, nemo acrius Excellentia Vestra justitiam armorum Svecicorum asserebat. Nunc cum cæteros quoque Religionis nostræ Consortes, Conscientiæ, Statusque securitati, per honestam tutamque pacem restitutos cupimus, ut Dominis mutatis, consilia quoque animus eorum mutavit, non possumus Nobis de Excellentia Vestra idem persvadere, nec tam favore plebis, quam ipsorum Protestantium Imperii Ordinum consensu, votisque, adeo fœdere ac societate, bellum hactenus a Svecis gestum est. Si cum multorum damno, id consiliis partis Vestræ imputandum est, qui nunquam serio pacem, sed velut affectatam belli protracti & inde secutæ ruinæ seriem procurastis. Spolia Germaniæ in Magnatum Suecicorum Domos portata, calumniæ quam veritati propinquius est. Quotusquisque omnium Magnatum Svecicorum, qui toto belli hoc tempore

Digitized by Google

pore in Germania fuerunt, non pro ſpoliis mortuus in Sueciam illatus eſt? Sed hæc obiter tantum allegaſſe ſufficiat. Opto Excellentiæ Veſtræ proſperitatem, mihique brevi occaſionem dari, qua reipſa potius, quam verbis oſtendere poſſim, quam cupiam ex animo eſſe &c. Hamburgi ultima die Octobris, Anno 1642.

Salvius.

CXX.

Literæ ad STATUS SACRI ROM. IMPERII, Francofurti ad Mœnum congregatos, a PLENIPOTENTIARIIS SUECICIS datæ, quibus eis, quid Pacis tractatus moretur, quidque promovere poſſit, exponunt, illosque, ut ipſi operi manum cuneumque tandem admoveant, ſedulo hortantur, 1644.

Illuſtres, Generoſi, Magnifici, Nobiliſſimi ac Conſultiſſimi.

SI aliquod fatum Imperiorum, multi certe putant, vel fato regi, vel fatis deſtinari Germaniam. Omnes Status bellum execrantur, omnes pacem inclamant: pauciſſimi aut remedia pacis promovent, aut removent obſtacula. Atque utinam non plura bella ex bellis ſererent, inteſtina externis aggravantes. Alter annus agitur, ex quo univerſi & ſinguli, quorum intereſt, Osnabrugis & Monaſterii, pro ſtatuenda pace comparere debuerunt. Exteri fere omnes, e locis etiam diſſitis mature comparuerunt; Germanorum Ipſorum, licet & proximi ſint; & eorum præcipue in-

terſit, adhuc dum nemo. Bini Electores hic, binī Monaſterii adfuturi jam dudum promittebantur; adhuc tamen nemo venit. Pro cæteris Ordinibus tam Auguſtanæ Confeſſionis, quam Romanæ Religionis fœderata Regna, per annos ſeptem, tractatu armisque laborarunt, ut ad hunc diem convenienti ſalvo conductu munirentur. Munitī ſunt, ut tuto convenire & intereſſe ac negotia ſua qualiacunque hic ſecure peragere poſſent: Nemo tamen adhuc comparet. Interim Germania ruit ad excidium! Si Patriæ Patres non majori ejus cura aut commiſeratione tanguntur: Si Columnæ Imperii tantopere cunctantur ruinoſæ compagis minas ſuffulcire: Si Status & Ordines ipſi ſusque deque habent, ordo an confuſio regnet, ſtet vel cadat Reſpublica, quid tandem ab exteris ſperari debet, cernentibus, non ſolum omnes amicitiæ & reſtaurationis oblatæ vias rationesque ſperni, ſed & ſibi pro gratia moram culpamque protracti tractatus falſo a quibusdam imputari? Quod ſi contra Imperatorem aut Imperium a Fœderatis evocarentur in campum aliquem Martium, nemo renuentium conſtantiam tantopere miraretur. Nunc cum ad legitima Majeſtatis decora, autoritatem Comitiorum, propriam libertatem, amicitiam finitimorum, & in ſumma, ad priſtinam pacandæ Patriæ felicitatem ſtabiliendum, tam frequenter & amice invitentur; cum videant manifeſte, non armis, ſed amico tractatu, miſeriarum finem aut modum ſperari poſſe vel debere; mirari profecto ſubit, quid eos tamdiu moretur? neque enim credere poſſumus, eos ſibi perſuadere, abſentiam ſuam

Digitized by Google

ſuam præſentia Cæſareæ Deputationis penſari. Nam ut id experiremur, & ſimul ſincerum ſeriumque in Germaniæ Pacis redintegrationem obfirmatum Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ animum ipſo facto oſtenderemus, cum Noſtro in hanc urbem adventu, obtulimus Cæſareis Commiſſariis, non modo mutuam legitimationem Noſtram, verum etiam aliquoties tractatus Ipſius auſpicia. Tantum vero abeſt, ut actionem principem acceptare voluerint, ut ne quidem ad ſola procuratoria ſaltem oſtendendum induci potuerint. Nunc Mediatoris defectum; nunc lites Sueco-Danicas, nunc Gallicas moras, nunc alia vana cauſati. Gallia jam ſatis oſtendit, ſe pari cum Suecia affectu pacem promotam cupere. Certe Gallica legatio nihil acrius urget, quam ut omni remora ſublata, res ipſa quamprimum inchoetur: parata, ſi quid in procuratoriis adhuc deſideretur, ad ſatisfaciendum unicuique ex æquo & bono, modo idem pars altera velit. Litigia Sueco-Danica pertinere ad forum aut cenſuram Imperatoris, aut Imperii, quis dixerit! Niſi qui putaverit patriam ſuam nondum ſatis inteſtina clade ſubactam, externis inſuper bellis acrius affligendam eſſe. Quin & Galliæ, Bataviæque Legati in eo jam alibi gnaviter deſudant, non ſine ſpe bona, fore, ut eæ controverſiæ ad collimitia Regnorum, more ſolito, brevi componantur. Adeo ut iſte prætextus trahendis potius, quam avertendis Germaniæ calamitatibus excogitatus videatur. Scimus quidem Regem Daniæ ſibi etiamnum reſervare interpoſitionem inter Imperatorem & Status Im-

Imperii. Ut autem ſimul, rebus uti nunc ſtantibus, Mediatorem agat inter Sueciam & Imperatorem; Id nec ipſe deſiderat amplius, nec rationi magis congruum eſt, quam per rei naturam fieri poteſt, ut hoſtis non ſit hoſtis. Quod cum ita eſſe animadverteremus, ne tamen propterea Cæſareani, vel Mediationis vel modi defectum, ullo æquitatis colore prætendere poſſent, oblata eſt iis vel ex abundanti, tractatio vel immediata, vel per ſubdelegatos, vel mediante Legato Veneto, vel cooperantibus Imperii Statibus, vel tandem in ſcriptis. At illa repudiata, iſta non admiſſa: Scriptum vero ipſum (cujus exemplar hic addimus) bis oblatum, tantum abeſt ut inſpexerint, ut ne quidem tangere dignati ſint; vultu, manibus, toto corpore adeo averſati, ac ſi contagioſum fuiſſet. Atque hanc tergiverſationis ſerram, prætenſo ſingulis perpetuo mandati defectu, nobiſcum reciprocarunt, usque ad diem primam Menſis Septembris, quando ex Holſatia conſtans fama increbuit, non omnia illic ex voto Cæſarei exercitus cedere; jamque Comes Auerſpergius in procinctu eſſet ad diſcedendum. Tum demum ſe mandata cepiſſe profeſſi, tabulas Cæſarei procuratorii oſtenderunt: Verum nón ut Nobiscum tractarent (quomodo enim potuiſſent poteſtate revocati Comitis ipſo abitu exſpirata?) ſed ut majori ludibrio videremus, eos hactenus, non tam poteſtate quam voluntate, ſive permiſſu tractandi caruiſſe. Hæc indignitas poſtea quidem excuſari velle videbatur, ſuperventu Comitis a Lamberg; cujus novam Plenipotentiam videndam nobis die

20. Se-

Digitized by Google

20. Septembris misit, non quidem ipse sed abituriens Comes ab Auersperg cum collega Domino Crane. Veruntamen habeatne is simul instructionem, sive utrum ei permissum sit, ut revera de Pace Nobiscum agat, æque adhuc incertum est, cum incognitus adhuc degat. Ex quibus omnibus haud obscure patet, quantum Sibi Germania de solis Cæsareanis promittere possit. Quia tamen ab aliis paulo jam major successuræ negotiationis spes præbetur, ne osores pacis sub hac consiliorum rerumque vicissitudine novis eam, pro more, tricis iterum involvant; necessitas aut salus ipsa postulat omnino, ut ipsi Ordines Imperii, præsentia, autoritate & impulsu suo, huic tandem operi manum cuneumque admoveant. Etenim multa experientia ratum firmumque apud Nos, absque efficaci Ordinum cooperatione, non modo nullam pacem, sed vix ullos pacis tractatus sperandos esse. Sciunt ipsi, nec solos Cæsareos posse, nec velle fœderatos Reges & Principes absq; iis tractare. Habent omnimodam ab utraque parte securitatem: Cæsareum & Imperialem Consensum: Jus suffragii quæsitum, summum denique Interesse proprium. Nec vocantur ad conventicula seditiosa, sed ad honesta pacis colloquia: de viis, nempe mediis rationibusque æquis, quibus, citra ullius legitimæ potestatis præjudicium, tranquillitas & amicitia publica ita stabiliri possint, ne vel ipsi suæ libertati, vel regna finitima suæ securitati, inposterum metuere necesse habeant. Longe minori sumptu ac difficultate pacifica hæc negotiatio institui, & per Dei gratiam, absolvi potest, si

serio

ſerio res agatur, quam bellum continuari. Ac tametſi centum adhuc annos duraret bellum, pax tamen aliquando tandem tractari debet. Quidni ergo nunc potius, ſpirante adhuc parum Patria, quam poſt animam plane exhalatam? Quæ omnia ideo conventui nunc Veſtro prolixius referenda cenſuimus, ut quoniam ipſi præcipue promovendæ pacis cauſa Francofurti adhuc degere dicantur, quid hactenus hic actum; quo loco nunc ſint tractatus Pacis, quid eos moretur, quid promovere poſſit, tum ipſi videant, tum Principalibus ſuis aperiant, omnesque tandem pro ſuo in Rempublicam affectu, ad communem Pacem mutuis operis & conſiliis promovendam Nobiscum valide concurrant. Quodſi, ut ſperabimus, prompte fecerint; annuet procul dubio Deus piis pacificorum conatibus, & optata Nos tandem pace beabit. Sin ulteriore mora alii quicunque prætextus communi tranquillitati ac bono prælati fuerint, eoque inopinatum aliquod præjudicium poſthac pace bellove enaſcatur: coram Deo & univerſo orbe Chriſtiano proteſtamur, non id Noſtra, ſed renuentium culpa factum eſſe. Cogimur enim hic queri fidem publicam Nobis non ſervari; ſed violatum in Nobis eſſe jus gentium aliquoties: interceptis quinquies Noſtris Nunciis, effractis retentisque Noſtris literis ſæpius: ſemel capto Legationis Secretario, aliis cæſis, aliis ſpoliatis, aliis aliter male habitis e Comitatu Noſtro. Nec fontes manifeſti, temeratæ legationis ſanctimoniæ poſtulati, vel puniuntur, vel deduntur. Multa quidem hactenus favore boni publici diſſimulando

Digitized by Google

lando transmiſimus; Ut plura expectemus, nec Dignitas Majeſtatis Regiæ, nec Noſtra ſecuritas patitur. Veniant itaque, ſi placet, mature, ut debitum finem his miſeriis imponamus: Vel ignoſcant, ſi tandem, & Nos, cum ſociis Noſtris, conſilia quoque mutare cogamur. Atque his eos divinæ Protectioni officioſe commendamus. Dabantur Oſnabrugis, die 4. 14. Octobris, Anno 1644.

Illuſtritatibus, Generoſitatibus, Magnificentiis & Nobilitatibus Veſtris ad officia paratiſſimi

Joh. Axelii J. A. Salvius.

CXXI.

Literæ a LEGATIS PRINCIPUM & STATUUM S. R. IMP. ad PLENIPOTENTIARIOS HISPANICOS, quibus ab eis, ne Spira Nemetum proxime a præſidio Gallico liberanda, per milites Hiſpanicos occupetur, modeſte contendunt, 1646.

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini Philippi IV. Catholici Hiſpaniarum Regis

Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Legati, Domini ac Amici plurimum obſervandi.

QUid commemoremus totius Imperii etiam atque etiam intereſſe, ut Spira Nemetum bello-

bellorum liberata malis, undequaque ſit in tuto, interpellavimus nomine Chriſtianiſſimi Francorum Regis Legatos, & certa ſpe ducimur, Gallicum militem propediem abductum iri, ſi certo conſtiterit, Spiram a vicino Hiſpano milite æque immunem fore. Cum igitur Nemetum Urbs Imperialis juſtitiæ ſit domicilium; cum omnes ad unum, qui illic juſtitiæ deſerviunt, totius Imperii ſint Miniſtri, promiſcue Status Imperii una operam impendere æquum eſt, ne juſtitiæ Sacra bellorum miſeriis proſtituantur.

Quo circa non poſſumus non confidere, Catholicum Regem, militem ſuum ita libenter cohibiturum, ne Spira Nemetum quicquam inde detrimenti accipiat, neve finitima loca irruptionibus reddantur infeſta. Excellentias igitur Veſtras magnopere rogamus, ut Spirenſis Libertatis velint ſatagere, ac adeo conniti, ne habeat Spira Nemetum, quod Sibi a Hiſpano milite metuat. Oſnabrugæ, die 23. Januarii, Anno 1646.

Excellentiarum Veſtrarum

Obſervantiſſimi

Principum ac Statuum Imperii Legati.

CXXII.

Litera EORUNDEM ad PLENIPOTENTIARIOS GALLICOS, in cauſa cum præcedente pari exaratæ, 1646.

Sere-

Digitized by Google

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini Ludovici XIV. Galliæ & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi, Domini Legati Eminentiſſimi.

Celſiſſime Princeps ac Domine, Illuſtriſſimi Comites, Domini & Amici, etiam atque etiam ſuſpiciendi.

IMmitis Bellona a multo jam tempore Spiram Nemetum diris calamitatibus immerſit, ſedem ac domicilium Dicaſterii Imperialis, & certo Nobis innotuit, jamjam exitium imminere, niſi propediem præſidiis militaribus erepta fuerit. Cum igitur totius Imperii magnopere interſit, præclarum illud juſtitiæ domicilium omnibus belli oneribus prorſus ſublevari, & Chriſtianiſſimi Regis encomium omnino ſit futurum illuſtrius, ſi juſtitiæ Sacra Ipſius beneficio in tuto collocata fuerint. Id circo Nos tenet ſpes indubia, Juſtitiæ in Imperio Adminiſtrationem Chriſtianiſſimi Regis auſpiciis nequaquam impeditum iri, Spirenſes juſtitiæ Sacerdotes & Miniſtri, totius Imperii impendiis, officio ſuo funguntur, quo circa omnes promiſcue Imperii Status obſtricti ſunt, communes ſuos miniſtros in tuto ponere. Nec Status ac ſubditi Imperii, qui Spiræ rerum ſuarum ſatagunt, tabellarios mittere, ſive juſtitiæ acta perferre & referre poterunt, niſi locus omni omnino milite propediem ſublevabitur. Luculentam igitur & Chriſtianiſſimus Rex & Celſitudo Veſtra, Veſtræque Excellentiæ ab omnibus Imperii Statibus gratiam iniverint, ſi Spiram Nemetum, milite amoto, in priſti-

nam Libertatem quamprimum reſtitueretur. A Cæſarea Majeſtate nos æque impetraturos confidimus, ut Spira Nemetum, Cæſarei quoque præſidii ſit expers futura. Vangionum item Civitas, Mavortiis quaſſata malis magnam partem ad internecionem usque exinanita eſt. Si igitur Celſitudo Veſtra, ſi Veſtræ Excellentiæ miſeris Civium reliquiis quidquam opis afferre poſſent; id ut velint impendere, extimis precamur ſenſibus.

Veſtræ Celſitudinis Veſtrarumque Excellentiarum

Oſnab. die 23. Januar. 1646.

Obſervantiſſimi

Principum & Statuum Legati.

CXXIII.

Litera MARCHIONIS de CASTELL RODRIGO, Regias vices in Belgio Hiſpanico ſuſtinentis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus Tractatum Monaſterienſem tarde procedere, novumque inter ipſos & Galliæ Regem de occupando per Gallos Gandavo præſidio nudato clanculum confectum eſſe, conqueritur, 1646.

Præpotentes Domini.

QUandoquidem animadverti non eadem diligentia Tractationem Monaſterienſem continuari, quam Mihi quidem e reſponſione Veſtra ad

ad Literas a me, ſecundo die Decembris proxime elapſi, ad Vos miſſas, in animum induxeram, ſed vero ea tarditate, qua pleræque hujusce Conventus Tractationes, peragi ſolent; inſuper etiam propter rumores, qui ad Nos Pariſiis perferuntur, Gallos videlicet novum aliquem Vobiscum Tractatum iniiſſe, quo Gandavenſium oppidum, quamprimum utriusque partis Copiæ eductæ fuerint, obſideant; Idcirco quam maxime neceſſarium eſſe duxi, ut ad memorati Gandavienſium Oppidi defenſionem ac propugnationem copiæ quædam educerentur; majorem in modum rogans atque obſecrans, ut hanc Copiarum Noſtrarum eductionem pro Veſtra ſingulari benevolentia excuſatam habere, Tractationemque porro continuatam velitis, prout in univerſi Orbis Chriſtiani Pacem decet. Ego autem literas hasce ad Vos dare eo volui, quo conſilium animique propoſitum indicarem, ſimul etiam peterem, ut non diſſimili animi Veſtri ſtudio & Voluntate Tractationem hanc tranſigatis, qua Eandem incœpiſtis, præcipiendo & mandando, ut ea omnia, quæ Tractationi moras aliquas injicere poſſunt, diſſolvantur prorſusque amoveantur. Ac ſi Vobis, dum hæc ſtatuentur, viſum conſultumque fuerit, Inducias quasdam ſive armorum ſuſpenſionem decernere, ad Tractationis Univerſalis concluſionem ac confirmationem, paratum me ſemper habebitis; quo cognoſcere poſſitis, quid animi Rex Hiſpaniarum, Dominus Noſter, Ejusdemque Miniſtri habeant, quemque Vobis ſemper exhibuerunt, ad bonum publicum quibuscunque modis optime poſſent

Digitized by Google

promovendum. Quod facturos Vos esse confidens, Vobis me semper officiosissimum præstabo. Notatum erat, Marchio de Castel Rodrigo. Dabantur Bruxellis, vicesimo & quinto die Aprilis, Anno 1646.

CXXIV.

Responsum ORDINUM FOEDERATI BELGII GENERALIUM, ad præcedentes MARCHIONIS de CASTELL RODRIGO literas, 1646.

Nobilissime Domine.

LIteras ad Nos Bruxellis quinto & vicesimo die Aprilis proxime elapsi exaratas misisti, iisdemque indicasti, Tractationem scilicet Monasteriensem non ea diligentia peragi, quam Tibi quidem e responsione Nostra ad Tuas, nono die Decembris Anno 1645. missas, literas persuasum habueras; deinde etiam rumores sive indicia Parisiis allata esse, de novo scilicet Tractatu cum Gallis inito; Quapropter in rem existimavimus de iis ad Te scribere, Legatos videlicet Nostros & Plenipotentiarios, eum in locum, qui ab omnibus, quorum interest, destinatus ac constitutus fuit, cum omni potestate atque auctoritate munitos perveniisse ad pacem & tranquillitatem universi Orbis Christiani componendam & confirmandam; Nostramque insuper voluntatem atque intentionem & fuisse hactenus & etiamnum esse, omnes confusiones, dilationes aliaque impedimenta, quibus negotium tam bonum, tamque utile aliqua ex parte dissolvi atque

Digitized by Google

atque abrumpi posset, longissime semovendi. Interim tamen in memoriam Tibi revocare visum fuit, necdum a Rege Hispaniarum, Domino Vestro, ejusmodi defectibus occursum fuisse, quibus Legati & Plenipotentiarii Nostri literas auctoritatis a Rege, Legatis & Plenipotentiariis suis concessas, laborare indicarunt, quamvis, ut eædem faciliores reddantur, Conceptus quidam novarum Auctoritatis Literarum, tricesimo die Martii proxime elapsi Dominis Legatis & Plenipotentiariis ejusdem Monasterii traditus fuerit: adeo, ut satis superque appareat, cujusnam culpa Monasteriensis Tractatio tam negligenter socorditerque peragatur: De novo autem tractatu, cujus similiter mentionem feciſti, nihil quidquam Nobis innotuit; Quapropter hoc Tibi persuasum ut habeas, etiam atque etiam rogamus, Nos unanimiter ad id operam daturos esse, quo salus omnium atque incolumitas, quibuscunque mediis optime fieri poterit, promoveri queat; Quod Te non minus curaturum confidentes, præsentibus subsignavimus. Dabantur Hagæ Comitum Batavorum, secundo die Maji, Anno 1646.

CXXV.

Literæ PLENIPOTENTIARIORUM SUECICORUM ad CHRISTIANISSIMI REGIS PLENIPOTENTIARIOS, quibus illis mentem Reginæ suæ circa satisfactionem ab ipsa desideratam, & Pomeraniæ ulterioris restitutionem exponunt, 1646.

Digitized by Google

Celsisime Princeps, Illustrisimi Domini.

QUanto zelo Celsitudo & Excellentiæ Vestræ ferantur ad maturandam satisfactionem Suecicam, Pacemque communem, id ex iis, quæ ipsis una cum Legato Veneto, Domino Contarini die $\frac{20}{30}$. Novembris mihi Salvio Monasterii proponere placuit, abunde libenterque percepimus. Nos equidem, ut pari promptitudine responderemus, contulimus eam oblationem illico cum Instructione Nostra: Verum post omnes chartas excussas invenimus, Regiam Majestatem Dominam Nostram Clementissimam, firmiter constanterque insistere propositioni priori, quam initio Novembris Cæsareæ Legationi ibidem in scripto exhibuimus: Ita quidem, ut si Elector Domusque Brandenburgensis in translationem perpetuam Pomeraniæ citerioris, cum ibi annexis consenserit, tum præter id, quod ab Imperio vicissim recepturus est, Serenissima Regina paratam se profitetur, ad restituendum ei, (pro æquivalente tamen interim in pecunia oblata numerata a Cæsarea Majestate accipiendo) non modo reliquam Pomeraniam Ulteriorem, una cum Episcopatu Caminensi & Colberga, sed etiam quicquid insuper præsidiis suis tenet per universam Marchiam Brandenburgensem, cum perpetuæ amicitiæ oblatione. Quod si vero his contentus esse consensumque suum præstare noluerit, tunc Regia Majestas Regnumque Sueciæ oblatam sibi antehac Pomeraniam & cum omnibus & singulis ecclesiasticis & secularibus suis appertinentiis in perpetu-

Digitized by Google

petuum & immediatum Imperii feudum retinebit. Quo casu Cæsarea Majestas & Imperium Romanum, Status subditosque utriusque Pomeraniæ priori Sacramento exsolvet, & ad homagium Majestati Regiæ præstandum remittet, tum eandem Regiam Majestatem Regnumque in pacata & inviolabili totius Pomeraniæ omniumque ejus appertinentiarum possessione contra quemcunque perpetuo conservabit & manutenebit. Quæ declaratio alternativa cum sit Suæ Regiæ Majestatis ultima, Celsitudinem & Excellentias Vestras perofficiose rogamus, ne graventur eam Domino Comiti Trautmannsdorffio quantocyus aperire, ut optione Electori data brevi constare possit, quam partem eligere velit, ne Christianitatis Tranquillitas ulteriori licitatione vel mora in longius extrahatur. Nos idem hic Cæsareis Dominis Legatis hodie quoque communicari fecimus. Quamprimum vero responsum ad hanc Declarationem Nostram & satisfactionem Militiæ Suedicæ atque Hassiaca postulata ceperimus, dabimus operam, ut exhibeantur totius satisfactionis Articuli plenius adornati, prout Instrumento Pacis inseri debere videantur. Atque his Celsitudinem & Excellentias Vestras divinæ protectioni commendamus: Osnabrugis die 25. Novembris (5. Decembris) Anno 1646.

CXXVI.

Literæ CHRISTINÆ Suecorum Reginæ ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus Maximilianum Electorem Bavariæ conventioni de armistitio factæ renunciasse refert, eumque ne se

quæſitis ejusdem coloribus a fœderis ſecum initi ſanctitate ſeducipatiatur, ſed potius perfidiam in dicto Duce vindicet, amice hortatur, 1647.

Nos Chriſtina, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque deſignata Regina & Princeps hæreditaria, magna Princeps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ & Careliæ, Ingriæque Domina. Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Fratri, Conſanguineo, Amico & Fœderato Noſtro chariſſimo, Domino Ludovico XIV. eadem gratia Franciæ & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo &c. Salutem, proſperosque rerum ſucceſſus!

SEreniſſime & Potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, Amice & fœderate chariſſime. De nullius Principum Germaniæ affectu, in cauſam communem dubitandi majores Nobis unquam extitere rationes, quam de Electoris Bavarici animo applicando communis rei ac Regnorum utrinque Noſtrorum. Tot enim tantisque nexibus jungitur Domui Auſtriacæ Princeps, ſuopte ingenio non Nobis tantum, ſed Vobis etiam infeſtus, ut hactenus maxima parte conſilia Domus Auſtriacæ per Germaniam, ſi non direxerit, particeps tamen fuerit & ſuſtinuerit, nullo habito nec conſanguinitatis, ſive vicinitatis, multo minus exterorum Regum reſpectu. Ideoque & divus Parens Noſter glorioſiſſimæ memoriæ, & Nos ejus exemplo ac rationibus motæ, nullius amicitiam minus affectavimus, facile animadvertentes, quicquid ſtudii, operæque in eo collatum fuiſſet, id ſi-

ne

ne fructu ac usu, & Nobis amicisque Nostris, fraudi ac nocumento futurum. Hæc licet Nobis non essent ignota, atque quoties Tractatuum cum Duce Bavariæ a Serenitatis Vestræ Ministris injiceretur mentio, jussimus Nostrates illos declinare; præterita tamen hyeme, cum exercituum Nostrorum Duces, Campimareschallus Noster, Dominus Wrangelius & Mareschallus Vester, Dominus de Turenne conjuncti in Franconia ac Suevia agerent, & ea occasione invaderent Bavariam, fixo illic pede, Bavarus nullo alio consilio sui tuendi reperto ad Tractatus accurrit, desertoque in speciem Imperatore, Armistitium Nobiscum, & cum Serenitate Vestra pepigit, Suo quoque Fratre Electore Colonienſi incluso, conditionibus sibi in præsens proficuis, & ut videri voluit pacificandæ Europæ non ineptis, duraturum usque ad generale Armistitium aut Pacem universalem, cum amplissimis promissis, se nihil studii operæque intermissurum, quo hæc obtineri possent. Annuinus hisce Tractatibus motæ autoritate Serenitatis Vestræ, & suasu Ministrorum Vestrorum, quicquid Tractatuum fuit Ulmæ concluſorum nostrarumque erat partium, ratihabentes executioni dari jussimus, transmisso ratificationis Nostræ solenni instrumento, & ante præscripti temporis exitum reddito, atque ut cuncta Majori sinceritate peragerentur, versis armis in hæreditarias Provincias Cæsaris, bellum omne a Limitibus Ejus transferri jusimus, ea spe, fore, ut Princeps ejus ætatis ac dignitatis datam fidem esset perseveraturus, præsertim cum ad Nos esset delatum, illum Le-

gatione ad Serenitatem Veſtram miſſa multa de ſuo candore & ſinceritate dixiſſe. Nos jam expectantes Ejusdem ratificationem, primo intelligimus, Electorem Colonienſem armiſtitio, quod primum acceptarat, renunciaſſe, nunc paulo poſt ipſum Electorem Bavariæ, miſis Literis ad Noſtrum Campimareſchallum, quo die ratificationem ſuam mittere debuiſſet, noſtra retenta armiſtitium repudiaſſe; quemadmodum & Nobis ille particulari Epiſtola id indigitavit atque hæc, & quæ illi reſponſa ſunt, Serenitas Veſtra, ex adjunctis exemplaribus in latinum translatis, cognoſcere poterit. De prætextibus infringendi armiſtitii ab eo excogitatis nihil dicimus, ſunt enim per ſe manifeſti, nec aliud quam quæſiti colores, & inſerviunt Nobis, ne in futurum amplius fidamus.

Hoc tamen Nos movet, quod armiſtitio Nobiscum inito renuncians, cum Veſtra Serenitate pactum conſervare videri vult, ac ſi technis Ipſius capi Serenitas Veſtra poſſet; cui, quod credat ſuis his artibus amicitiæ, fœderique & confidentiæ Noſtræ mutuæ aliquid detrimenti apportare poſſe. Nos itaque pro ſummo ſtudio, quo flagravimus, Noſtri conſervandi fœderis, confidentiæ & cooperationis cum Serenitate Veſtra in hoc bello adverſus Domum Auſtriacam & Ejus adhærentes, donec divini Numinis benignitate Pax univerſalis, juſta, decora, & tuta obtineri queat, longe meliora ac deſtinatis utrimque Noſtris accommodatiora ſperantes, non poſſumus non inſiſtere apud Serenitatem Veſtram, ut conjunctis Nobiscum ſtudiis, conſiliis & viribus, hanc a Bavaro Ejusque Fratre

acce-

Digitized by Google

acceptam injuriam vindicemus, reducto ſuo in Germaniam exercitu, quo Pacis tractatus nunc aliquo tempore non parum turbati, iterum inſtitui, & ſuos habere progreſſus queant; tunc, ne ſolæ relictæ & cautius magisque pro defenſione agere coactæ, deſerere hæreditarias Imperatoris Provincias, inde bello in ſolos Noſtros exercitus redundante, neceſſe habeamus. Hæc pro amicitia Noſtra communicare operæ pretium duximus, nullæ dubitantes, quin Veſtra Serenitas ſua ſponte in id inclinet, quod e re & ſtatu communi, tum etiam ex fœdere & amicitia Noſtra futurum judicaret, ac imprimis, ut hoſtes Noſtri ſentiant, nihil ſe poſſe, vel viribus, vel armis, quod ullo modo fœderis Noſtri & conjunctionis rationes infringat aut debilitet. Denique cum deſtituamur in præſens ordinario in Aula Veſtra Reſidente, juſimus Cubicularium Noſtrum generoſum Carolum Sopium, qui hoc tempore in Gallia moratur, hasce literas Noſtras Serenitati Veſtræ offerre, ac reſponſum ejusdem deſuper ſollicitare. De cætero Serenitatem Veſtram divinæ tutelæ ex animo commendamus. Dabantur in Regia noſtra Stockholmenſi die 24. Octobris Anno 1647.

CXXVII.

Litera paris cum præcedentibus tenoris a CHRISTINA, Suecorum Regina, ad ANNAM MARIAM MAURITIAM, Galliæ Reginam, exaratæ, 1647.

Nos Chriſtina, Dei gratia Suecorum deſignata Regina &c.

SErenisſima ac Potentisſima Princeps, Soror, Conſanguinea, Amica & fœderata charisſima;

Non

Non equidem præter, ſed contra expectationem Nobis accidit, quod Elector Bavariæ, pactis armiſtitii præterita hyeme Ulmæ ſolenniter initis, inter utramque Coronam Noſtram & ipſum, quo die ex promiſſo rata haberi deberet, renunciavit; Nobis multæ diffidendi cauſæ fuerunt, ideoque ſemper cum illo Principe declinandos Tractatus judicavimus; verum cum urgeremur per Veſtrates, aſſenſæ ſumus, & quod per Miniſtros utriusque Noſtrum transactum fuit, habuimus ratum, ratificationisque inſtrumentum in ſolenni forma transmiſimus, & reddendum curavimus tempeſtive: Recepimus vero Literas Electoris Armiſtitium renunciantes, ſcriptasque eo die, quo ratum haberi deberet. Neque mora ulla injecta, quin illico ſe hoſtem facto declararit, & Civitates Nobis traditas, Noſtroque præſidio inſeſſas aggreſſus ſit; ut hisce occupatis tanto commodius ad Veſtras acce-deret. Technas Principis ſenis & callidi obſervavimus in eo, quod videri vult cum Chriſtianiſſimo Rege Fratre & Fœderato Noſtro chariſſimo armiſtitium ſervare ſartum, nobiſcum rupto, ut diſſolvat rationes conjunctionis, & facilius ſingulos aggrediatur, ſuffultus Imperatoris ſubſidiis; Verum cum hæc ejus deſtinata neminem præteritorum & præſentium gnarum latere poſſint, rem omnem Chriſtianiſſimo Regi aperuimus, & certæ de ſuæ ac Veſtræ Serenitatis conſtanti affectu in rem communem ac Noſtram, imprimis conſervandi Nobiscum mutui fœderis confidimus, hanc Bavari iniquitatem non relictum iri inultam; ſed Serenitatem Veſtram technis ejus obſervatis, & pondera-

deratis id, quod Nobis est renunciatum, non aliter accepturam, interpretaturamque, quam si Christianissimo Regi fratri & fœderato Nostro renunciatum fuisset, quod bellum conjunctis viribus gestum, eodem tempore adpositum fuerit, & armistitium cum utroque Nostrum simul initum, a Nobis autoritatem Vestram sequentibus ratificatum & executioni datum, nec ulla in re contraventum, ut nonnisi cum utroque simul rumpi potuerit. Non detinebimus Serenitatem Vestram prolixioribus Literis, sed confisæ ejusdem constanti in Nos affectu divinum Numen veneramur, ut Serenitatem Vestram cum Regiis suis filiis, totoque Regno Galliæ salvam, incolumem & florentem diutissime conservet. Dabantur in Regia Nostra Stockholmensi die 24. Octobris, Anno 1647.

CXXVIII.

Literæ ejusdem tum proxime præinsertis argumenti ad JULIUM MAZARINUM, *amicorum Regis & moderandi Regiminis Gallici Principem, a* CHRISTINA *Suecorum Regina scriptæ, 1647.*

Christina, Dei gratia, Gothorum designata Regina &c.

ILlustrissime & Eminentissime Domine Cardinalis, Amice Nobis sincere dilecte. Non dubitamus ad aures Eminentiæ Vestræ famam de rupto rejectoque Armistitio Ulmensi ab Electore Coloniensi primum, & paulo post a Bavaro jam dudum perveniſſe; ut non sit operæ pretium onerare Eminentiam Vestram prolixiore ejus relatu. Scripsimus

pſimus de eo ad fratrem & fœderatum Noſtrum chariſimum, Regem Chriſtianiſimum, ejusque dilectiſimam Matrem, Reginam Regentem, Sororem Noſtram chariſimam, conqueſta de ſumma Bavari iniquitate, tam de technis atque aſtu dicti Bavariæ Electoris armiſtitium non Regi Chriſtianiſimo fœderato noſtro, ſed Nobis ſolis renunciantis, haud alio fine, quam ut Noſtra arma distrahat, mutuum amorem & conſiliorum conjunctionem diſſolvat & diffidentiæ cauſas excitet. Ideoque amice monuimus, ut Serenitas ejus bene ponderatis hisce Bavari præmeditatis in ipſo initio armiſtitii, & præteritis menſibus occultatis technis tanto ardentius hanc iniquitatem ulciſcatur, quanto is auſus eſt magis in utriusque Noſtrum ac mutuæ amicitiæ præjudicium id tentare ac aggredi. Res magis perſpicua eſt, quam ut indigeat declaratione, & ea Noſtra in Eminentia Veſtra collocata fiducia eſt, ut urgere illam velle ſpeciem habeat alicujus diffidentiæ. Commendamus ergo prudentiæ & affectui Eminentiæ Veſtræ in rem communem & proſperam, & Chriſtianiſimi Regis fratris & fœderati Noſtri, totum hoc negotium; & confidimus vos ita conſilia iſthic directuros, ut fœdus Noſtrum mutuum ſartum tectumque conſervetur, & hoſtis communis infidum conſilium in ipſum potiſimum redundet. Sæpe ante hac inter Noſtros & Chriſtianiſimi Regis Miniſtros ſermones inciderunt, de abſtrahendo Bavaro a partibus Domus Auſtriacæ, quod ille crederetur, hujus potentiam habere ſuſpectam, quod in partes contrarias putaretur inclinare. Suaſe-

re

re ſemper Miniſtri Gallici, ut ejus haberetur ratio, & cum præterita hyeme armiſtitii injiceretur mentio, Veſtrates valde inſtitere, ut Noſter Campi-Mareſchallus in Tractatus illos deſcenderet. Nos conſideratis arctisſimis ejus cum Domo Auſtriaca nexibus, & imprimis, quod tota ejus Dignitas & magnitudo ab Imperatore penderet, tum quod Princeps eſſet callidus & cautus, nihil dicens ex animi ſenſu, & cuncta tempori accommodare gnarus, declinavimus cum illo Principe Tractatus particulares omnes, nec voluimus Miniſtros Noſtros illis implicari, donec tandem hi Veſtratum hortatu & Senis Principis conteſtatione perſuaſi, ad hoc Ulmenſe Armiſtitium acceſſerint, deinde executioni dederint, noſtram ratificationem ſollicitarint, datamque in ampliſſima forma, & transmiſſam illi juſto ac præſcripto termino reddiderint; qua accepta ac retenta loco propriæ ratificationis literas miſit, renunciantes armiſtitium, eodemque momento urbes paulo ante ab ipſo Nobis traditas & noſtro præſidio inſeſſas hoſtiliter aggreſſus eſt; ſimulata pactorum obſervatione cum Rege Chriſtianisſimo, ut, Nobis inde rejectis, Gallica deinde præſidia commodius aggrederetur. Vix credimus toto hoc bello, adeoque multis vitiis obnoxio ſimile factum reperiri; Nam cætera qualicunque prætextu colorari poſſunt, hæc præmeditato conſilio facta, & ad decipiendum congeſta fuere. Confidimus ergo Eminentiæ Veſtræ prudentiæ & dexteritati, factum hoc Bavari in utriusque Coronæ præjudicium, ipſum non laturum impune; Sed ut conſilio & opera Veſtra, id quod No-

Digitized by Google

Nobis Bavarus renunciavit directe, Christianissimo Regi indirecte Armistitium, pro utrinque facto habeatur, & ad defendendas Civitates & castra occupata Vestræ cum nostris viribus conjungantur aut ad minimum cooperentur; id quod certo facturum Residens apud Nos Christianissimi Regis Fratris & fœderati Nostri certam Nobis spem fecit; neque Nos putamus, ea de re ambigendum, cum Nobis de constanti proposito Fratris & fœderati Nostri in conservanda firmitate fœderis nostri mutui, & vestra sinceritate ac prudentia, quæ sua perspicacia facile discutit istiusmodi nebulas, nulla dubitandi causa occurrat. Ideoque Eminentiam vestram divinæ protectioni commendantes, ex animo vovemus, ut diu superstes, salva & incolumis suo Regi ejusque Amicis consilio & opera adesse possit. Dabantur in Regia Nostra Stockholmensi 24. Octobris, Anno 1647.

CXXIX.

Literæ LUDOVICI XIV. Galliæ Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus inter ipsos ac Hispaniæ Regem Tractatum privatim concluſum esse conqueritur, ac ut Legato suo Extraordinario fidem in eis, quæ propositurus sit, habeant, rogat, 1648.

CHarissimi & Dilectissimi Socii ac Fœderati Nostri, tanta animi demiratione percepimus, quæ Monasterii trigesimo die Januarii acta sunt, ubi Deputatorum Vestrorum plurimi privato cuidam Tractatui cum Ministris Hispaniæ subsignarunt, ut intentioni ac Voluntati Vestræ hac in parte satis-

Digitized by Google

ſatisfactum ab Ipſis fuiſſe in animum Nobis inducere nequeamus : neve ullo modo dubitamus, quin ſimul ac ea Vobis innoteſcent, omnia remedia adhibituri ſitis, quibus obviam eatur iis, quæ cum ſummo tot ſolennium Tractatuum, quos ſtatus Veſter variis temporibus cum hoc Regno iniit, qui, ut pacis Tractatio pari paſſu procederet, & niſi conjunctim concluderetur, poſtulant, ſummo cum præjudicio conjuncta ſunt. Eo magis huic noſtræ ſinceritatis ac fidelitatis demonſtrationi confidimus, quod media optima, quæ a parte Noſtra ad Pacem promovendam adhibuimus, Vos minime lateant : quæ nihil in hoſtibus Noſtris effecerunt, quam ut tanto magis ab ea abhorrerent. In hisce Nos ad Extraordinarium Noſtrum Legatum in multis referimus, cui, ut Noſtro nomine Vobis tantarum rerum caſum proponeret, præcepimus, atque ut plenisſimam Ipſi fidem habeatis rogamus; Interea ut cœleſte Numen Vos, charisſimi & Dilectisſimi ſocii ac fœderati, protegat atque defendat, ſupplices precamur. Dabantur Pariſiis decimo & quarto die Februarii, 1648. ſubſignatum erat, Socius & fœderatus Veſter Ludovicus. Paulo infra, de Lomenie.

Inſcriptio autem hæc erat.

Chariſſimis & Dilectiſſimis Sociis ac fœderatis Noſtris, unitarum Belgii Provinciarum Dominis, Dom. Ordinibus Generalibus.

CXXX.

Litera, quas CHRISTINA, Regina Suecia, ad CONGREGATOS Osnabruga & Monaſterii

STATUUM S. R. IMPER. LEGATOS, de negata militi Suecico satisfactione agentes, scripsit, 1648.

Christina Dei gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designata Regina & Princeps hæreditaria, magna Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Domina.

REverendi, Illustres, Magnifici, Generosi atque spectabiles Domini, Nobis sincere dilecti. Postquam divus Parens Noster, pientissimæ atque glorioſissimæ memoriæ, plurimis injuriis provocatus, & magni momenti rationibus motus, ad sui, suorumque atque amicorum defensionem arma susscipere coactus fuisset, nihil habuit, prius, quam ut inter arma, & indultas a divina bengnitate victorias, res sua cum adversa parte controversa, & Status Romani Imperii, jam multos annos summo cum discrimine vicinorum turbatus, justis tutisque mediis componeretur, & pristino nitori ac quieti restitueretur; neque dubitandum de pii hujus ac prudentis consilii & intentionis certo effectu, nisi divino Numini placuisset, abrumpere optimi Parentis Nostri vitæ terminos, eoque modo permittere, ut cœpta Orbis Christiani conquassatio non modo protraheretur in hos multos annos, sed se quoque extenderet in vicina Regna & Respublicas, cum plurimorum florentium Statuum ruina & nominis Christiani summo discrimine atque dispendio. Nos hæredes ut Regni jurisque, sic belli atque oneris paterni, id unice ac impense intendimus, atque a Nostratibus, quibus rerum Nostrarum,

Digitized by Google

rum, imprimis Pacis ac belli curam per Germaniam commiſimus, intendi voluimus atque mandavimus, ut obſervatis rerum temporumque momentis, quaslibet occaſiones juſtas & æquas arriperent, tranquillitati Orbis Chriſtiani ac Romano Imperio, noſtro Regno, confœderatis noſtris atque aliis in bello ſuas partes agentibus, vetera jura amicitiæ ac quietis renovarent. Et quæ hisce motibus cauſam tribuerunt, aut animorum diſtractiones pepererunt, juſtis, æquis ac tutis rationibus ac mediis componerent, adſopitis iis omnibus, in quantum obtineri potuit, quæ diutius disjunctos & alienatos detinere animos diſſidentium poſſe viderentur. Non detinebimus Nos longa enarratione eorum, quæ acta antehac ſunt bello, quæ rerum facies fuit a tempore Pacis Pragenſis, & quæ ſubſecuta ſunt, quantum temporis, operæ & impendii inſumptum eſt, antequam præliminaria tractatuum Pacis haberi potuerunt; quantum ſtudii, laboris, induſtriæ impenſum eſt, in Ipſos Pacis Tractatus, ab omnibus iis, quorum aut res acta eſt, aut qui deputati negotio conficiendo fuere, cum nemo id accuratius norit, quam Vos ipſi, qui Principum Principaliumque Veſtrorum nomine tanto tempore graviſſimo huic & ponderoſiſſimo operi inſudaveritis. Nobis certe nihil magis curæ fuit, quam divina aſpirante clementia, firmam cum amicis & confœderatis Noſtris in & extra Imperium retinere amicitiam, & Paci publicæ ac Univerſali adaptatam intentionem, tum quoque ita moderari armorum fini, ut quocunque fortunæ curſu non impedirentur, ſed promoverentur Tractatus Pacis juſtæ

ſtæ & univerſalis, licet aliud intendi atque agi ab adverſa parte non difficulter animadverterimus. Nunc poſtquam ex relatu Noſtrorum Plenipotentiariorum intelleximus, pleraque omnia majoris momenti quæ bello cauſam dederunt, aut ex ipſo bello enata ſunt, mutuo aſſenſu maxima ſui parte adſopita & conventa, ſpes fit, ſi transactis inſiſtatur, & pauca, quæ ſuperſunt, leniore manu habeantur, cunctam malorum ſegetem brevi reſecari & pacem reſtabiliri poſſe, ut præter ſtipendiorum militi Noſtro debitorum ſolutionem, nonniſi pauca reſtare videantur. Id Nos maxime afficit hanc militis Noſtri ſatisfactionem invidioſe traduci, & non niſi convitia in Nos & militem Noſtrum, de Statu publico omnium benemeritum ſpargi, & adjunctis minis præter omne fas in deterius verti. Ideo quanquam non dubitemus, Plenipotentiarios Noſtros ſuum feciſſe facturosque officium, innocentiam & Noſtram & militis Noſtri perſpicue declarando, atque Jus & æquitatem poſtulati ac intentionis Noſtræ aſſerendo, ut iis non difficulter acquieſcere poſſemus; tamen cum omnia hucusque adeo probe ſucceſſerint, ut ſpes nunc affulgeat, non pacis tantum & quietis publicæ, ſed etiam conſolidationis animorum inter Nos, Regnumque noſtrum & confœderatos atque Imperatorem Statusque Imperii, id ex re viſum eſt eſſe, ut literis hisce Noſtris Plenipotentiariorum Noſtrorum aſſerta firmaremus, & quæ mens Noſtra ſit, circa militis Noſtri ſtipendia paucis explicaremus. Notum eſt & Vobis & univerſis rerum præſentium gnaris, militem Noſtrum ſine differentia, cujuscunque

, ſit

Digitized by Google

ſit generis, non tantum pro Noſtra, ſed communi Imperii ſalute, multis nunc retro annis pugnaſſe & ſummas difficultates ac labores, vulnera & pericula exantlaſſe, ſumma & admirabili cum conſtantia ac fortitudine, ut negligi aut tranſiliri ſine turpitudine aut infamia non poſſit. Haud equidem negari poteſt, Status Imperii diuturno bello exhauſtos, & florentes olim Provincias, cæſis hominibus atque animalibus, ferme in ſolitudinem redactas, per bellicas hoſpitationes, ſtativa, tranſitus atque excurſiones; At cum hi bellorum comites ſint, & ſi bella continuent, adhuc genio belli ejusdem comites futuri, nihil mirum, ſi durante bello arceri nequiverint; Neque in præſens tam anxie cogitandum, quomodo quis ſublevari difficultatibus & oneribus, quam quomodo malorum principia tolli poſſint, etiamſi id fieri nequeat, niſi grandi onere, quod ſpeciem mali habere neceſſe eſt. Cogitate vero & perpendite ſecundum Deum noſtro ſtudio & optima intentione; noſtri vero militis indefeſſo labore ac opera id contigiſſe Imperii Statibus felicitatis, ut ſopitis, quibus hactenus exagitati ſunt, litibus & controverſiis, coaleſcere cœperint, & magis coaleſcere poſſint, in conformitatem unius corporis atque conſilii. Neque tantopere æſtimate malorum ſenſum, quo affecti bello Status fuerunt, quam bona, quæ inde eveniunt: Siquidem Libertas publica Statuum Imperii, neque aliis rationibus olim acquiſita neque nunc conſervari potuerit. Idque a Vobis nomine Principum ac Principalium Veſtrorum ex parte obſervatum animadvertimus; dum militi Noſtro ſatisfactio-

Digitized by Google

nem quandam haud recuſatis in toto, ſed eandem ita acciſam & decurtatam offertis, aliis quoque adjectis clauſulis, ex quibus militum Noſtrorum multo citius diſtractio, quam ſatisfactio ſubſequi poſſit. Admonendi igitur ea de cauſa videmini, ut cunctis recte ponderatis, militis noſtri virtutem atque ſervitia non Nobis tantum, ſed magis Principibus ac Principalibus veſtris hactenus præſtita perpendatis, & ex eo quid æquum & juſtum, tum quid fieri poſſit & debeat, ſua lance libretis, atque exinde quid opus facto ſtatuatis. Quod ſi rem accuratius paulo examinare volueritis, non difficulter pro Veſtra prudentia deprehendetis conſilia contraria, ſpecie quidem forſan jucunda & læta, ſed tractatu difficilia, ipſoque eventu triſtia futura, ut quam viam elegeritis mitiorem, eandem fore magis lubricam & ſalebroſam actu ipſo ſentiatis. Nos optimo jure & propter ſumma militis noſtri præſtita ſervitia, tam Nobis, quam Statibus Imperii, magni æſtimamus ejusdem conſtanter exantlatos labores, & difficultates juſta recompenſatione dignas judicamus, & Vobis ſtatum conditionemque ejus optimo modo, commendamus; Neque tamen hanc Noſtram commendationem a Principibus & Principalibus Veſtris, aut a Vobis reputari volumus, quam cum juſta conſideratione æquitatis & præſentium rerum Veſtrarum, ut & meritorum militis Noſtri, & quid jure fieri poſſit ac debeat, æqua lance ponderentur; Merita enim militis & fructum conſervatæ libertatis publicæ in Imperium redundantem ex una parte æſtimari exoptamus, ex altera vero præſentem Principum & Principalium Veſtrorum conditio-

ditionem recte librari & ponderari æquum eſt, ne hæc ſupra modum oneretur, neve miles ſe neglectum, Jure quæratur, cujus rei juſtam & æquam rationem Vos habituros, & præſenti tempori adaptaturos haud ambigimus, ne vel Paci mora & executioni impedimentum injiciatur, vel ſub nimio onere Status ipſi ſuccumbant, quod prudentiſſimo Veſtro judicio relinquimus. Nos quidem ſuper quanti ratione hactenus fuimus ſollicitæ, ut utriusque æquus reſpectus haberetur, verum poſtquam eousq; Pacis negotiationem deductam animadvertimus, non poſſumus non & militem ad æqua poſtulata hortari & Vobis autores eſſe, ut ejus merita denique pacem ipſam, quæ ſine militis juſta ſatisfactione nunquam haberi poterit, expendatis, atque in eo tam promptos Vos exhibeatis, quam non dubitamus Pacem a Statibus ipſis & vobis ſummopere deſiderari & exoptari. Nihil erit in Nobis moræ aut impedimenti, quo minus Pax exoptata, & tranquillitas univerſalis, tot annos jam exulans, divina aſpirante clementia, rurſus refloreſcat, ac ſi quid amplius ad illum ſcopum contribuere poterimus, opere & conſilio nihil ſumus ſtudii Noſtri intermiſſuræ, Deum Optimum Maximum animitus precantes, ut voto Noſtro annuat, & veſtris conſiliis, laboribus atque induſtriæ dignos effectus largiatur. His vos Deo commendamus. Dabamus in arce Noſtra Stockholmenſi die 17. Junii 1648.

Chriſtina.

Superſcriptio.

Reverendis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis atque ſpectabilibus, nobis ſincere dilectis, Dominis Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum ad Tractatus Pacis Osnabrugæ & Monaſterii in Weſtphalia Deputatis Conſiliariis ac Legatis.

CXXXI.

Litera DN. BRUINII, Legati Hiſpanici, ad S.R. Imp. PRINCIPUM & STATUUM LEGATOS Pacis tractatibus in Weſtphalia conſummandis deſtinatos, quibus eos, ut modum enormibus Gallorum poſtulatis ponere ſtudeant, modeſte compellat. 1648.

Domini.

CUm intellexerim Dominum Servientium nuperrime Inſtrumentum Pacis, de quo Galliæ nomine cum Imperiali Majeſtate paciſci cupit (excluſis tamen ab ejus communicatione Cæſareis Legatis) ad Vos transmiſiſſe, eodemque tempore conatum fuiſſe, ſiniſtras quasdam impreſſiones circa Regis Clementiſſimi, Domini mei, ad quietem publicam, animum Vobis ingerere; petito in hunc finem a Domini Comitis de Penneranda abſentia prætextu, & ab hac erronea ſuppoſitione, quod nullus hic amplius ſufficienti ad Pacem Hiſpanicam tractandam facultate præditus ſuperſit, mearum partium eſſe duxi, oculis Veſtris ſubjicere, aut vobis in memoriam revocare eam Plenipotentiam, qua Dominus Comes de Penneranda, & Ego hactenus, uſi fuimus, illamque pariter, qua Domini Galliæ Legati uſi fuere, inter utrasque Partes Dominorum Me-

Digitized by Google

Mediatorum directione fuiſſe compoſitas & formatas, obſervata utrinque ad reciprocam contractuum ineundorum validitatem & integram contractantium ſatisfactionem in prædictis Plenipotentiis æqualitate, ut nuda lectione earundem Plenipotentiarum, quæ publice editæ, & in manus dictorum Dominorum Mediatorum extraditæ fuerunt, nec non ex mutua collatione ultra apparebit, unde perquam manifeſtum eſt, eandem prorſus penes me modo tractandi poteſtatem remanere, quæ me abſente apud Dominum Comitem de Penneranda remanſit, dum a die 9. Februarii ultimo præteriti ad 30. Martii in Belgio agerem & commorarer, & cum non ulterius ipſe ab hoc Conventu hodie diſtet, quam tunc ego diſtabam, nulla idcirco ſubeſſe potior ratio querelarum videtur, quam tunc temporis id ipſum quoad Dominum Longevillanum inferri poteſt, dum Domini ejus Collegæ ab illo ſejuncti eſſent: ſed quamvis ultima procuratio, ſeu Plenipotentia, quæ Domino Comiti de Penneranda, Mihique hactenus inſerviit, tunc pro me ſolo non ſufficeret, ipſiusque ſeparatione diſſolveretur, hoc tamen caſu uti poſſem alia mea præcedenti data 11. Junii Anno 1643. qua ſua Catholica Majeſtas mihi ſeparatim plenam & abſolutam poteſtatem tribuit ad audiendum, proponendum, tractandum, conferendum, capitulandum & paci ſubſcribendum, tum ad ea prædictam ſuam Majeſtatem obſtringendum, de quibus ego conveniſſem, fidem promiſſaque Regia oppignorando, ſeſe in forma debita, quocunque tempore, illa eadem approbaturam, ratihabituram & execu-

tioni, mandaturam, quæcunque a me gesta fuissent (ipsa sunt expressa & formalia Procurationis verba) quam sua Majestas sufficientem & nulli contradictioni obnoxiam existimat, quemadmodum suis Literis 2. Junii, Anni hujus 1648. datis declarat, quibus jubet Dominum Comitem a Penneranda ad Sereniſſimum Archiducem Leopoldum, & inde Hagam Comitis ad Dominos Provinciarum unitarum Status Generales proficiſci, intra quod itineris spatium unaque hebdomada & quovis triduo, certior reddi eorum omnium, quæ hic peraguntur, atque responsum subinde eodem temporis intervallo subministrare, nec non huc statim regredi, si ad concluſionem Pacisque subscriptionem res vergere videantur; Adeo ut non parum mirari liceat, Dominum Servientium in hanc assertionem prorupisse, quod nullus in hoc congressu amplius reperiatur, cui de pace Hiſpanica agendi facultas competat, & hinc manifeste eas intentiones, quas semper fovimus, a Pace aberrandi omnibus patere; quasi vero quispiam dubitet, ab annis integris unice per Galliam stetisse, quo minus Pacis concluſio iniretur, isque Tractatus absolveretur, qui magis emolumenti ipsi Galliæ collaturus sit, non aliis solum omnibus, quos ipsa instituit quovis tempore, sed qui inter quoscunque Principes Christianos peracti unquam fuere, conceſſis nempe iis omnibus, ex Noſtra parte, quæ a Nobis ejusdem Galliæ nomine, Domini Legati Generalium fœderati Belgii Ordinum, menſe Julio Anno 1646. petierant, & aliis adhuc supradictis, quæ a Nobis utique concedi ulterius efflagitaverant, quæ tamen omnia

omnia in caſſum abiere, adeo ut non modo ipſi Legati, ſed & eorum ſuperiores averſionem tandem Gallicam a Pace, nulla emendationis ſpe, plenarie cognoſcentes, & aliunde coacti Noſtrum procedendi modum ob ſuam ſingularem ſinceritatem deprædicare, eo adducti fuerunt, ut peculiarem ſuum cum Nobis Tractatum concluderent; nec ſolum antiqui Galliæ Fœderati hoc ſuæ a Pace declinationis, noſtræ vero in eam propenſionis Teſtimonium præbuere, ſed ipſi etiam Galliæ populi, totiusque Regni Parlamenta & Ordines, etſi prælibata tantum eorum ſuperficie, quæ polliciti fueramus, conqueſti ſunt de nimia præcipuorum quorundam Ejusdem Regni Miniſtrorum retinentia, quam hujusmodi Tractatuum Coronæ Galliæ adeo proficuorum omnibusque Chriſtianiſſimi Regis ſubditis neceſſariorum concluſioni opponebant, præter hujusmodi tam apertas rationes poterunt Dominationes Veſtræ earum recordari, quas modus procedendi Gallorum in Tractatibus cum Imperio Vobis abunde ſuppeditabit, ob mutationes quæ identidem ab ejus parte ſupervenerunt, cum finis quarundam petitionum ſuarum (licet jure merito poſtremæ ab omnibus cenſerentur, nullasq; amplius adjungendas ipſimet Galli aſſererent) eſſet, tamen tantum initium aliarum magis enormium tot admixtis dependentiis & connexitatibus, cum prætenſionibus aut indigenarum aut exterorum in Germania, tot machinationibus & peculiaribus Tractatibus, cum quibusdam Imperii membris, in totius corporis præjudicium, ut inde nihil ſperandum fuerit, præter confuſionem ex una parte, ex

alia

alia vero diviſionem, quam Dominus Servientius ulterius adhuc promovere velle videbitur, per excluſionis circuli Burgundici & cauſæ Sereniſſimi Ducis Lotharingiæ propoſitionem, quamvis uterque ab Imperio nulla ratione ſeu ſtatus, ſeu honoris, ſeu ſecuritatis, ſeu gratitudinis posſit ſeparari: inſiſtendo præterea, ne quis Imperii Princeps vel Status, quicunque ille ſit, ſeu generice ſeu ſpecifice, imo, ut nec ipſa Cæſarea Majeſtas Regi Catholico, Domino meo, quodcunque auxilii genus nullatenus poſſit ſubminiſtrare, quæ omnes prætenſiones ipſa Naturæ jura cum cæteris omnibus perimunt, libertatemque Imperii deſtruunt, cujus tamen patrocinium pro invaſionum, hoſtilitatumque ſuarum prætextu Gallia abſumpſit, multotiesque & ſolenniter conteſtata eſt, ſe nullam unquam compenſationem ob eas, quas Imperio illatura eſſet, ſuppetias prætenſuram, quin ſuas copias gratuito immiſſuram, propriisque expenſis, absque ullo Imperii onere ſuſtentaturam, tum ejusmodi libertate reſtituta revocaturam. Suæ quidem libertati vim illatam eſſe ſomniabat, quorum promiſſorum loco, majori ejusdem Imperii parte devaſtata, aliam ſibi reſervare prætendit, & in perpetuum ab eo divellere, quemadmodum alias eodem auxilii titulo tres Epiſcopatus, Tullenſem, Metenſem & Verodunenſem avulſit & retinuit. Nec dum ex eo damno ſatiata, quod per ſe ipſam Germaniæ inferebat, advocavit, impulit & ſuſtentavit Coronæ Sveciæ vires, Societatem cum ea ineundo, ut cum illa utique Imperii ſpolia divideret. Tum demum hodie, ut funditus evertat, magnis inſtantiis urget Domeſti-

Digitized by Google

meſticorum Principum, & omnimodo de eodem Imperio benemeritorum ſejunctionem, a quibus tamen ſolis poſſet deinceps in extremis ſuis anguſtiis opem aliquam expectare. Quod a Vobis peto, ut pro ſolita Veſtra prudentia, veſtroque in utilitatem & conſervationem dulciſſimæ Patriæ zelo conſiderare velitis, & ſi lubet, id ipſum, quod in hac materia ſentio, toti illuſtri cœtui, cujus directio penes Vos eſt, communicare, aliqua ſpe fretus, eum qui mihi alias contingit, honorem, meum etiam ſuffragium in eodem percelebri Collegio emittendi Ratisbonæ & Francofurti, majorem mihi fidem conciliaturum, ob eam, quam habere poteſtis notitiam rectitudinis, actionum mearum & ſingularis reverentiæ, quam ſemper Vobis exhibui, a qua nunquam receſſurus ſum, nec a voluntate conteſtandi quam vere ſim

Dominationum Veſtrarum

Monaſterii Weſtphalorum die
24. 14. Jul. An. 1648.

Obſervantiſſimus

A. Bruin.

CXXXII.

Litera a STATUUM S. R. IMP. ad generales Pacis tractatus DEPUTATIS CONSILIARIIS ET LEGATIS, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem exaratæ, quibus ipſi mentem, ſuam circa ſatisfactionem a Gallicis Plenipotentiariis deſideratam, declarant, 1648.

Sere-

Digitized by Google

Serenisſime, Potentisſime & Chriſtianisſime Rex.

DIuturno ac ſalutari Pacificationis opere, divina favente Clementia, eo perducto, ut quantum Cæſaream & Regiam Majeſtates concernit, omnibus ſuis numeris ſit abſolutum, colophonem ei Gallicorum negotiorum perfectione imponere, atque publicis calamitatibus, quibuscum Germania tam miſere hucusque conflictata eſt, finem facere contendentibus, obſtitit Nobis, præter ſpem & expectationem, ſatisfactionis Gallicæ, ante annum circiter Monaſterii inter Cæſareæ & Regiæ Veſtræ MajeſtatisPlenipotentiarios inita conventio. Quis ſcopus, aut quæ intentio armorum Gallicorum ab initio horum motuum fuerit, publica literarum, nec unquam intermoritura loquuntur monumenta. Nimirum nihil aliud, quam ut Statibus Romani Imperii ſua jura, Dominia atque Libertates, in quibus illa ſecuritati tam Imperii, quam Vicinorum Præſidii non parum collocavit, reſtituantur, atque eo modo ſarta tecta maneant, quo ante hos motus conſtitere; Nec tamen renuimus, quin præter tres illos Epiſcopatus, Metenſem, Tullenſem & Verodunenſem, quatenus illi cum territoriis aut diſtrictibus eorum ante hos motus poſſeſſi fuerunt, etiam quantum in Nobiliſſima Germaniæ Provincia Alſatia, Domus Auſtriaca hactenus hæreditarie poſſedit, ſatisfactionis loco cedat; ut tamen omnibus & quovis tempore conſtare de hac Noſtra voluntate queat, ſcripto eam comprehendimus, itaque Regiæ Majeſtatis Veſtræ Plenipotentiario,

Digitized by Google

tiario, Illuſtriſſimo Domino Comiti de Servient. &c. per manus Excellentiſſimi Domini Salvii tradi fecimus. Verum ut juxta tenorem adjunctæ copiæ Ipſi ſatisfactionis contextui generalius loquenti declarationem hanc Noſtram & conſenſum adderet, impetrare ab ipſo, defectum mandati jugiter allegante, non potuimus, dehinc autem non exigua negotio Pacificationis remora injecta eſt. Unde rem omnem ad Regiam Majeſtatem Veſtram perferre, neceſſarium eſſe duximus, nulli dubitantes, quin conſenſum hunc Noſtrum æquitati conſentaneum ita comprehenſura ſit, ut deſiderari a Nobis hac in parte ulterius nihil queat. Sane quemadmodum Domini Cæſareani, ſeſe plus juris, quam Domui Auſtriacæ in Alſatia hactenus competiit & olim Epiſcopi in prædictis Epiſcopatibus poſſederunt, in Coronam Galliæ, neque transferri voluiſſe, neque potuiſſe ſerio affirmant, eoque nomine ad fidem Protocollorum provocant; Ita nec in Noſtra ſitum eſt poteſtate ulli Conſtatuum Imperii præripere, quæ neque Nobis accepta ferunt, neque precario, ſed jure ſuo poſſident. Idque ut ſperamus tanto minus Regia Majeſtas Veſtra a Nobis exiget, quo magis compertum exploratumque habemus, eandem ſumpſiſſe arma non ad infringendum, ſed recuperandum & reſervandum jura Imperii & Statuum, ceu amicorum & ex parte Confœderatorum Coronæ Galliæ. Ut igitur Tractatus Pacis eo citius ad optatum perduci finem, & patria Noſtra ex diuturnis bellorum tempeſtatibus in portum tranquillitatis venire queat, pro ea, qua publici boni gratia urgemur fide & ſolli-

ſollicitudine, communi omnium Ordinum ac Statuum Imperii nomine certo confidimus & rogamus, ut Regia Veſtra Majeſtas immutabili huic declarationi, utpote Legibus Imperii, Juribus Statuum, intentioni Dominorum Cæſareanorum & promiſſionibus Regiis per literas & Legatos ſæpiſſime iteratis omnimodo conformi, locum relinquat, nec contra illam ſupra memoratam conventionem ullo modo extendi patiatur, atque ita quod ſubinde palam profeſſa eſt, reipſa comprobet, nihil ſibi tranquillitate Orbis Chriſtiani prius eſſe, nihil antiquius. Nos nihil intermittemus eorum, quæ a Nobis conferri illuc poterunt, omniaque fauſta ac ſalutaria inſimul toto pectore apprecantes, quavis inter manus naſcente occaſione teſtatum reddere cupimus, quam ſimus

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Monaſterii die 19. 29. Septembr. 1648.

Humillimi & ad officia paratiſſimi

Sacri Rom. Imperii Electorum, Principum ac Statuum ad hoſce Generales Pacis Tractatus Deputati Conſiliarii & Legati.

CXXXIII.

Litera SENATUS POPULIQUE ANGLICANI nomine ad SENATUM HAMBURGENSEM exarata, quibus popularibus ſuis Hamburgi commorantibus, fidelitatis & homagii

Digitized by Google

magii Sacramentum præſtare ſibi per quosdam ipſius Ordinis homines non licere, impenſe querantur, 1649.

Senatus Populusque Anglicanus Amplisſimo Civitatis Hamburgenſis Senatui ſalutem.

PErſpecta nobis æquanimitas veſtra dubiis in rebus noſtris, facit nunc, ut ſane proſperis, ac bene geſtis, de veſtra voluntate, & amico in nos animo nequaquam dubitemus. Nos quidem, confecto jam pæne bello, & profligatis ubique Patriæ hoſtibus, nihil æquius, aut ad Pacem, Remque publicam ſtabiliendam firmius eſſe duximus, quam ut illi, qui vel libertatem, ductore ſemper Deo, per Nos adepti ſunt, vel vitam atque fortunas, poſt belli civilis facinora, noſtro dono atque gratia receperunt, nobis viciſſim ſuis Magiſtratibus fidem & officium, ſolenni, ſi opus eſſet, more teſtarentur atque præſtarent. Præſertim cum tot homines inquieti & inimici, ſemel atque iterum in fidem accepti, nullum neque domi neque foris perfidioſe agendi, novasque turbas excitandi finem faciant. Itaque formulam quandam ſponſionis perſcribendam curavimus, qua omnes, qui aut munus aliquod in Republica ſuſtinerent, aut Legum præſidio muniti incolumitate, otio, cæterisque vitæ commodis fruerentur, conceptis verbis ſe obſtringerent. Hanc etiam per omnes Colonias & quacunque gentium noſtri cives negotiandi cauſa agerent, mittendam cenſuimus; ut eorum quibus præficimur fidem, prout decet atque neceſſe eſt,

exploratam & cognitam habeamus. Quo magis mirari ſubit, quod ex urbe Veſtra mercatores Noſtri ſcribunt, ſibi mandata Noſtra per unum atque alterum Veſtri Ordinis exequi non licere. Sane quod potentiſſimæ fœderatorum in Belgio Provinciæ, ſuarum rerum & rationum conſultiſſimæ, nihil ad ſe pertinere exiſtimarunt, ſi peregrini ſcilicet Angli debitam ſuis domi Magiſtratibus in hæc vel illa verba fidem aſtringant, id quo pacto Veſtræ Civitati ſuſpectum aut moleſtum eſſe poſſit, fatemur plane nos neſcire. Verum hoc a privato quorundam ſive ſtudio ſive formidine profectum, quos errabundi quidam & pulſi Patria Scoti, minis dicuntur impuliſſe, ut mercatores noſtros a fide ſua nobis obliganda deterrerent, Civitati non imputamus. Interea tamen ſummo vos opere hortamur atque etiam rogamus (non enim mercatura jam, ſed Respublica ipſa agitur) ut ne quenquam apud vos patiamini, cujus hoc nihil poteſt intereſſe, autoritati, quam Nos in noſtros populares, non exterorum arbitrio aut judicio, ſed jure patrio obtinemus, ſuam quamcunque autoritatem interponere. Quis enim non ægre ferat, ſi Nos Veſtris hic Hamburgenſibus ſua erga vos fide interdiceremus. Valete. Dabantur 4. Januarii, 1649.

CXXXIV.

Literæ, quibus PARLAMENTUM REIPUBLICÆ ANGLIAE, PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem requirit, ut Antonio Aſcamo, nomine ſuo in Hiſpaniam tranſituro honeſtum ac tutum ad

ad ſe aditum, ac quo volet abeundi poteſtatem largiri dignetur, 1649.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi, Philippo Quarto, Hiſpaniarum Regi, Parlamentum Reipublicæ Angliæ ſalutem.

ANtonium Aſcamum Virum probum, eruditum & luculenta familia ortum, de rebus in commune tam Hiſpanorum quam Anglorum genti, ut ſpes eſt, valde utilibus, ad Majeſtatem Veſtram legamus. Quamobrem ut ei honeſtum iter, atque tutum in Urbem Regiam, ſicut moris eſt, nec non & reditum concedere & præſtare velis, parem referre gratiam parati officioſe petimus. Sin id minus placuerit, ut quæ Veſtra hac in parte ſit voluntas, ei quamprimum ſignificetur, utque tuto quo volet abeundi poteſtas fiat. Dab. 4. Febr. 1649.

CXXXV.

Literæ Credentiales a PARLAMENTO REIPUBLICÆ ANGLIAE ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem Antonio Aſcamo datæ, 1649.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Philippo IV. Hiſpaniarum Regi Parlamentum Reipulicæ Angliæ ſalutem.

QUis rerum Noſtrarum ſtatus ſit, quamque atrocibus injuriis ſubacti, ſumptis tandem armis capeſſendæ libertatis conſilium ceperimus,

Digitized by Google

conſtituta, qua nunc utimur, Reipublicæ forma, neque Majeſtatem Veſtram poteſt latere, neque alium quemvis, qui evulgata ſuper hac re ſcripta Noſtra æquo animo perlegerit. Nobis profecto fidem Noſtram, æquitatem, patientiam, teſtatam cunctis & probatam reddere, autoritatem etiam, honorem & decus Noſtrum adverſus infames exulum & perfugarum linguas tueri, apud idoneos rerum æſtimatores difficile non debet eſſe. Nunc quod exteratum nationum magis intereſt, deletis aut depreſſis Patriæ hoſtibus, Deo nempe mirifico adjuti ad pacem & amicitiam omni Imperio potiorem cum vicinis gentibus habendam paratos Nos eſſe palam atque ex animo profitemur. Has ob cauſas ſpectatæ ſolertiæ & probitatis Virum Antonium Aſchamum in Hiſpaniam ad Majeſtatem Veſtram miſimus; qui de amicitia deque ſolito inter utramque gentem commercio cum Majeſtate Veſtra agat; vel etiam ad novas pactiones, ſi ita viſum fuerit, de integro ſanciendas viam muniat. Huic igitur Veſtræ Majeſtatis adeundi copiam ut faciatis, ejusque incolumitati, nec non etiam honori, quoad iſto apud Vos munere perfuncturus eſt, velitis proſpicere rogamus: Ut & ea quæ a Nobis mandata habet, utrique genti, ut ſperamus profutura, libere exponat, & mentis veſtræ, qui ſenſus his de rebus ſit, nos quam primum certiores faciat. Weſtmonaſterio dat. Febr. IV. Anno MDCXLIX.

CXXXVI.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLI-

ANGLIÆ, ad JOHANNEM IV. Luſitaniæ Regem, cui adminiſtrandæ Reipublicæ ſuæ rationem ex parte mutatam eſſe, ſeque ad ipſum promovendi commercii & intercludendi defectoribus ſuis, piraticam exercentibus, refugii cauſa, Carolum Vane, fide digni Oratoris loco habendum, miſiſſe, referunt 1649.

Sereniſſimo Principi, Johanni Quarto Luſitaniæ Regi Parlamentum Reipublicæ Angliæ ſalutem.

MUlta nos & infidæ pacis, & inteſtini belli mala ultima perpeſſos, eo demum loci redactos fuiſſe, ut ſi ſalvam Rempublicam vellemus, ejus adminiſtrandi ratio magna ex parte immutanda eſſet, ex iis, quæ a nobis hac de re ſcripta publice & declarata ſunt, Majeſtati Veſtræ jam pridem notum eſſe arbitramur. Quibus ut par eſt, ſi fides potius haberetur, quam improbiſſimis perditorum hominum calumniis, ſane qui foris de rebus Noſtris peſſime jam ſentiunt, iis fortaſſe multo æquioribus uteremur. Nam quod Nos jure Noſtro proque gentilitia Anglorum libertate, recte & majorum more fortiter feciſſe contendimus, de eo pravas & obſtinatas nequiſſimorum hominum opiniones ex animis evellere, humanæ opis aut ingenii certe non eſt. Nunc autem quod Nobis cum nationibus externis commune, & in rem utrinque magis exiſtit, amicitiam & commercium, quod noſtris hominibus, cum vicina quacunque gente conſuevit eſſe, non imminutum ſed auctum atque ratum magnopere cupimus. Cum-

que Veſtro in Regno populares noſtri permagna, & per utrique genti quæſtuoſa habeant negotia, iis ne impedimentum aliquod aut incommodum afferatur, quantum in Nobis eſt, curabimus. Id vero prædicimus fruſtra fore, dum piratis & defectoribus Noſtris perfugium ſibi Veſtris in portubus reperire, & onerariis Anglorum navibus, vi captis atque direptis, bona civium noſtrorum ſub haſta vendere Oliſſipone, ut nuntiatur, permiſſum eſt. Huic malo, quo maturius occurratur, & de ea, quam petimus amicitia clarius ut conſtet, Nobiliſſimum Virum Carolum Vane Oratoris munere præditum cum mandatis atque diplomate, commiſſi ſibi muneris teſte, ad Majeſtatem Veſtram legavimus: Eum itaque benigne audire, fidem ei adhibere ejus denique incolumitati atque honori per omnes regni Veſtri fines, ut velis conſulere obteſtamur. Hæc omnia & Nobis pergrata, & Majeſtati Veſtræ, ſi forte uſus venerit, noſtra omnium officia mutua fore pollicemur, Weſtmonaſterio datæ 4. Febr. 1649.

CXXXVII.

Literæ SENATUS POPULIQUE ANGLICANI, ad SENATUM HAMBURGENSEM, quibus ſe mercatoribus ſuis Hamburgi degentibus, ut impoſterum meliori fide ibidem agant, mandaſſe nuntiant, utque popularibus ſuis contra perduellium Anglorum inſultus præſtent in urbe ſua præſidium, ſerio precantur, 1649.

Sena-

Senatus Populusque Anglicanus Amplissimo Civitatis Hamburgensis Senatui salutem.

QUam diu, quamque multis de causis instituta a majoribus Nostris cum amplissima civitate Vestra amicitia in hunc usque diem permanserit, & vobiscum una libenter agnoscimus, & sæpius etiam recolere non est molestum. De eo autem quod ex literis Vestris 25. Junii datis intelligimus, homines quosdam Nostros non ea, qua soliti sunt fide ac probitate in suis apud vos negotiis versari, nos quidem ad certos ejusmodi rerum peritos statim retulimus, ut in lanarios, cæterosque panni opifices acrius inquirerent; eamque porro operam daturos nos esse pollicemur, ut & æqui bonique studium apud Nos, & nostra omnia erga vos officia constare sentiatis. Verum & quiddam est, quod etiam a Vobis vicissim, non nos duntaxat, sed ipsum jus & fas omne postulat; ut nostræ gentis mercatoribus, vestris hospitibus & sua privilegia conservare, & eorum vitam atque fortunas, prout ea civitate dignum est, vestris opibus defendere velitis. Quod, ut prioribus literis enixe petivimus, ita nunc etiam ut vehementius efflagitemus, faciunt quotidianæ mercatorum querelæ, quas ad Nos deferunt, suam nimirum salutem atque rem omnem rursus apud Vos in dubio esse. Quamvis enim literarum nostrarum, quas pridem ad Vos dedimus, fructum aliquem ad tempus percepisse se fateantur, & ab injuriis nefariorum hominum aliquantum respirasse, nunc tamen post adventum

Digitized by Google

Cochrani illius in Urbem Veſtram (de quo etiam prius queſti ſumus) qui mandatam jam ſibi a Carolo defuncti nuper Regis filio legationem neſcio quam prædicat, ſe omnibus contumeliis, minis, armis etiam ſicariorum petitos ſolita veſtra defenſione atque tutela caruiſſe. Adeo ut cum unus atque alter e mercatoribus cum ipſo etiam Societatis Præfecto, in navem quandam prædatoriam per inſidias abducti eſſent, cæterique Veſtram fidem implorarent, a vobis tamen nullum auxilium impetrare potuerint, donec ipſi ſuo marte Mercatores, non ſine magno ſuorum diſcrimine, captos in eo flumine, cujus Veſtra urbs domina eſt, ex latronum manibus eripere cogerentur. Quos cum illi bonis auſpiciis domum reduxiſſent, & ab indigna ſervitute veluti manu aſſeruiſſent, captos etiam piratas ipſos in cuſtodiam dediſſent, Cochranum illum perfugam & perduellem eo audaciæ proceſſiſſe accepimus, ut & prædatores dimitti liberos & mercatores tradi ſibi vinctos poſtulet. Vos autem etiam atque etiam exhortamur & obteſtamur, ſi pactiones & fœdera, & pervetuſtum utriusq; gentis commercium, id quod petitis, inviolate ſervari ſtudetis, ut noſtri certum aliquod atque firmum ſibi præſidium in Veſtra fide, prudentia, autoritate collocare demum poſſint; Vos autem uti eos his de rebus benigne audiatis, tam de Cochrano, cæterisque ſceleris illius ſociis, quam de iis, qui nuper in Concionatorem, impune adhuc impetum fecerunt, ſupplicium ſumere velitis, aut e finibus exire jubeatis. Neque pulſos atque exules Tarquinios amicitiæ atque opibus populi Anglica-

glicani anteferendos existimetis. Si enim per Vos non steterit, quo minus Reipublicæ nostræ hostes quidvis licere sibi contra nos in urbe vestra confidant, quam non tuta aut honesta amplius nostrorum ibi commoratio sit, vos cum animis vestris cogitate. Hæc Vestræ prudentiæ & æquitati; Vos ipsos Divino Numini commendatos volumus. Valete. Dat. Westmonasterio, die 10. August. 1649.

CXXXIIX.

Litera CHRISTINÆ, Suecorum Reginæ, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus eos, ne quicquam fœderi inter Sueciæ Regnum & eorum Rempublicam inito, ejusque genuino scopo ac suæ expectationi contrarium committi patiantur, solicite hortatur, 1649.

NOs Christina Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque &c. (tot. tit.) designata Regina & Princeps hæreditaria &c. &c. Celsis & Potentibus bonis Amicis & Fœderatis Nostris, Dominis Ordinibus Generalibus uniti Belgii salutem & prosperos rerum successus. Celsi & Potentes, boni Amici & Fœderati. Non dubitamus, quin literæ Nostræ, die 31. Augusti nuper elapsi mensis ad Vos perscriptæ, in manus Vestras recte pervenerint, ad quas responsum Vestrum primo quoque tempore præstolamur. Appulit hic secundum mandatum Nostrum diebus hisce Residens apud Vos Noster Petrus Spiringius Silbercrona Nobisque resolutionem Vestram, super fa-

cta a ſe de fœdere Danico propoſitione ſcripto comprehenſam humillime obtulit. Quæ cum præ ſe ferat, conſtitutum Vobis eſſe, nullum admittere vel inire fœdus defenſivum cum Sereniſſimo Daniæ Rege, illis, quæ Nobis aliisve Regibus ac Potentibus vobiscum intercedunt, adverſum, grata quidem Nobis fuit hæc, & annexa illi animi Veſtri Declaratio, in amicitia Nobiscum colenda perſiſtendi. Ea vero cum nonnihil dubia & obſcura Nobis viſa ſit, neque expectationi Noſtræ, quæ de intentione in hac re Veſtra cupimus certiores fieri, & explicite de ea informari, ſatisfaciat, quin potius e re & uſu utriusque Noſtrum atque imprimis conſervatione fœderis Noſtri mutui, & obtinenda ejus intentione, eſſe judicemus, ut collatis utrinque conſiliis Noſtra, & Vobis Veſtra, circa negotium prætactum fœderis, ſententia indilate aperiatur. Conſtitueramus Eundem Reſidentem Noſtrum illico ad Vos certis cum mandatis & accepta juſta & ſufficienti de mente Noſtra informatione expedire, ſed cum per incommodam valetudinem tam celeriter iter reditumque ad Vos ſuum maturare is nequeat, alium quempiam Miniſtrorum Noſtrorum, qui Vobis animi Noſtri de toto hoc negotio ſenſa coram exponat, & quæ ſint circa idem Veſtra, deſuper referat, hisce diebus amandabimus. Interea literis hisce Noſtris denuo Vos adeundos & præmonendos eſſe cenſuimus, ne quicquam committatur fœderi Noſtro mutuo ejusque genuino ſcopo & expectationi noſtræ diſſonum, quin potius differatur negotium, usque dum fidelis communicatio per miniſtrum præfatum

fatum inſtitui Vobiscum poterit. Neque enim comprehendere animo aut aſſequi poſſumus, qua ratione ac fundamento comparari invicem nonnulli utriusque fœderis articuli queant. Et metuendum inſuper eſt ex reductione vectigalis Oreſundici, ejusve occaſione, Nobis atque ſubditis Noſtris contra jura & Privilegia Noſtra, nec non receptam conſuetudinem, ipſaque adeo Regnorum pacta, intolerabile præjudicium, vel actutum vel temporis lapſu creatum iri. Quæ, ut cætera incommoda in præſens taceamus, cum prudentia Veſtra, re adhuc ſalva præcaveri poterint, certo Vobis confidimus, ut æquam horum rationem habeatis, nec cauſam Nobis ſuppeditetis de obtorta aliqua fœderis Noſtri mutui interpretatione impoſterum querendi, vel turbatores tam ſanctarum legum jure merito reconveniendi. Apud Vos non attinet hæc prolixius commemorare, qui Nobiscum juxta probe noveritis rerum Noſtrarum ſtatum æque ac Veſtrum, ex inſperata aliqua fœderis mutui ruptura non mediocriter adfici, nec ullam Nos cauſam Vobis præbuiſſe, de re Nobis invicem comuni tam adverſum in modum ſtatuendi. Si quæ minutiora inter privatos ſubinde obrepſerint, invidiæ quantillum obnoxia, ea ſane apud Nos firmam fœderis conſiſtentiam haud quaquam debilitabunt, & ægre pariter adducimur, ut, quod apud Vos id efficere poſſint credamus. Quibus Vos Divinæ Protectioni amice commendamus. Dabantur in Regia Noſtra Stockholmenſi, die 11. Octobris, 1649.

Veſtra bona amica & fœderata

Chriſtina.

CXXXIX.

CXXXIX.

Literæ commendatitiæ, a JOHANNE GEORGIO I. Saxonum Electore, Domino de Schoenburgk, ad CAROLUM III. Mantuæ Ducem traditæ, 1650.

P. P.

AD Nos perlatum eſt, juvenem generoſum, Vaſallum & ſubditum Noſtrum, Dominum Johannem Erneſtum a Schoenburgk, Dynaſtam in Glauche & Waldenburgk &c. una cum Johanne Erneſto de Milkau & Chriſtiano Ludovico morum directore, in Dilectionis Veſtræ Ducatu prope oppidulum Altare, non ita longe a Reipublicæ Genuenſis territorio diſſitum, die 2. Novembris præteriti anni a quibusdam nebulonibus & prædonibus in primo ætatis flore ſæviſſimis manibus improviſo interceptum, transfoſſum, trucidatum & ſpoliatum eſſe. Sicut igitur immaturam hanc mortem propter juvenum innocentiam, aggreſſorum nequitiam, Parentum, quorum unici fuerunt filii, vicem & affectionem graviter dolemus; ita intermittere non potuimus, quin genitori prædicti Domini a Schoenburgk &c. Literis Noſtris commendatitiis, quas ſubmiſſe petiit, in miſerando & luctuoſo hoc ſtatu ſubveniamus. Proinde pro ea quæ Noſtris anteceſſoribus & Nobis cum Dilectionis Veſtræ Domo Sereniſſima multis abhinc annis interceſſit familiaritate & amicitia, imo & pro nominis ſui Excellentia & effuſi ſanguinis humani atque Chriſtiani dignitate peramanter rogamus, ut in peſſimum id genus hominum

Digitized by Google

num inquirere & nefandum iſtud ſcelus ac facinus, quantum fieri poteſt, modis omnibus perſequi, punire & ulciſci velit. Id erit æquum, juſtum & pium & tanto Principe dignum, ejusque cæteris egregiis factis par & laudabile. Si quoque Noſtras hasce literas aliquid ponderis apud Dilectionem Veſtram habuiſſe intellexerimus, id oblata occaſione amice demereri, & cuncta quæ ab animo proficiſci poſſunt optimo, ſtudia deferre, nunquam intermittemus. Interim Dilectionem Veſtram quæ prædictum Dominum a Schoenburgk pro præſtito ſibi beneficio ad perpetuam gratitudinem devinciet, ſalvere & cum ſuis recte valere cupimus. Dabantur Dresdæ, die 20. Januarii, MDCL.

CXL.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLIÆ, ad SENATUM GEDANENSEM, quibus ab eo, ne tributum mercatoribus Anglis a Magno Polonorum Concilio in urbe ſua imperari permittat, obnixe contendit, 1650.

Illuſtri & Magnifico Civitatis Gedanenſis Senatui.

Magnifici atque Amplisſimi Domini, Amici Chariſſimi.

FRequentes ad Nos literæ Mercatorum noſtrorum, qui Boruſſiæ per oram negotiantur, allatæ ſunt, quibus tributum grave quoddam & inſolitum nuper in magno Polonorum Concilio imponi

poni ſibi queruntur; ut decimam ſcilicet facultatum ſuarum omnium partem ſublevando Scotorum Regi, noſtro hoſti ſuppeditarent. Quod cum juri gentium contrarium plane ſit, tractari hunc in modum hoſpites & mercatores, iniquiſſimum etiam, ut cujus Tyrannide ſint domi, divina ope, liberati eidem in aliena Republica ſtipendia perſolvere cogerentur, non dubitamus, quin pro illa libertate, qua frui vos intelligimus, tam grave onus mercatoribus imperari in urbe veſtra pati nolitis; in qua amicitiam & commercium, nec ſine magno Veſtræ civitatis emolumento, per tot annos habuere. Si eſt igitur, ut noſtrorum hominum apud vos mercaturam facientium tutelam ſuſcipere velitis, quod quidem cum ab æquitate & prudentia veſtra, tum etiam a dignitate ſplendidiſſimæ urbis haud dubitanter expectamus, eam operam dabimus, ut gratiſſimum id eſſe nobis omni tempore ſentiatis, quoties in ditione noſtra Gedanenſes vel negotia habuerint, vel naves, quod ſæpe fit, ad portus noſtros appulerint. Weſtmonaſterio Dat. 6. Februar. 1650.

CXLI.

Literæ PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANAE, ad LEOPOLDUM, Ducem Auſtriæ, Provinciarum in Belgio Hiſpanico ſub Philippo IV. Præſidem, quibus eum, Janam Pucheringam, Virginem Anglicanam, a Walcio quodam prædatorium in modum in Belgium abductam, ut liberam ac incolumem domum redire ſinat, ſtudioſe rogant, 1650.

Sere-

Sereniſſimo Principi Leopoldo, Auſtriæ Archiduci, Provinciarum in Belgio ſub Philippo Rege Præſidi.

UT primum ad Nos non ſine graviſſima querela perlatum eſt, Janam Pucheringam illuſtri & opulenta familia puellam hæredem, cum adhuc propter ætatem ſub tutoribus eſſet, haud procul ea domo, in qua tum forte Grenovici agebat, de manibus & complexu famularum raptam fuiſſe, & parato ad id navigio in Flandriam ſubito deportatam, Walcii cujusdam inſidiis, qui per fas & nefas omnia molitus eſt, ut pupillam locupletem vel oſtenſo mortis metu, ad nubendum ſibi adigeret, huic tam atroci tamque inaudito ſceleri primo quoque tempore occurrendum eſſe rati, dedimus quibusdam negotium, ut cum præfectis Neoporti & Oſtendæ (nam in ea forte loca infelix illa dicebatur appulſa) agerent de ingenua raptoris manibus eripienda. Qui utrique pro ſua ſingulari humanitate & honeſti ſtudio, captivæ, perque latrocinium domo abductæ opem libenter tulerunt; illa vero ut prædatorum vim quoquo modo effugeret, in Cænobium votarum virginum veluti ſequeſtro depoſita eſt. Quam ut ille Walcius inde abduceret, actionem in foro eccleſiaſtico Iprenſis Epiſcopi de contracto ſecum matrimonio inſtituit. Veruntamen cum & raptor & rapta noſtrates omnino ſint, ipſum etiam facinus in noſtra ditione perpetratum, quod juratis teſtibus abunde liquet, hæreditas denique tam lauta, quam illum imprimis inhiaſſe conſtat, in noſtra poteſtate ſit,

hujus

hujus propterea cauſæ cognitionem totam atque judicium ad Nos duntaxat pertinere arbitramur. Veniat huc igitur qui ſe ſponſum nominat, ſuam hic litem inſtruat, quamque jure ſuam eſſe contendit uxorem, tradi ſibi poſtulet. Hoc interim a Celſitudine Veſtra vehementer petimus, quod & per noſtrum internuntium Bruxellis commorantem jam aliquoties petivimus, ut afflictam & indignis modis habitam puellam, honeſtis parentibus ortam, ſua ex patria prædatorium in modum abductam, quoad potes, liberam & incolumem redire domum ſinas. Hoc abs te non nos tantum, ſi quam Veſtræ Celſitudini parem a Nobis gratiam, parque beneficium reddi poſſe acciderit, ſed ipſa etiam humanitas, ipſe pudor, qui ad tuendum ſexus illius honorem & pudicitiam viris bonis atque fortibus ineſſe debet, junctis una precibus efflagitare videntur. Vale. Weſtmonaſterio, die 28. Martii, 1650.

CXLII.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANÆ, ad SENATUM HAMBURGENSEM datæ, quibus Richardo Bradshaw, Oratori ſuo, fidem haberi poſtulat, 1650.

Parlamentum Reipublicæ Anglicanæ, Ampliſſimo Civitatis Hamburgenſis Senatui Salutem.

Amplis-

Ampliſſimi, Magnifici & ſpectabiles Viri, Amici charisſimi.

DE controverſiis mercatorum, nonnullis etiam aliis de rebus, quæ Reipublicæ noſtræ dignationem aliquanto propius attingere videntur, ſcriptum inter Nos haud ſemel atque reſponſum eſt. Cum vero iſtiusmodi negotia ſolis literis confici vix poſſe intelligamus, eſſe autem a Carolo Stuarto immiſſos in urbem veſtram ſeditioſos quosdam, nulla re magis quam ſcelere atque audacia inſtructos, qui id agunt, ut noſtrorum hominum, quorum præſertim fides in Patriam perſpectior ſit, commercium tam vetuſtum in civitate veſtra funditus tollant, idcirco virum nobilem & ſpectatiſſimum Richardum Bradshaw noſtrum apud Vos Internuncium eſſe juſſimus: qui ſecundum ea, quæ a nobis mandata habet, de rebus iis atque negotiis, quæ cum utriusque Reipublicæ utilitatibus conjuncta ſunt, vobiscum uberius communicare & tranſigere poſſit. Hunc igitur ut benevole quamprimum audiatis rogamus; utque ei per omnia fides ea, isque honos habeatur, qui hujusmodi munus recte obeuntibus ubique gentium haberi ſolet. Valete. Weſtmonaſterio. Dat. 2. Aprilis 1650.

CXLIII.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE, quibus a JOHANNE IV. Luſitaniæ Rege, ut Odoardo Poppamo Claſſis, debellandæ ac captivandæ piratarum Anglorum in Luſitaniæ oris latitantium cohorti deſtinatæ Præfecto ferre

auxilium, & iſtam perſugarum colluviem pelli ditionibus ſuis jubere velit, amice contendunt, 1650.

Serenisſimo Principi Johanni Quarto Luſitaniæ Regi.

QUod Oratorem noſtrum & honorifice acceperit Majeſtas Veſtra & benigne ſtatim audierit, nullam interponendam eſſe moram ſtatuimus, quin alteris quamprimum literis noſtris intelligeres, gratisſimum id Nobis accidiſſe, nosque nihil ſanctius decreviſſe, quam pacem, amicitiam, commercium, quod nobis cum Nationibus plerisque exteris, & inter eas cum Luſitanis jamdiu eſt, nullo noſtro dicto aut facto, non prius laceſſiti, violare; nec alia mente aut conſilio claſſem Anglicanam Tagi fluminis ad oſtium miſiſſe, quam hoſtes jam toties fugatos perſequendi resque noſtras repetendi, quas per vim & proditionem ſuis dominis ablatas, colluvies iſta perfugarum veſtras in oras, ipſamque etiam Oliſſiponem tanquam ad certiſſimas latrocinii ſui nundinas aſportavit. Verum iſti homines cujus audaciæ, furoris & inſaniæ ſint, ex ipſorum moribus flagitioſiſſimis omnes jam pene Luſitanos abunde perſpexiſſe arbitramur. Quo facilius a Majeſtate Veſtra impetraturos nos eſſe confidimus, primum ut illuſtriſſimo viro Odoardo Poppamo, quem huic novæ claſſi præfecimus, quibus potes rebus ad prædatores hosce debellandos, adjumento eſſe velis, utque eos cum Duce ſuo, non hoſpites ſed piratas, non mercatores ſed commercii peſtes, jurisque gentium violatores, intra regni veſtri portus & munimenta diutius

Digitized by Google

tius consistere ne sinas; sed qua patent Lusitaniæ fines terra marique pelli jubeas: sin hoc minus, ut Nobis saltem pace Vestra liceat defectores nostros, & prædones propriis duntaxat viribus aggredi, &, si Deus dederit, in Nostram potestatem redigere. Hoc ut prioribus literis vehementer petivimus, sic jam idem studio maximo atque opere ab Majestate Vestra contendimus. Hac sive æquitate sive beneficio, non justitiæ solum tuæ famam per omnes gentes bene moratas adauxeris, sed & Nos imprimis populumque Anglicanum Lusitanis jam antea minime adversum, Tibi tuoque Populo majorem in modum devinxeris. Vale. Dat. Westmonasterio die 27. Aprilis 1650.

CXLIV.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE ad SENATUM CIVITATIS HAMBURGENSIS, quibus eum, ut oratorem suum, contra exulum suorum violentas manus tueri, & in hos serio animadvertere velit, denuo rogat, 1650.

Parlamentum Reipublicæ Anglicæ Amplissimo Civitatis Hamburgensis Senatui Salutem.

Amplissimi, Magnifici & spectabiles Viri, Amici charissimi.

STudia Vestra, quibus venientem ad Vos Residentem nostrum accepistis, tam propensa, tamque egregia extitisse, & libenter intelligimus, & in eadem erga nos voluntate atque animo perseverare velitis, magnopere hortamur. Idque eo

vehementius, quod perlatum ad Nos eſt, exules illos noſtros, de quibus jam ſæpe ſcripſimus, efferre ſe ſolito inſolentius in urbe Veſtra, nec contumelias ſolum, ſed & minas quasdam atrociſſimas in Oratorem Noſtrum palam projicere. Hujus itaque ſalutem atque etiam debitum honorem hisce rurſus literis commendatiſſimum vobis eſſe volumus. In illos autem perfugas & ſicarios, tam veteres quam recentes, ſi maturius animadvertetis & nobis gratiſſimum & autoritate atque prudentia veſtra dignum feceritis. Valete. Weſtmonaſterio, Datæ 31. Maj. 1650.

CXLV.

Literæ PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANÆ ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem, quibus Antonium Aſcamum, Oratorem ſuum, fœdo parricidio Madriti confoſſum eſſe graviter conqueruntur, utque de parricidis comprehenſis conveniens ſceleri ſupplicium ſumatur, precantur, 1650.

Philippo Quarto Hiſpaniarum Regi.

ANtonium Aſcamum a Nobis ad Majeſtatem Veſtram nuper miſſum Oratorem, eoque nomine a Præfectis, veſtris perhumaniter & publice acceptum, poſt itineris pericula tam longinqui, primo ſtatim adventu in Urbem regiam, omni præſidio nudatum, tam fœdo parricidio confoſſum in diverſorio quodam, & cum Johanne Baptiſta de Ripa ejus interprete mactatum eſſe magno ſane cum dolore accepimus. De illis autem parrici-

Digitized by Google

ricidis jam comprehenſis, ut fertur, & in cuſtodiam datis, qui non nos duntaxat per illius latera, ſed veſtram quoque fidem & honorem conſauciare ac pœne transfigere ſunt auſi, deque eorum quibuscunque hortatoribus ac ſociis ut ſupplicium tanto ſcelere dignum primo quoque tempore ſumatur, opere quam maximo a Majeſtate Veſtra petimus. Quanquam id nihilominus factum iri, quod petimus, utpote a Rege ſua ſponte pio atque juſto, etiamſi nemo peteret, non dubitamus. Quod reliquum eſt, ut corpus exanime amicis ſuis atq; famulis in patriam deportandum tradatur, utque eorum ſaluti, qui ſuperſunt, ea, qua par eſt, ratione conſultum atque proviſum tantiſper ſit, rogamus, donec reſponſo ad hasce literas, ſi fieri poteſt, ſecum ablato, veſtræ pietatis atque juſtitiæ teſtes ad nos quam primum redierint. Dat. Weſtmonaſterio 28. Junii 1650.

CXLVI.

Literæ, quibus CAROLUS EMANUEL II. Dux Sabaudiæ, JOH. GEORGIO I. Electori Saxoniæ, Adeleidem Henriettam, ſororem ſuam, Ferdinando Mariæ, Electori Bavariæ, matrimonii vinculis junctum iri nuntiat, 1650.

Sereniſſime Princeps, Elector ac Domine, Agnate colendiſſime.

MUneris Noſtri eſſe duximus, Sereniſſimam Veſtram Celſitudinem Electoralem, pro ſingulari, qua in eam profitemur obſervantia, initi conſilii participem facere de Domina Principiſſa Adelaide, ſorore mea chariſſima, Sereniſſimo Principi Bavarico primogenito matrimonii vinculis

jungenda. Cum enim novo iſto affinitatis nexu certum ſit arctiorem iri, quæ inter utramque inclytam Domum hactenus interceſſit ſanguinis, amoris & animorum conjunctionem, in commune utriusque incrementum, propagationem & gloriam. Plurimum afferet lætitiæ Sereniſſimæ Celſitudini Veſtræ Electorali Domum Sabaudicam multis retro ſeculis ſua agnatione gaudentem, proprio ſplendori illuſtrium affinitatum addidiſſe claritatem. Supereſt ut Celſitudo Veſtra cumulum Nobis addat gaudii optata benevolentia ſua, quam omni obſequiorum genere cupimus excolere. Datæ Auguſtæ Taurinorum die 15. Menſis Auguſti 1650.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

Propenſus Agnatus & deditiſſimus
ſervus
Emanuel.

CXLVII.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLIÆ ad FERDINANDUM II. Magnum Etruriæ Ducem exaratæ, cui pro favore popularibus ſuis exhibito gratias agit reciprocæ amoris & obſervantiæ officia ſpondet, 1651.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ Sereniſſimo Principi, Domino Ferdinando II. Magno Duci Etruriæ &c. Salutem.

LIteras Celſitudinis Veſtræ 22. April. 1651. Florentiæ datas & a Reſidente Veſtro Domino Almerico Salvetti, nobis redditas accepimus, in quibus anglico nomini quantopere faveat Celſitudo Ve-

Digitized by Google

Veſtra, gentemque eam quanti faciat facile perſpicimus, id quod non ſolum mercatores noſtri, qui in portubus veſtris multos jam annos negotiantur, verum etiam adoleſcentes quique noſtræ nationis nobiliſſimi atque honeſtiſſimi, qui veſtras per urbes aut iter fecere, aut excolendi ingenii cauſa commorati ſunt, teſtantur atque confirmant, quæ cum nobis pergrata ſane ſint & acceptiſſima, tum hoc etiam atque etiam petimus, ut quo animo, quoque ſtudio in Noſtros mercatores, aliosque Noſtræ Reipublicæ Cives Hetruſcam ditionem peragrantes, Serenitas Veſtra conſuevit eſſe, in eo velit perſeverare: nosque viciſſim pollicemur atque recipimus, quod ad Parlamentum attinet, nihil defuturum, quod & commercio & amicitiæ mutuæ, quæ inter utramque Gentem jam diu inveteravit, firmandæ ac ſtabiliendæ poſſit conducere, quam quidem omnibus utrinque humanitatis officiis, mutuaque obſervantia in perpetuum conſervari cupimus, atque optamus. Weſtmonaſterio Datis 20. Januarii 1651.

Subſcripſit & Parlamenti ſigillum
apponi fecit
Guilielmus Lenthal.
Prolocutor
Parlam. Reip. Angliæ.

CXLVIII.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE ad SENATUM HAMBURGENSEM, quibus a Reſidente ſuo illius ditionis juſtitiam aliquoties contra quosdam genti ſuæ inſidiantes ſine

debito effectu efflagitatam esse perfert, utque suos homines pro mutua amicitia cum Residente suo protegere, nominatim autem in quendam, Garmis nomine insignitum, animadvertere velit, amice monet, 1651.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, illustri & magnifico Civitatis Hamburgensis Senatui, salutem.

Amplissimi, magnifici & spectabiles Viri, Amici charissimi.

PArlamentum Reipublicæ Angliæ, cum antiquam amicitiam, mutuumque commercium, quod inter gentem Anglicam Vestramque civitatem est, continuatum magnopere vellet & conservatum, haud ita pridem Richardum Bradshaw armigerum Residentis munere præditum illuc misit, eique inter alia mandata eo spectantia disertis verbis mandavit, ut contra quosdam vestræ ditionis justitiam efflagitaret, qui Societatis Anglicæ concionatorem interficere sunt conati, quique Deputato & mercatoribus quibusdam illius Societatis præcipuis impias manus injecere, eosque in navem prædatoriam abduxerant, & quamvis prædictus Residens, cum exciperetur primum & audiretur, accepta ab hac Republica mandata illa sigillatim vobis nota fecerit, quibus justitiæ Vestræ exemplum in maleficos illos edendum expectabatur, tamen cum expectationi nostræ responsum non esse intelligeremus, illud nobiscum cogitantes, quanto in periculo & nostri homines & illorum facultates versarentur, si de incolumitate illorum

rum & tutela adverſus hoſtium malitiam & iniquos oppugnatores non ſatis proviſum eſſet, rurſus prædicto Reſidenti in mandatis dedimus, ut noſtrum ejus rei ſenſum repræſentaret: Utque hujus Reipublicæ nomine Vos, ut amicitiam & neceſſitudinem inter hanc Rempublicam veſtramque civitatem initam magnumque uſum, qui huic Reipublicæ cum Veſtra civitate intercedit conſervare, adeoque mercatores noſtros cum eorum privilegiis ſine ulla violatione protegere velitis, hortaretur; utque nominatim in quendam, cui nomen Garmes eſt, qui ſe in hanc Rempublicam contumelioſe geſſit, certosque ex Societate Mercatorum Anglica, Veſtra in Urbe commorantes, ad contumeliam hujus Reipublicæ magnamque Noſtrorum mercatorum moleſtiam in Spirenſem Cameram publice citavit: quare reparationem ejusmodi expectamus, quæ æquitati & juſtitiæ conſentanea eſt. De hisce capitibus & ſi quid amplius ad hujus Reipublicæ cum Veſtra civitate amicitiam pertinuerit, prædictum Reſidentem hujus Reipublicæ nomine ad Vos juſſimus accedere: cui, ut fidem amplam in iis, quæ huc ſpectantia propoſuerit, habeatis, rogamus. Weſtmonaſterio, Datis 12. Martii 1651.

Subſcripſit & Parlamenti ſigillum imprimendum curavit

Prolocutor
Parlam. Reipub. Angliæ.

CXLIX.

Literæ PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE, ad CHRISTINAM, Suecorum Re-

ginam, quibus acceptiſſima ſibi Oratorem & Literas ejus fuiſſe, ſeque præmaturam prædicti Oratoris mortem acerbe dolere nuntiant, 1651.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ Sereniſſimæ Chriſtinæ, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginæ &c. Salutem.

Sereniſſima Regina.

MAjeſtatis Veſtræ Literas ad Parlamentum Reipublicæ Angliæ 26 proxime elapſi Septembris Stockholmia datas per Petrum Spiering Silvercron accepimus & perlegimus: & veterem quidem amicitiam nec non commercium magnumque uſum, qui Anglis cum Suecorum gente antiquitus intercedit, permanere atque indies augere vehementer atque ex animo cupimus: Neque dubitamus, quin Legatus a Majeſtate Veſtra ampliter inſtructus venerit ad ea maxime proponenda, quæ in rem atque decus genti utrique futura imprimis fuiſſent, quæque Nos audire ex eo paratiſſimi fuiſſemus, & quod utrinque potiſſimum ſalubre atque utile videretur, id primo quoque tempore effectum reddidiſſe: Verum ſummo rerum Moderatori ita viſum eſt, ut is, antequam audiri ſe petiiſſet de iis, quæ Parlamento exponenda ab Majeſtate Veſtra in mandatis habebat, ex hac vita excederet (cujus quidem deſiderium ita ægre atque acerbe tulimus, ut qui ſimul in divina voluntate acquieſcere debeamus) ut & Majeſtatis Veſtræ quæ mens eſſet adhuc ſcire nequeamus, ejusque rei progreſſibus in præſens mora injecta ſit: Quocirca optimum nobis viſum eſt hisce Literis, quas miſſo hac ipſa de re nuntio noſtro, dedimus, ſignificare Veſtræ Maje-

by Google

Majeſtati, quam gratæ Literæ veſtræ quamque acceptus Veſter publicus miniſter Parlamento Reipublicæ Angliæ fuerit, ſimulque Majeſtatis Veſtræ amicitiam quantopere expectemus; quamque etiam, ut par eſt, tantæ principis amicitiam plurimi faciamus: deque illo quod inter hanc Rempublicam & Majeſtatis Veſtræ Regnum eſt commercio exaugendo ita exiſtimabimus, quemadmodum de re maximi utrobique momenti exiſtimare debemus: quod & ea de cauſa Parlamento Reipublicæ Angliæ acceptiſſimum erit. Adeoque Veſtram Majeſtatem divinæ tutelæ recommendare volumus: Quorum nomine & autoritate datis Weſtmonaſterio, Menſe Martio, Anno Dn. 1651.

Subſcripſit & Parlamenti Sigillum
imprimendum curavit
Prolocutor Parlamenti
Reipublicæ Angliæ.

CL.

Literæ PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem, quibus de novis tributis Mercatoribus Nationis ſuæ impoſitis & injuriis illis in portubus Hiſpanicis, nominatim autem in Inſulis Canariis illatis impenſe conqueritur, ac harum reparationem, illorum vero abrogationem obnixe ab eo efflagitat, 1651.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi Philippo Quarto Hiſpaniarum Regi.

PErmagnas Nobis querelas deferunt hujus Reipublicæ Mercatores, qui in ditionibus Majeſtatis

ſtatis Veſtræ mercaturam faciunt, de vi multa atque injuriis ſibi illatis, deque novis etiam tributis ſibi impoſitis a præfectis aliisque officialibus veſtrorum portuum & locorum, ubi negotia habent, & nominatim in Inſulis Canariis, idque contra fœderis articulos, quos commercii cauſa utraque natio inter ſe ſanxit. Quas eorum querelas veras eſſe jurejurando confirmavere. Nobisque demonſtrant, niſi jus ſuum obtinere posſint, ſuaque damna reſarciantur, niſi denique contra vim iſtiusmodi atque injurias præſidium aliquod certum, atque tutelam & ſibi & fortunis ſuis habituri ſint, non poſſe ſe amplius iis in locis negotiari. Quibus eorum querelis graviter a nobis perpenſis, cumque facta illorum Miniſtrorum iniqua, aut non omnino aut ſecus, quam res ſe habet, ad notitiam Veſtræ Majeſtatis perveniſſe exiſtimemus, viſum eſt nobis ipſas eorum querelas cum hiſce literis ad Majeſtatem Veſtram una mittere, nec dubitamus, quin Majeſtas Veſtra cum ipſius Juſtitiæ amore, tum etiam commercii cauſa, quod veſtris haud minus quam noſtris hominibus fructuoſum eſt, ſuis præcipere velit, ut ab iniquis illis noſtrorum vexationibus abſtineant, utque hujus gentis mercatores expetitam juſtitiam obtinere queant, nec non debitam earum injuriarum reparationem, quæ a Domino de Carillo de Guzmann, atque aliis illatæ ſibi ſunt, contra prædictos fœderis articulos, utque perficere velit Majeſtas Veſtra, ut prædicti mercatores fructum illorum articulorum percipere queant, in eaque veſtra tutela ſint, ut tam ipſi, quam fortunæ ſuæ ab omni injuria liberæ & incolumes

Digitized by Google

lumes esse possint. Hoc autem magna ex parte consecuturos se esse putant, si ademptam sibi illam de judice conservatore schedulam, qui eos a novo quodam consulatu in se quidem iniquiore defendat, Majestas Vestra rursus concesserit; ne si nullum ab injuria refugium sibi detur, abrumpi illud commercium, quod utrique genti commoda haud parva attulit, violatis hunc in modum fœderis articulis necesse sit. Westmonasterio, Mense Augusto, 1651.

CLI.

Literæ CONCILII STATUS PARLAMENTI REIP. ANGLIÆ ad DUCEM SENATUMQVE VENETUM, quibus inter Joannem Dickons & Jobum Throckmorton mercatores Anglos ex una, & Joannem Piattum mercatorem Venetum ex altera partibus, de centum doliis Caveari controversiam esse nuntiat, utque memoratum Piattum ad Curiam Ammiralatus Anglicani, ubi lis penderet, ad jus ex lege audiendum remittant, amice contendit, 1652.

Serenissimo Principi Venetiarum Duci,
Senatuique Celsissimo,
Concilium Status Parlamenti Reipublicæ
Angliæ Autoritate constitutum salutem.

Serenissime Princeps, Celsissime Senatus, Amici Charissimi.

MErcatores quidam Nostri, quorum alteri Jannes Dickons, alteri Job Throckmorton nomen est, simulque alii apud Nos questi sunt, quod cum

cum Novembris octavo & vigesimo 1651. ex jure & autoritate Curiæ nostræ Ammiralatus occupassent in navi Hirundine vulgo nuncupata, cui in Dunis consistenti Isaacus Taylor Magister erat, centum dolia Caveari vulgo dicti, quæ sua propria bona essent, inque sinu Moscovitico Archangeli dicto eandem in navem imposita; atque in ea Curia, prout lege agitur, decretum obtinuissent, quo dicta Caveari dolia sibi traderentur, fide sua prius interposita, se in illius Curiæ sententia acquieturos; quodque eadem curia, quo lis illa ad exitum perduceretur, cum pro more scripsisset ad Magistratus Judicesque Venetos, literas, quibus petebant uti Joannem Piattum (Veneta sub ditione degentem, qui Cavearum illum sibi vendicat) cirrent, quo re per procuratorem in Ammiralatus curia Anglica se sisteret, ubi lis ista pendet, jusque suum probaret, tamen idem Piattus, & quidam David Rutts Hollandus, dum causa hæc in nostro hic foro pendet, multum supradicto Joanni Dickons aliisque illis Mercatoribus de Cavearo isthoc negotium facessit; eorumque bona & facultates nexu occupandas Venetiis curat: quæ omnia singulatim, & quid hactenus in prædicta nostra curia sit actum, in literis illis requisitoriis fusius exponuntur; quas, postquam a nobis inspectæ essent, ad Serenissimam Venetiarum Rempublicam, ut Mercatoribus in hac causa adjumento esse possint, transmittendas censuimus; atque ab ea vehementer petimus, ut non solum illæ literæ vim suam atque pondus illic habere queant, sed etiam, ut bona illa & facultates Mercatorum, quas prædictus Piattus & David Rutts

nexu

nexu illigandas curarunt, liberentur; dictique rei ad noſtram hic curiam remittantur, quid ſui ſit Juris in hoc Cavearo ſibi vendicando lege experturi. Qua in re Celſitudo Veſtra & Sereniſſima Respublica fecerit & quod æquiſſimum in ſe eſt, & quod illibata utriusque Reipublicæ amicitia eſt dignum, quod denique, oblata quavis occaſione, pari hujus Reipublicæ benevolentia atque officiis compenſabitur. Datis ab Alba Aula die - - - Febr. 1652.

Subſcripſit & Concilii Sigillum imprimendum curavit

Concilii Præſes.

CLII.

Literæ PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANÆ, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, cui Regiminis in Anglia formam quidem, nihil vero amicitiæ, neceſſitudinis ac commercii cum vicinis Regibus ac Statibus mutatum, ſeque facile in ejus conſilia mutui commercii florem ſpectantia conſenſurum eſſe, refert, 1652.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, Sereniſſimo Principi, Friderico Tertio, Daniæ Regi &c. Salutem.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

LIteras Veſtræ Majeſtatis undevigeſimo proximi Decembris ad Parlamentum Reipublicæ Angliæ ab arce Regia Haphniæ datas per virum nobilem Henricum Willemſen Roſenwing de Lyſacker

cker accepimus, eoque animi affectu, quem res illic propoſitæ merentur, libentiſſime perlegimus, Veſtræque Majeſtati perſuaſum hoc eſſe cupimus, eundem animum, eadem veteris amicitiæ commercii, ac neceſſitudinis, quæ Angliæ cum Dania per tot annos intercesſit, continuandæ & conſervandæ ſtudia, quæ in Majeſtate Veſtra ſunt in Nobis quoque eſſe; haud neſcientes, quamvis divinæ Providentiæ viſum ſit gentem hanc tam benigne & placide reſpiciendi receptam apud nos prioris Regiminis formam in melius mutare, easdem tamen utrinque rationes, eadem in commune commoda, eundem mutuo uſum atque liberum commercium, quæ pactiones priores & fœdera inter utramque nationem pepererunt, etiamnum durare vimque priorem obtinere, utrasque etiam obligare, ut communem dent operam, Fœdera illa quam utiliſſima ſibi mutuo reddendo, ut amicitiam quoque propriorem ac ſtabiliorem indies reddant; cumque Veſtræ Majeſtati placuerit ea perſequi conſilia, quæ in literis Veſtris regiis ſcripta ſunt, Parlamentum eadem amplecti cum alacritate omni ac fide paratum erit, eaque omnia pro virili ſua parte conferre, quæ illum ad finem conducere arbitrabuntur, Sibique perſuadent, Majeſtatem Veſtram hac de cauſa, ea itidem conſilia capturam eſſe ad hanc rempublicam ſpectantia (cui etiam proviſum pactis prioribus eſt,) quæ ad haſce res facere poſſint ab Majeſtate Veſtra nobis tam cupientibus propoſitas. Parlamentum interea Majeſtati Veſtræ ac populo felicitatem proſperaque omnia precatur.

Digitized by Google

tur. Datis Weſtmonaſterio die - Aprıl. Anno Domini 1652.

Sub Sigillo Parlamenti ſubſcripſit ejus nomine atque autoritate

Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliæ.

CLIII.

Literæ PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLIAE, ad HANSEATICARUM CIVITATUM PROCONSULES AC SENATORES, quibus ſe eorum Legatum & fidei ipſius commiſſa propenſo animo excepiſſe, ac ſibi pergratam fore mutuæ inter gentem Anglicanam & eorum civitates neceſſitudinis & commerciorum continuationem nuntiat, 1652.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, Illuſtribus & magnificis Hanſeaticarum Civitatum Proconſulibus ac Senatoribus, Salutem.

Amplisſimi, magnifici & ſpectabiles Viri, amici charisſimi.

PArlamentum Reipublicæ Angliæ literas Veſtras ſexto decimo Januarii proxime elapſi datas, perque veſtrum publicum Miniſtrum Leonem ab Aizma allatas accepit atque perlegit, eumque ex earum autoritate audivit, qui & Veſtrarum Civitatum erga hanc Rempublicam propenſum & amicum animum expoſuit & antiqua illa inter easdem amicitia, ut porro maneat, petivit. Parlamentum itaque pro ſe teſtatur atque confirmat pergratum ſibi eſſe, priſtinam illam amicitiam atque neceſſi-

tudinem, quæ huic genti cum illis Civitatibus intercesſit, & renovari ratamque permanere, ſeque fore paratum, quavis occaſione commodum oblata, quod verbis in ſe recipit, id reipſa ſolide præſtare eademque fide & integritate antiqui illi amici & fœderati ſui, ut ſecum agant, expectat: quæ autem præterea Reſidens Veſter ſpeciatim in mandatis habuit, cum ea ad concilium Status integra a nobis remiſſa fuerint, quæque propoſuiſſet ibidem conſultata, reſponſum illic atque transactum cum eo ita fuit, prout quidque maxime cum æqualitate & ratione conſentire viſum eſt, quod & Reſidens Veſter renunciare ad Vos poterit: cujus prudentia & ſpectata probitas collata in eum a vobis publici muneris nota dignum prædicat. Weſtmonaſterio die - - Aprilis Anno Dn. 1652.

Sub Sigillo Parlamenti ſubſcripſit ejusque nomine & Autoritate

Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliæ.

CLIV.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE ad SENATUM HAMBURGENSEM, quibus ſe literas ejus debito ipſi favore accepiſſe refert, utque ſuo Reſidenti vicisſim paria amicitiæ documenta omni tempore exhibeat, amice rogat, 1652.

Parla-

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, Illuſtri & Magnifico Civitatis Hamburgenſis Senatui, Salutem.

Amplisſimi, Magnifici & ſpectabiles Viri, Amici charisſimi.

PArlamentum Reipublicæ Angliæ literas veſtras quinto decimo Januarii proximè elapſi Hamburgo datas, perque nobilem Virum, Dominum ab Aiſema, Veſtrum & cæterarum civitatum Hanſeaticarum Reſidentem allatas accepit atque perlegit, eumque ex earum autoritate audivit, & quæ amplius ab Veſtra civitate mandata ſpeciatim habuit, de iis ad Concilium Status remiſit, quibus ut exciperent, quæ ab eo proponerentur, deque iis, quæ juſta & æqua viderentur, cum eo quamprimum tranſigerent, autores fuimus; quod etiam exinde factum eſt. Utque Parlamentum earum rerum, quæ a vobis afferentur, debitam rationem ſemper ſe eſſe habiturum oſtendit, ſuumque erga veſtram civitatem ſingulare ſtudium, miſſo illuc Reſidente ſuo, ibique manere juſſo teſtatum reddidit; ita vicisſim expectat & merito quidem poſtulat a Vobis æqua reddi iis in rebus, quæ hujus Reipublicæ ex uſu, ab ſuo dicto Reſidente ſuoque nomine Veſtræ Civitati, antiquitus amicæ Nobis & fœderatæ, vel jam expoſita vel impoſterum exponenda erunt. Weſtmonaſterio, Datis die - - Aprilis Anno Domini 1652.

Sub ſigillo Parlamenti ſubſcripſit ejus nomine atque autoritate.

Prolocutor Parlamenti Reip. Angliæ.

Digitized by Google

CLV.

Literæ ab ARCHITALASSO TROMPIO ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES exaratæ, prælii navalis inter eorum & Anglicanam classes commissi circumstantias exponentes, 1652.

Præpotentes Domini.

NOvissimæ meæ fuerunt de 21. hujus Mensis per tabellarium, qui instructionem mihi attulerat. Hucusque per mare discurrimus, ad Mosam, Wielingam, Ostendam & Neoportum, ad vigesimum quartum ejusdem; Tunc præ nimia tempestate marisque æstu anchoris insidentes, usque ad 28. mane hinc inde fluctuabamus. Tempestate vero dicto die in tranquilliorem mutata, anchoris levatis velificantes, diversi Capitanei navium Directores prætoriam appellebant, conquerentes, anchoras & rudentes sese perdidisse, imo quibusdam non nisi binas anchoras cum duobus rudentibus superstites esse: Consultum igitur censebamus, recrudescente tempestate ad promontorium Douveranum tendere, ne naves perirent. Horula autem nobis adhuc a Duyns distantibus, Commendatorem Johannem Matthæi Vlissingensem, & Capitaneum Petrum Eldersen, ad Dominum Bournium Commendatorem navium Parlamenti in statione Duynensi, ablegavi, ut illum meis salutarent verbis, ipsique indicarent, animum nobis fuisse circiter oras nostras mare sulcare: Amissis vero per nimiam tempestatem quibusdam anchoris, Nos coactos fuisse, infra Douvram anchoris

Digitized by Google

ris inſiſtere, ut nobis invicem ſuccurreremus, quo peracto curſum noſtrum proſequi moliremur: Nihil aliud quoque in mandatis nos habere, quam ut onerarias naves & piſcatores hujus Status protegamus, & honorem Patriæ conſervemus, propterea nobis viſum fuiſſe, dicto Domino Commendatori id ipſum notum facere, ne in ſequiorem ſenſum adventum noſtrum aſſumat, qui maxima cum civilitate me reſalutari, gratiasque agi pro notificatione facta voluit. Vigeſimo nonō ejusdem hora ſecunda, expanſis velis, flante Aquilone, tempeſtate tranquilla navigabamus verſus Caletum, hac intentione, oras noſtras appellendi; appropinquantibus vero nobis Caleti promontorium obviam veniebat Capitaneus Gregorius a Zanen, Amſterodamenſis, cum Capitaneo Huyrluyt ex freto Gaditano, comitantes naves ſeptem ex præfato freto velificantes, ultra 50. auri tonnarum pretium æſtimatas, quas 28. die anchoris inſidentes in loco Vierley reliquerat, ubi 12. Patlamenti naves erant & diverſæ Celoces (vulgo Fregatten) illas ſpeculabantur. Ac quandoque dictus Georgius a Zanen 22. ejusdem circiter Goudſtaert Parlamenti celocibus adfuerat, quod propter demiſſionem velorum hoſtiliter ipſum exceperunt, adverſus quas ſeſe ſpatio duarum horarum defendens, celox ipſum deſeruerat; quapropter Commendator Huyrluyt & dictus a Zanen dubitaverant, ne naves Parlamenti ſeſe congregarent & propter dicta litigia ipſas una cum navibus onerariis invaderent, qua de cauſa ipſis conſultum videbatur, ut Georgius a Zanen quantocius claſſem maritimam inquire-

Digitized by Google

ret, ſtatumque navium indicaret, uti fecit metuens nimium, ne dictæ onerariæ naves jam ablatæ eſſent. Quapropter etiam me ſtatim eo recipiebam, ad illas protegendas & forſan jam ablatas, ſi fieri poſſet, liberandas, juxta Articulum 7. & 8. Inſtructionis meæ de 16. hujus Menſis, in via 15. Parlamenti naves reperimus tam majores quam celoces, & inter illas Admiralium quem compellare mihi propoſueram, contractis omnibus velis, exceptis duobus iſtis, quæ antennis applicari ſolent, quæ usque ad medium antennarum contraximus. Intra bombardæ jactum venientes, globos ferreos trans navem noſtram mittebat, Nos vero non reſpondebamus, ille adhuc tormentum ſemel diſplodebat, cui reſpondebamus, ſtatim ille nobis latus præſentabat inter ſclopeti fere jactum conſtitutus, transfodiens omnibus ſuis ad latus poſitis tormentis navem noſtram & vela, ubi multi brachiis & aliis mutilabantur membris; propterea & nos latus noſtrum obvertebamus defendentes nos pro viribus, inſcii tamen cujus animi & intentionis ipſi eſſent, ſicuti & nondum ſcio, cum nos invicem non allocuti ſimus; Et ſic incidebamus in generalem conflictum; Interea acceſſerat præfatus Commendator Borg & Duyns, cum duabus ejusdem ſortis navibus & celocibus, omnibus neceſſariis inſtructis, quas dictus Commendator Johannes Matthæi & Capitaneus Petrus Elderſen referebant (prout viderant in nave ipſius) naves 60. ad 70. & celoces 38. ad 50. tormentis munitas fuiſſe, quæ eodem tempore claſſem noſtram a tergo adoriebantur. Et ſic pugnabamus a ſesquitertia uſque ad nonam, donec tene-

tenebræ nos ſejungebant. Tum uterque Admiralius paululum extra globi jactum ad latus flectebat, ut quilibet claſſem ſuam cõgregarent, & naves globis perfoſſas repararent, nos per totam noctem lucernis impoſitis fluctuabamus. Trigeſimo ejusdem mane claſſem Anglicanam ex adverſo velificantem conſpiciebamus, qui vela ſarcientes promontorium Douvernanum verſus navigabant. Binas ex noſtris navibus deſiderabamus, claſſem inſequentes, Capitaneum Lunemans Middelburgenſem & Stipkenium Focken Amſterodamenſem, utrumque naves directorias habentem, quarum alteram circa meridianum tempus fluctuantem absque malo inveniebamus, Capitaneum nempe Stipkenium Focken; Nauclerus reliquique officiales nautici narrabant, ſe duabus horis poſt occaſum Solis a tribus parlamenti navibus fuiſſe ablatas, quæ Capitaneum & Locum tenentem cum 15. nautis navibus Anglicis & Anglos magno numero navi noſtræ impoſuiſſent, metuentes tamen, ne mergeretur navis, inde diſceſſiſſe eadem hoſtiliter ſpolita. Aſſerebant etiam ſe vidiſſe Capitaneum Luneman, & haſce poſtremas noſtræ claſſis horæ ſpatio ante ipſas captas fuiſſe. Vento hoc ſubſolano hinc inde & transverſim diſcurremus, ut, (ſi fieri poteſt) dictas naves ex freto redeuntes inveniamus unaque cum illis alias forſan nobis obviantes tuto in patriam reducamus: Perſcripta hæc 20. Maji 1652. in navi Prætoria dicta Brederode.

CLVI.

Literæ, quibus CHRISTINA, Svecorum Reginæ, a FERDINANDO III. Romanorum Imperatore modeſte contendit, ne jura vectigalium, ſibi vigore Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ conceſſa, per Electoris Brandenburgici & Domus Megapolitanæ infeſtos conatus patiatur labefactari, 1652.

Serenisſime ac Potentisſime Imperator, Domine Frater, Conſanguinee & Amice chariſſime.

RElatum Nobis eſt apud Majeſtatem Veſtram Electorem Brandenburgicum per nuncios & Literas inſtanter agere, ut autoritate Cæſarea non ſolum Orientalis Pomerania ei ſtatim reſtituatur, ſed etiam, ut obtento ad ejus littora portusque telonii jure Noſtro deſiſtamus, imo vero, ne ad accipiendam inveſtituram aut Imperii Comitia vocemur, niſi utroque adimpleto, aſt potius perſvaſum Nobis, ut Majeſtatis Veſtræ prudentia non patitur Nos dubitare, quin ipſa longe aliter ſit æſtimatura; ne tamen importunæ ſollicitationes etiam ſilentio Noſtro abutantur, ſperamus, Majeſtatem Veſtram non ægre laturam, ſi & Nos paucis oſtenderimus, quam inique & indigne iſta poſtulentur: Neque enim Nos unquam recuſavimus, quin, & quæ tam Electori, quam Domui Megapolitanæ, vi Pacis, competunt, reſtituantur, modo ipſi præſtanda præſtiterint. Sed quoniam non ſolum Inſtrumento Pacis, verum etiam Receſſu executivo Norinbergenſi ſancitum eſt, ut quæ ad peculiares conventiones remiſſa ſunt minutiora obſtacula, ante ejusmodi

Digitized by Google

modi reſtitutionem plenaria definitione removeantur, per ipſos vero hactenus ſteterit, quo minus id factum ſit, ideo ipſis, non Nobis, imputanda eſt reſtitutionis ipſius mora. Sicut enim nihil aliud deſideramus, quam ut loca Nobis deſignent, ubi obtenta vectigalia commode capiantur: Ita viciſſim Nos offerimus, eo præſtito, ad ulteriorem Pomeraniam Electori, & Varnemundam Megapolitanis confeſtim tradendam. At cum non modo locum Nobis hucusque denegent; ſed etiam jus Ipſum exercendi telonii controverſum faciant, quid mirum, ſi & Nos publicorum pactorum obſervationi conſtanter inhæreamus? Cum Nomine Majeſtatis Veſtræ & Imperii occidentalis Pomerania nobis offerretur, regeſſerunt Legati Noſtri, Præfecturas ejus adeo obæratas fuiſſe, ut in nullam ſatisfactionem computari poſſent, niſi defectus iſte aliter penſaretur: Penſatus fuit adjudicatione perpetua eorum Vectigalium (vulgus Licenten vocat) quæ non tantum in locis ceſſis (nulla enim reſtrictio vel admiſſa, vel inſtrumento Pacis inſerta fuit) ſed indefinite & illimitate in eis quoque, quæcunque eodem tempore ad Littora portusque Megapoleos & Pomeraniæ poſſidebamus: hujus itaque concesſionis favor, cum per ſolennem trium ſummarum poteſtatum conventionem, æquisſimus judicatus ſit, ut a ſolo jam Electore per ſub- & obreptitie emendicatas atteſtationes aut cavillationes grammaticas eludatur, & ad loca tantum ceſſa reſtringatur, ſummam ſapit iniquitatem. Nulla profecto æquitas ſvadet aut ſvadere potuit, ut octo Principatus ei ſoli per Pacem procurarentur,

Digitized by Google

pro paucis tantum dimidiæ Pomeraniæ obæratiſſimis Præfecturis, niſi vectigalia quoque ceſſiſſent. Scimus quidem ſpem eum antea habuiſſe conſequendi Pomeraniæ Caminenſem Principatum, extincta Anteceſſorum linea, ſed ſatis debilem atque obſcuram: at neque ignotum eſt, quo jure & quantilli temporis firmitudine, Lebujenſem, Brandenburgenſem & Havelbergenſem, una cum tot Annorum Imperio debitis tributis per ſeculum uſurparat. Hæc tamen omnia in perpetuum retinenda, a Majeſtatis Veſtræ Statuumque Imperii benevolentia fideliter ei procuravimus, nec dum ei ſatisfactum putatur. Solus Archiepiſcopatus Magdeburgenſis in matricula Imperii pluris æſtimatur, quam utraque Pomerania ſimul ſumta. Huic tamen & Halberſtadenſis & Mindenſis cooperatione Noſtra adjecta fuere, nullo alio fine vel merito, niſi ceſſa qualiacunque ſint dictorum Teloniorum additamenta, & adhuc tamen fundit querelas. Haud diſpar eſt ratio Poſtulati Mechelburgenſis, cujus Domus procuravimus reſtitutionem periculo ſumptuque magno, ſi Wiſmariam cum dictis Teloniis ultro Nobis obtuliſſet, ſicuti non nimium gratus fuiſſet, ita nec Nos in jura gentium peccaſſemus, ſi eam eo invito retinuiſſemus. Ea tamen moderatione benignitateque uſæ ſumus, ut non modo Ducatus Megapolitanus reſtitutus ſit, ſed & inſuper additi duo Principatus hæreditarii, duæ commendæ, bina ad Albin vectigalia, bini Canonicatus, & ſuperpondii loco ducenta Imperialium thalerorum millia, nequaquam ob ulla ejus merita, nec ob nudum Vallum Wiſma-

Digitized by Google

Wiſmarienſe, cum annuo trecentorum plus minus thalerorum reditu ceſſa, ſed ut eo patientius ferret, quæ Nobis jam controverſa facit exigua vectigalium jura. At quid ingratitudinem utrinque miramur, cum ea ſit magnorum beneficiorum indoles, ut tantiſper grata ſint, dum videntur rependi poſſe, ubi modum exceſſere, pro gratia ultionem reportent. Alio ſane titulo æſtimare nequivimus iniquitati ſuperadditam indignitatem, qua dictus Elector utitur, poſtulans, ut, ſi neglecta, quæ in factæ Pacis & Receſſus Norinbergenſis executione præcedere debet, Conventione, tam jura telonii Noſtri deſeruerimus, quam Provinciam ei debitam reſtituerimus, pro non ſtatu declaremur.

Quid autem hoc aliud eſt, quam non amplius occultis cuniculis, ſed manifeſta injuria Pacis publicæ fundamenta ſubruere? Conſtat Orbi Chriſtiano, Nos, Regnumque Noſtrum non per inveſtituram futuram, ſed ab ipſo pacis ſignatæ momento factos eſſe Imperi Status, pactisque publicis ſtabilitum, quid Nos Majeſtati Veſtræ & Imperio debeamus, quid ea viciſſim Nobis. Inveſtituram potius eſſe ceremonialem omnium ſolenniſationem, Inſtrumentum vero indelebilem characterem; denegatam autem ſeu conditionaliter limitatam inveſtituram eſſe vel ad Comitia invitationem Nobis facere controverſam, ſicut id conjunctum foret, cum ſumma indignitate: ita nemo æquus rerum arbiter id poſſet aliter, quam pro publicæ rei pacisque violatione accipere. At quemadmodum neque Nobis id ut pateremur quis-

quisquam perſvadere poteſt, ita longe aliud Nobis de laudabili Majeſtatis Veſtræ juſtitia & æquanimitate promittentes hic ſubſiſtimus, reliqua Reſidentibus apud Aulam Majeſtatis Veſtræ commorantibus commiſimus, minime dubitantes, quin Majeſtas Veſtra, ſicuti facta pace ſpoſpondit, ſe Nos regnumque Noſtrum in ſemel obtenta bonorum juriumque Noſtrorum poſſeſſione quieta, contra quemcunque inviolabiliter conſervaturam, ita velit Nobiſcum indignitates dictas & iniquitates a Nobis Regnoque Noſtro avertere, infeſtantes in officio continere, nec Nos aliter, quam pro legitimo Imperii ſtatu tractare. Promittimus viciſim quamprimum de loco exercendi Telonii noſtri conventum fuerit, Nos non modo Electori debitam Pomeraniam, & Megapolitanis Warnemundam infallibiliter reſtituturas, ſed etiam Pacem publicam in cæteris exacte ſervaturas: imprimis vero Majeſtati Veſtræ omnem reciprocam gratitudinem & honorem exhibituras, Eamque hiſce divino Numini peramanter commendamus. Dabantur in arce Noſtra Stockholmenſi die 5. Junii Anno 1652.

Majeſtatis Veſtræ

Bona Soror, Conſanguinea
& Amica.

CHRISTINA.

CLXII. *Li-*

Digitized by Google

CLVII.

Literæ CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis tunc exulis, ad JOHANNEM GEORGIUM I. Saxoniæ Electorem, quibus se execrandis perduellium moliminibus Regnis suis ejectum esse conqueritur, atque sibi ut opem consiliaque ferre velit, obnixe rogat. 1652.

P. P.

QUam infelici successu prælium a Nobis adversus numerosissimum perduellium Nostrorum exercitum apud Worcestriam commissum sit, cum ex Scotia una cum copiis Regnum Nostrum Angliæ repetiissemus, Celsitudini Vestræ jam pridem significatum fuisse non dubitamus. Idcirco eandem calamitosi illius Nostri casus longiori narratione non morabimur; sed cum a Conjuratorum Rebellium Nostrorum insidiis evadendi facultatem Nobis indulserit Deus, spe non excidimus, quin aliquando armis, ut causa, superiores simus; quod ut assequamur dum Amicorum & Fœderatorum Nostrorum opem imploramus, Celsitudinem Vestram etiam oramus obtestamurque pro Nostra & Majorum Nostrorum vetere conjunctione & necessitudine, proque prona Ejusdem in Nos voluntate, ut Nos juvare consilio, Nobis auxiliis & suppetiis adesse, eodemque studio quo erga Nos eandem affectam esse olim sensimus, Nobis consulere dignetur. Et prout Eadem illis beneficiis Nos sibi devinxerit; ita etiam studiose diligenterque curabimus ea omnia, quæ ad Celsitudinem Vestram, vel ad suos pertinere arbitramur, etsi meri-

merita non assequemur, Ejusdem erga Nos benevolentiam imitabimur. Cum autem fidei & curæ fidelis atque Nobis apprime dilecti Doctoris Guilielmi Curtii Nostri in Germania Residentis rerum nostrarum isthic administrationem commiserimus, atque illi expresse mandaverimus, ut cum Celsitudinis Vestræ Ministris omne genus officiorum & communicationis colat, ac de Nostro & communi Interesse cum illis conferat, eandem peramice rogamus, ut concredita ipsi rerum Nostrarum momenta serio promovere, atque illi benevolentia & protectione favere velit. Quod superest Celsitudinem Vestram perenni Dei Optimi Maximi tuitioni ex animo commendamus. Datum apud Divi Germani fanum die 26. Julii Anno Salutis 1652. Regnorum Nostrorum quarto.

CLVIII.

Litera CONCILII STATUS REIPUBLICAE ANGLIAE, ad FERDINANDUM II. Magnum Etruriæ Ducem, quibus ei pro tutela mercatorum Anglicorum navibus in portu Liburnensi contra Hollandos præbita, gratias agit, ac populares suos perfide illorum armis appeti refert, 1652.

Concilium Status Reipublicæ Angliæ Serenissimo Principi, Dn. Ferdinando Secundo, Magno Duci Hetruriæ, Salutem.

CONcilium Status cum a Carolo Longlando, qui in Portu Celsitudinis Vestræ Liburnensi, mercatorum Anglicorum negotia procurat, certius per literas fieret, quatuordecim naves præsidiarias Fœderatorum Belgarum in eum Portum nuper

perveniſſe, qui naves Anglorum in ipſo portu veſtro aut incenſuros ſe eſſe aut depreſſuros minati palam ſunt, Veſtramque Serenitatem, cujus fidem atque opem Angliæ mercatores ibi commorantes imploraverant, Liburnenſis Præſidii præfecto mandaſſe, uti illis Anglorum navibus auxilio eſſet, ſui muneris atque officii judicavit eſſe, ut Celſitudinem Veſtram certiorem faceret, quam huic Reipublicæ gratiſſima ſit benevolentia illa atque tutela, quam mercatoribus Anglis tam benigne præbuiſtis, Veſtræque Celſitudini promittit atque in ſe recipit manſuram apud ſe in omne tempus hujus benemeriti gratiam, paratumque ſe omni occaſione fore, parem amicitiam pariaque officia veſtro populo reipſa præſtare, omniaque facere, quæ conſervandæ inter hanc gentem atque Veſtram ſolitæ benevolentiæ atque commercio poſſint conducere. Cumque naves fœderatarum Belgii Provinciarum inter ipſa de fœdere colloquia a ſemetipſis oblata in Claſſem Noſtram ſumma cum perfidia non ſolum in ipſis ſtationibus hoſtilia inceptaverint (quo in facinore Deus tanquam arbiter juſtiſſimus, adverſum ſe illis atque infenſum oſtendit) verum etiam in exterorum portubus naves mercatorum noſtrorum capere aut demergere conatæ ſint, neceſſarium etiam cenſuimus ſcriptum hoc Parlamenti Reipublicæ Angliæ ad Celſitudinem Veſtram una mittere; cujus emittendi occaſionem dedere controverſiæ inter hanc Rempublicam & Belgii Provincias in præſentia coortæ. Ex quo Celſitudo veſtra facile perſpiciat, quam iniqua, quam contra fas omne atque jus gentium facta illius

illius Populi in hanc Rempublicam exſtiterint, & quam ex animo Parlamentum ſtuduerit publicæ Pacis cauſa amicitiam eorum & ſocietatem priſtinam retinuiſſe. Datis ab Alba Aula 29. Julii, 1652.

Subſcripſit Concilii nomine atque autoritate

Concilii Præſes.

CLIX.

Litera CHRISTINÆ, *Reginæ Suecorum, ad* FERDINANDUM III. *Romanorum Imperatorem, quibus Tutorium ab Ipſo Canonicis Bremenſibus Pacis Weſtphalicæ contentis e diametro contrarium indultum eſſe, graviter conqueritur, utq; memoratum Protectionis Diploma revocare ac ſubditos ſuos renitentes ad obedientiam ſibi debitam præſtandam ſeverius remittere haud gravetur, obnixe contendit, 1652.*

Sereniſſime & Potentiſſime
Imperator,
Domine Frater, Conſanguinee &
Amice chariſſime.

RUmore ad Nos non ita pridem perlatum eſt, id in Aula Majeſtatis Veſtræ agitari, ut priſtini Capitulares Bremenſes, ſubditi plerique noſtri, Nobiscum ſeminatis diſſidiis committantur. Nos quidem fidem ſparſo huic Rumori prius adſtruere non potuimus, quam Nobis a Præfecto Noſtro, cæterisque in Ducatibus Noſtris Bremenſi & Verdenſi Regiminis Miniſtris nuperrime relatum fuit, in Urbe Brema valvis primarii templi Noſtri, D. Petri,

Digitized by Google

Petri, affixum conſpici Majeſtatis Veſtræ Diploma, quo ſub ſpecie miſerandæ Protectionis, dicti homines in priſtinum Canonicorum ſtatum, dignitatem, jura, privilegia, bona atque reditus aſſeruntur. Quæ res inopinata, & quæ non Noſtrum tantum circa iſta collegia quæſitum jus convellit, ſed ipſi pariter Inſtrumento Pacis repugnat, rapuit Nos plane in admirationem; Quippe quæ credere nullo modo poſſumusMajeſtatem Veſtram committere aut pati velle, ut vel paci publicæ contraveniatur, vel Nobis grave ac intolerabile præjudicium creetur. Quod ſi vel ipſorum Capitularium, vel malevolorum hominum aliorum, qui fundandæ inter Nos arctioris Amicitiæ invident, ſiniſtra quæpiam narratio (quod Pace Majeſtatis Veſtræ dixerimus) Majeſtatem Veſtram commovit, ut derepente protectorio pridie, quum Ea nupera æſtate Vienna proficiſceretur, tumultuaria opera ſubſcripto ſe ingeſſerit, ſumma æquanimitatis Majeſtatis Veſtræ laus fuerit, pati ſe de re univerſa rectius informari. Cum enim abſurditatem rei & publicati protectorii formulam, eamque vulgarem & promiſcue uſitatam Nobiscum evolvimus, nec ulla fit in ea mentio vel Inſtrumenti Pacis, vel motarum adverſus Nos querelarum Capitularium, ægerrime inducimur, ut credamus, prævio ſcitu & deliberato Majeſtatis Veſtræ conſilio in vulgus id emiſſum eſſe: Conceſſi ſcilicet Nobis ſunt in præſenti a Majeſtate Veſtra de conſenſu totius Imperii, Archiepiſcopatus Bremenſis & Epiſcopatus Verdenſis, cum omnibus ac ſingulis ad eos pertinentibus bonis & juribus Eccleſiaſticis & ſeculari-

Digitized by Google

bus, ubicunque ſitis, & quocunquè nomine vocatis, in perpetuum & immediatum feudum ſub titulo Ducatuum, ceſſante Capitulorum cæterorumque Collegiorum eccleſiaſticorum non modo eligendi & poſtulandi, ſed etiam omni alio jure, adminiſtratione & gubernatione, terrarum vel bonorum ad hos Ducatus pertinentium, & remiſſis ad amicabilem compoſitionem vel proceſſum, ſi quæ Civitati Bremenſi cum Capitulis ſint, controverſiis, ſicut uſu venire plerumque ſolet, maxime inter eos, qui diverſam Jurisdictionem obtinentes iisdem mœnibus continentur. Quo immoto fundamento, cui ſtrictiſſime, uti par eſt, inhæremus, ſane multa meritis conſideratione aſſequi poſſumus, qua vel ratione vel ſimulacro rationis vel neceſſitate aliqua inferri aut evinci poſſit, extinctis cæteris, putativa illa Capitularium jura Conſiſtentiæ & Fiſci integra & inconcuſſa manſura eſſe. Cum enim ceſſant & deſinunt omnia Capitulorum jura, atque inter ea expreſſe abo-letur adminiſtratio bónorum, tranſeuntibus cum Ducatu ſeculari univerſis & ſingulis in poteſtatem & diſpoſitionem noſtram, quid reliquum Capitularibus ſupereſſe poterit? Ac quamvis acquiſito hoc jure Noſtro e veſtigio concluſæ pacis uti & Capitulares ipſos, eorumque dependentes actutum removere loco & beneficiis potuiſſemus, Cananiales tamen Reditus ipſis ad vitam fruendos, data eorum huc Commiſſario Anno 1649. deſuper reſolutione, ex mera gratia indulſimus; Quam quidem clementiam Noſtram illi non modo

modo debita veneratione amplectebantur, ſed & menſe Majo proximi elapſi anni, cum Commiſſariis Noſtris, quos formando in Ducatibus Noſtris nominatis Regimini deſtinavimus, tractatus ſuper hac re iniverunt, quibus rite & ad placitum ipſorum Canonicorum concluſis, ſcrinia & acta literaria, ſigillum, claves & ejusmodi alia extradiderunt, omni ſe adminiſtratione abdicarunt, & factæ a Nobis bonorum Diſpoſitioni ſubmiſerunt, Reditus conventos pro iſto anno plene recipientes, ut mirari ſubeat, eo illos audaciæ & impudentiæ proceſſiſſe, ut ſpretis omnibus anteactis, Majeſtatem Veſtram intempeſtivis, nullique fundamento ſuffultis querelis, deque impetrando Tutorio (cujus beneficio in priſtinum ferme ſtatum ſe vindicari & reſtitui poſſe putant) onerare, jamque nuper in unum corpus coaliti, quæ Nobis ſolis atque unice competunt ſumma jura eccleſiaſtica exercere temerario auſu præſumſerint. Igitur cum hæc ſint cum manifeſto Noſtro præjudicio, ſummaque Noſtra cum injuria, indignitate & contemtu conjuncta & publicæ transactioni atque Inſtrumento pacis, nec non edicto executionis Majeſtatis Veſtræ contraria, intermittere non poſſumus, quin convenientia & optata huic malo remedia mature adhibeamus, & Jura noſtra illæſa, nec non pacta publica illibata circá hunc pariter articulum vindicemus, in transgreſſores pro culpæ ratione animadverſuræ. Quæ vero Majeſtatem Veſtram (ſi exactam habuerit, quod valde dubitamus, hujus rei notitiam) cauſa moverit, ſeorſim & ad nudam hominum tam per-

verſorum ſollicitationem, illis in hac cauſa deferre, nec honore Nos dignari, Miniſtrum in Aula Majeſtatis Veſtræ noſtrum ſesquiannum jam verſantem ſuper eadem audiendi, non attinet operoſe inquirere: id majorem in modum Majeſtatem Veſtram rogamus, velit pro ea, quæ Ei incumbit ſumma cura tranquillitatis Imperii, & concordia inter Capita & membra Provinciarum, imprimis pro juſtitia & æquitate cauſæ hujus & poſtulati Noſtri, rebellibus iſtis hominibus impertitum Diploma revocare, & ſi quam habet vim obligandi (habet autem in ſe vigore inſtrumenti Pacis nullam) expreſſe illi detrahere atque præcidere, dictos vero ſubditos Noſtros ad obedientiam Nobis præſtandam ſeverius remittere, & rem adeo ipſam genuinæ ſuæ & inſtrumenti pacis congruæ integritati reſtituere. Dici non poteſt, quam faciet hoc ad promovendas & amplificandas ſincerioris arctiorisque inter Nos & Majeſtatem Veſtram amicitiæ rationes, quas vel maxime fovimus, Nobis credat Majeſtas Veſtra, cum Tractatus tum Pacis, tum Executionis promoveremus. Et immortalis apud omnes erit Majeſtatis Veſtræ Laus, pactis conventis quam firmiſſime ſtetiſſe, & pacem tam magno pretio pactam, & tot non homines modo, verum etiam gentes atque populos Chriſtiani Orbis afficientem, exactiſſime ſervaſſe, quæ, ut omnium optime noverit Majeſtas Veſtra, tanquam perpetua lex & pragmatica Imperii ſanctio obſervanda, & æque ac aliæ leges & conſtitutiones Imperii proximo Imperii Receſſui, ipſique Capitulationi Cæſareæ inſerenda venit. Ejus præterea

natu-

Digitized by Goo

naturæ atque conditionis hæc publica pacta ſunt, ut neminem, qui Judicis aut arbitri partes ſuper iis cognoſcendis in ſe ſuſcipere præſumſerit, vel admittant vel agnoſcant. Hæc ſunt de quibus in præſens Majeſtatem Veſtram literis hisce Noſtris adeundam & compellandam fuiſſe e re & uſu Noſtro & publicæ pariter cauſæ eſſe exiſtimavimus, ſpe indubia fretæ, fore, ut æquiſſimo huic poſtulato Noſtro & ejus impletioni locum ſit conceſſura. De cætero Majeſtati Veſtræ longam vitam, felicius imperium, & proſperrimos ſucceſſus ex animo apprecamur. Dabantur in Regia arce noſtra Stockholmenſi, die 11. Septembr. 1652.

Majeſtatis Veſtræ

Bona ſoror, Conſanguinea & Amica

CHRISTINA.

A. Gyldencra.

CLX.

Litera CONCILII STATUS REIPUBLICAE ANGLIAE, ad FERDINANDUM II. Magnum Etruriæ Ducem, cui ſingularem ipſius in tutandis navibus Anglicanis benevolentiam ſe plurimi facere ſibique eam etiam gratiſſimam fuiſſe ſignificat, & reciproca amicitiæ officia promittit, 1652.

Concilium Status Reipublicæ Angliæ, Sereniſſimo Principi, Domino Ferdinando Secundo, Magno Duci Hetruriæ.

Salutem.

Digitized by Google

Sereniſſime Princeps, Amice Chæriſſime.

CONcilium Status, cognito tam per Oratorem Celſitudinis Veſtræ hic commorantem, quam per Carolum Longlandum Mercatorum Anglicorum negotia Liburni procurantem, quanta cum benevolentia ac fide Celſitudo Veſtra navium Anglicarum in Liburnenſem Portum ſe recipientium tutelam ſuſceperit, contra Belgarum naves prædatorias exitium illis atque direptionem minitantes literis undetrigeſimo Julii datis (quas ad Celſitudinem Veſtram jam dudum perveniſſe ſperat) ſignificavit, quam id ſibi gratum acceptumque accidiſſet, eodemque tempore ſcriptum Parlamenti Reipublicæ Angliæ de controverſiis inter hanc Rempublicam & fœderatas Belgii Provincias in præſentia exortis ad Serenitatem Veſtram una miſit. Cumque rurſus per eundem Carolum Longlandum Concilium intellexerit, quæ ulterius mandata dederit Celſitudo Veſtra de incolumitate atque tutela navibus Anglicis præſtanda, etiam Belgis, ne id fieret, importune contra nitentibus, ne hanc quidem occaſionem prætereundam eſſe cenſuit, ſignificandi rurſus Celſitudini Veſtræ ſe Veſtram juſtitiam & ſingularem in tutandis navibus ſuis conſtantiam cum plurimi facere, tum ſibi etiam gratiſſimam habere. Quod cum ſolidæ amicitiæ ſtudiique Veſtri in hanc Rempublicam haud leve indicium ſit, perſuadere ſibi poterit Celſitudo Veſtra paria officia atque ſtudia in nobis erga Veſtram Celſitudinem nunquam ſe eſſe de-

fide-

ſideraturam. Quæque declarare poſſint quam nobis deliberatum ſit eam amicitiam, quæ huic Reipublicæ cum Veſtra Serenitate eſt, quam conſtantiſſime atque diutiſſime pro virili noſtra parte conſervare. Nos interim navibus noſtris omnibus, quæ Veſtros portus intraverint diſertis verbis mandavimus, ut ſalutationes exploſione tormentorum conſuetas, omnemque honorem debitum Veſtræ Celſitudini exhibere meminerint. Datis ab Alba Aula die — Septembr. 1652.

Et conſilii ſigillo deinde conſignandis ſubſcripſit,

Concilii Præſes.

CLXI.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem, quibus navem Oryza onuſtam, cujus reſtitutionem pro Cardio urſiſſet, per Curiam Ammiralatus Anglicanam abjudicatam quidem fuiſſe a Cardio, ſed ipſius procuratori per Parlamenti mandatum in teſtimonium favoris erga intercedentem reſtitutam eſſe nunciat, 1652.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ Sereniſſimo Principi, Dn. Ferdinando Secundo, Magno Duci Hetruriæ Salutem.

Sereniſſime Princeps, Amice Chariſſime.

PArlamentum Reipublicæ Angliæ Literas Veſtræ Celſitudinis Auguſti ſeptimo decimo, Floren-

tia datas accepit: In quibus de reſtitutione navis cujusdam agitur Oryza onuſtæ, quæ navis a Capitaneo Cardio Liburnenſi vendicatur. Et quamvis in Noſtra Ammiralatus Curia contra prædictum Cardium in ea cauſa ſententia judicum lata jam ſit, & apud Delegatos provocatio tum penderet, tamen cum hoc Celſitudo Veſtra petat, Parlamentum, quo tam amici Principis benevolentiam ac neceſſitudinem quanti faciat teſtificari poſſit, mandavit, quibus curæ ea res eſt, ut navis illa cum Oryza, vel ſaltem juſtum ejus pretium prædicto Capitaneo Cardio reddatur; cujus mandati fructum procurator ejus apud Nos re ipſa jam percepit. Et quemadmodum Celſitudo Veſtra ſuum navibus Anglorum in portu Liburnenſi patrocinium atque tutelam benigne præbendo Parlamentum ſibi magnopere devinxit (cujus rei geſtæ narratio tam ab Oratore hic Veſtro, quam a Carolo Longland mercatorum noſtrorum illic procuratore delata nuper ad Nos eſt) ita Parlamentum ſummo vicisſim ſtudio dabit operam, quotiescunque occaſio dabitur, ut ſua omnia ſinceræ amicitiæ atque benevolentiæ officia in Celſitudinem Veſtram ſolide conſtare poſſint; quam adeo divinæ benignitati atque tutelæ commendatiſſimam vult eſſe. Datis Weſtmonaſterio die--Novembr. 1652.

Subſcripſit & ſigillum Reipubl. apponendum curavit

Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliæ.

CIXII.

CLXII.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANÆ, ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, quibus navibus ſuis redeundi in patriam poteſtatem Hafniæ ademptam eſſe conqueritur, utque Oratori ſuo ea de cauſa ad ipſum miſſo aurem benignam & fidem amplam præbere velit, amice precatur, 1652.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, Daniæ Regi &c.

Sereniſſime ac Potentiſſime Rex.

PArlamentum Reipublicæ Angliæ poſtquam accepit ab illius Claſſis Præfecto, quæ nuper ad Hafniam Majeſtatis Veſtræ portum miſſa eſt, ut navibus mercatorum noſtrorum inde redeuntibus domum præſidio eſſet, prædictis navibus permiſſum non eſſe ſecum diſcedere; verum illic Majeſtatis Veſtræ juſſu retineri; productis etiam ab eo Regiis literis veſtram ea in re ſententiam declarantibus, negat explicatas in iis literis rationes, cur naves illæ retineantur, ulla in parte ſibi ſatisfacere; ut igitur in re tanti plane momenti quæque ad proſperum utriusque gentis ſtatum tantopere conducit, ſequuturo fortaſſe majori incommodo maturius occurratur, miſit Parlamentum Virum Illuſtriſſimum & ſpectatæ fidei, Richardum Bradshaw, Armigerum, Hamburgi Oratorem, qui itidem ad Majeſtatem Veſtram Oratoris munus impleat, cum iis diſerte mandatis, ut de prædicto negotio

Digitized by Google

agat: Veſtramque adeo rogamus Majeſtatem eidem velit Viro & aurem benignam & fidem amplam perhibere, quicquid ſuper hoc negotio Veſtræ Majeſtati noſtro nomine propoſuerit: Quam nos divinæ tutelæ & providentiæ commendatam volumus. Datis Weſtmonaſterio 6. die Novembr. An. Dn. 1652.

Sub ſigillo Parlamenti ejusque nomine atque autoritate ſubſcripſit

Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliæ.

CLXIII.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANAE, ad DUCEM VENETIARUM, ejusdem ſingulare ſtudium & benevolentiam erga Rempublicam Venetam declarantes, 1652.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, Sereniſſimo Principi Venetiarum Duci Salutem.

PArlamentum Reipublicæ Angliæ literas Celſitudinis Veſtræ primo Junii 1652. datas per Laurentium Palutium accepit, ex quibus cum & Veſtrum & Senatus propenſum in hanc Rempublicam animum proſpiciat, occaſionem hanc ſuum viciſſim erga Sereniſſimam Rempublicam Venetam ſingulare ſtudium ac benevolentiam declarandi libenter arripuit, quam & reipſa idque ex animo demonſtrare, quoties uſus venerit, haud quaquam gravabitur,

Digitized by Google

bitur, cui & omnes vel conſervandæ vel etiam augendæ amicitiæ usque mutui rationes in medium allatæ erunt itidem acceptiſſimæ, Veſtræque adeo Celſitudini & Reipublicæ Sereniſſimæ fauſta omnia ac proſpera exoptat atque precatur. Datis Weſtmonaſterio die-- Decembr. Anno Domini 1652.

Subſcripſit & Parlamenti Sigillum imponendum curavit

Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliæ.

CLXIV.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANAE, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem, cui Navarchum Appletonum commiſſum a ſe facinus non impune laturum, ſed pœnam & rei geſtæ magnitudini & voluntati ipſius conſonam daturum eſſe ſignificat, 1652.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, Sereniſſimo Principi, Ferdinando Secundo, Hetruriæ Magno Duci, Salutem.

CUm Parlamentum Reipublicæ Angliæ antehac ſuis Navarchis atque Præfectis navium ad loca ſub Veſtræ Celſitudinis ditione appellentibus, etiam atque etiam mandaverit, ut ſe pacate atque modeſte gererent, eaque, qua decet obſervantia erga Principem Sereniſſimum, cujus hæc Respublica & conſervare amicitiam tantopere ſtudeat, & tantis beneficiis affecta ſit; prorſus inopinatum ſibi quidem accidit, quod a Navarcho Appletono in Luburnenſi portu

portu insolentius factum esse accepit; eum nimirum vigili, dum in mole stationem ageret vim attulisse, idque tum contra fidem atque obsequium huic Reipublicæ ab eo debitum, tum contra observantiam atque honorem, qui Vestræ Celsitudini sua in ditione jure optimo debetur: Quam rem totam, sicuti gesta est, ex literis Vestris 7. & 9. Decembris Florentiæ datis Parlamentum intellexit; uberius etiam per spectatissimum virum Almericum Salvettum, vestrum hic Residentem, atque Vestræ Celsitudinis honorem, qui hac in re agi videtur, usque adeo sibi commendatum habet, ut Concilio status id negotii dederit, uti literas Navarcho Appletono quam primum scribendas curaret, quibus is terrestri itinere confestim huc advolare juberetur, insoliti hujus facti & extraordinarii rationem redditurus (quarum exemplum literarum his inclusum una mittitur) qui ubi advenerit & facti postulabitur, de eo id statutum iri pollicemur, quod testificari possit, se Vestri juris violationem haud minus moleste ferre, quam si ipsum jus suum violaretur. Quin etiam de nave dicta Phœnice Liburni recuperata consultatione habita, quæ res a Celsitudine Vestra nec non ab Oratore suo narratur atque urgetur, contra datam a Navarcho Appletono fidem fuisse, qua obstrictus erat, ne Hollandos intra conspectum portus aut laternæ adoriretur, vestramque Celsitudinem ea fiducia nixam, Hollandis fide data de incolumitate promisisse, debere proinde eorum satisfactioni prospicere, quibus Vestra sub fide damnum datum est, Parlamentum ab Excellentia Vestra petit, ut hoc sibi persuasum habeat, hanc rem quemad-

Digitized by Google

admodum ſine ſuo conſilio, aut mandato eſt geſta, ita hoc etiam ab ſua voluntate ac mente longisſime abeſſe, ut Celſitudo Veſtra ullo incommodo aut honoris imminutione ex illo facto afficiatur; quin imo ſe operam daturum, ut vobis ſatisfaciendi aliqua ratio ineatur, prout ſibi quæſtione habita de re tota conſtiterit: quam ut plenius intelligere posſit, ipſum Navarchum Appletonum ab ſe audiri neceſſarium eſſe judicat; qui & eadem fide obſtrictus erat, & ab Excellentia Veſtra creditur ejusdem violationi ſaltem aſſenſiſſe; præſertim cum is tam brevi ſit ad Nos reverſurus, atque illum poſtquam Parlamentum audiverit, & cum dicto Oratore Veſtro rationes amplius contulerit, hac de re haud exigui ſane momenti eam ſententiam feret, quæ & æqua erit, ſumnæque benevolentiæ, qua Celſitudinem Veſtram proſequitur, conſentanea, collatis denique a vobis in ſe beneficiis haud indigna. De qua ne interim dubitaret Celſitudo Veſtra, literis per eundem hunc tabellarium ſtatim miſſis certiorem factam primo quoque tempore volebat; ſeque nullam occaſionem eſſe prætermiſſurum, qua poſſit reipſa teſtari, veſtram amicitiam quanti faciat. Datis Weſtmonaſterio 14. die Decembris Anno Domini 1652.

Subſcripſit & Parlamenti Sigillum imprimendum curavit

Prolocutor Parlamenti
Reipublicæ Angliæ.

CLXV. *Li-*

CLXV.

Litera CAROLI II. Magnæ Britanniæ Regis tunc exulis ad FERDINANDUM III. Romanorum Imperatorem, quibus opem ac patrocinium ipsius implorat, & Henricum Comitem de Rochester de rebus suis, plenius acturum, ut benigne audiat, ipsique fidem habeat, impense rogat, 1652.

Carolus Dei Gratia magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Rex, fidei Defensor, Serenissimo, Potentissimo ac Invictissimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando Tertio, Divina favente Clementia Romanorum Imperatori semper Augusto, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Sclavoniæ &c. Regi, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchioni Monviæ, Duci Lucemburgiæ, superioris & inferiors Silesiæ, Comiti Habsburgi, Tyrolis &c. Fatri, Consanguineo & Amico Nostro charissimo, salutem, perpetuamque felicitatem!

Serenissime, Potentissime ac invictissime Princeps, Frater, Consanguinee & Amice charissime.

CUm variis Testimoniis Nos, resque Nostras Cæsareæ Vestræ Majestati esse curæ jam pridem agnoverimus, & novissime per fidelem & Dilectum Dominum Johannem Taylor, agentem Nostrum edocti fuerimus; ab eadem sæpius illi significatam esse pronam mentem & institutum, de suscipiendo rerum Nostrarum patrocinio, cum aliis

aliis particularibus inſtantiis ſingularis ſui erga nos affectus, neutiquam dubitamus, quin pro ſolita ſua erga Nos benevolentia eodem etiam erga Nos conſtanti feratur animo. In triſtisſimis itaque caſibus Noſtris eo confidentius ad Cæſaream Veſtram Majeſtatem accedimus, majorem in modum pétentes, ut pro ea, quæ inter Prædeceſſores Noſtros intercesſit & adhuc inter Nos intercedit amicitia, & pro perpetua in nos benevolentia, atque ea, qua in ſummo faſtigio ſupereminet dignitate, Nos & conſilio & ſuppetiis adjuvare velit; Ut autem id facilius aſſequamur, quo in loco res Noſtræ nunc ſitæ ſint, Cæſaream Veſtram Majeſtatem edoctam eſſe cupimus. Idcirco utrumque in finem, perquam fidelem atque dilectisſimum Conſanguineum Noſtrum Henricum Comitem de Rocheſter, Dominum de Wilmot, Baronem de Adderburg, Vice-Comitem Wilmot de Athlonia, Dominum Præſidem Provinciæ de Connaugth, unum ex primariis cubiculi Noſtri Aulicis & ab interioribus Conſiliis Noſtris, virum non minus ſingulari Prudentia, quam eximia erga Nos obſervantia & fide conſpicuum, cujus conſilio & quo Comite poſt cladem Vigornienſem ex parricidarum Noſtrorum manibus evaſimus, ad Cæſaream Majeſtatem Veſtram mittimus, qui inſtitutum mentemque Noſtram eidem fuſius exponat, ac Nos, & negotia Noſtra concreditaque illi rerum Noſtrarum momenta etiam atque etiam eidem, noſtro nomine, commendet. Vehementer itaque Cæſaream Majeſtatem Veſtram rogamus, ut illi benigne auſcultare, & in omnibus cumulatam fidem adhibere dignetur, quod dum

No-

Digitized by Google

Nobis conceſſerit, prout eadem maximo Nos beneficio afficiet, ita & Nos, ut par eſt, gratiam habebimus ſemper debitamque, ubi dabitur facultas, pro virili referemus.

Quod ſupereſt, Deum Optimum Maximum precamur, ut Cæſaream Majeſtatem Veſtram omni felicitate beare pergat. Datum Lutetiæ Pariſiorum die 21. Decembris, Anno ſalutis M. DC. LII. Regnorum Noſtrorum quarto.

Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis

Amantiſſimus Frater & Conſanguineus

Carolus Rex.

CLXVI.

Literæ fiduciariæ a CHRISTINA, *Suecorum Regina, Heraldo Appelboomio, Legato ſuo, ad* GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, *mediationem inter eorum & prætenſam Anglorum Rempublicam oblaturo traditæ, 1652.*

Nos Chriſtina, &c. Celſis & potentibus bonis Amicis, ac Fœderatis Noſtris, Dominis Ordinibus Generalibus Uniti Belgii, ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus.

CElſi & potentes, boni Amici & Fœderati; Ægerrime nos habuit, quod non tam rumore, quam ex informatione Veſtri, ad Nos præterlapſa æſtate miſſi, etiam nunc hic degentis Mandatarii intelleximus, apertum fere bellum inter Vos & Parlamentum Reipublicæ Angliæ oriri. Quod malum

Digitized by Google

lum ne latius serpat, sed in herba opprimatur, pro ea, quæ Nobis vobiscum intercedit amicitiæ, fœderis ac commerciorum necessitudine, committere non potuimus, quin summa cura & diligentia caveremus, ne glisccntes inter Vos & dictum Parlamentum simultatum cineres, in ardentem belli cruenti flammam erumpant. Igitur, cum Nostro apud Vos Residenti nobili, Nobis sincere fideli, Haraldo Appelboomio injunximus, ut operam Nostram mediatricem Vobis offerret, & mentem Vestram super oblata desuper cognoscceret, deque Responso optato Vos sollicitaret, Nobisque illud quantocyus per literas vel internuncium referret; a Vobis amice requirimus, velitis Eundem benevole audire, illique in iis, quæ nomine & Mandato Nostro vobis propositurus est, fidem indubiam adhibere, & de tali declaratione prospicere, quæ confidentiæ Nostræ in Vos positæ, mutuoque Interesse Nostro consentanea est. De Eadem re Parlamentum Reipublicæ Angliæ per alium Ministrum Nostrum requirimus: Responsum ejus pariter inde præstolantes; ut rescire possimus, quid facto in re tam ardua præterea opus fuerit. De cætero Vos Divinæ tutelæ amice serioque commendamus. Dabantur in Regia Nostra Stockholmensi, die 20. Januarii, Anno 1653.

Vestra Bona Amica & Fœderata

Christina.

A. Gyldenklau.

Digitized by Google

CLXVII.

Intercessionales CHRISTINÆ Suecorum Reginæ ad FERDINANDUM III. Rom. Imp. pro incolis inferioris Austriæ aliisq; sub ditionibus Cæsareis habitantibus Aug. Confessioni addictis, ut ipsis liberum suæ Religionis exercitium gratiose impertiri velit, scriptæ, 1652.

Serenissime & Potentissime Imperator, Domine Frater, Consanguinee & Amice Charissime.

NOn potest Majestatem Vestram latere, quam sollicite in Tractatu Osnabrugensi per Nostros Plenipotentiarios, productis aliquot gravaminum scriptis, una cum Augustanæ Confessionis Ordinibus in Imperio Romano, in id incubuerimus, ut, qui in hæreditariis inclytæ Domus Austriacæ Regnis & Provinciis eidem Augustanæ confessioni sunt addicti Status & subditi, in pristina sua jura & conscientiæ libertatem restituerentur: Quodque a parte Majestatis Vestræ tum fuerit regestum, prolata scripta, a nullo subsignata, pro suppositiis haberi, neminem adesse, qui dictorum Statuum Evangelicorum procuratorio esset munitus: quin imo vix aliquem reperiri, qui de ejusmodi gravaminibus jure conqueri possit: Sin aliqui deprehenderentur, se contra jura & privilegia gravatos, decenti modo monstrare possent, non defuturam illis justitiæ administrationem & remedia pro rerum exigentia. Optandum quidem fuisset supradictos Status ditionum hæreditariarum in ea tum fuisse conditione, ut ipsi suo nomine ad Conventum Osnabrugensem mit-

mittere potuiſſent, melius utique de Ipſorum juribus & ſtatu conſtitiſſet. Quod quia temporis illius incommodo facere nequiverunt, proviſum eſt in Inſtrumento Pacis Articulo V. §. 13. Sileſii etiam Principes &c. ut Comites, Barones & Nobiles, eorumque ſubditi, tam in Sileſiæ Ducatibus, quam Auſtria inferiori degentes (comprehenſis merito eorum famulis & miniſtris) ſine diſcrimine ætatis, conditionis & ſexus gauderent libertate Auguſtanæ Confeſſionis exercitium in locis vicinis frequentandi; Nobis vero & Auguſtanæ Confeſſionis Ordinibus in Imperio Romano reſervata facultate ulterius pro illis & quidem pro majore Religionis libertate & Exercitio in Domus Auſtriacæ Regnis & Provinciis, in præſentibus Imperii Romani Comitiis, aut alias apud Majeſtatem Veſtram reſpective amice interveniendi & demiſſe intercedendi. Freti hac ſolenni & a Majeſtate Veſtra ratihabita facultate intercedendi, Comites, Barones & Nobiles in Auſtria inferiori degentes, non ita pridem Nos per literas de ſtatu & Privilegiis ſuis certiores fecerunt; imprimis quod jam diu Majeſtati Veſtræ pro avertenda reformatione atque dictorum Privilegiorum confirmatione humillimi ſupplicarint; rogantes, ut quum Comitia Imperii Romani tum ingruerent & nullum adhuc remedium in propinquo eſſet, interventione Noſtra apud Majeſtatem Veſtram deſiderium ipſorum omni meliori modo procuraremus. Quibus dictorum Comitum, Baronum & Nobilium Literis, adjunctisque Privilegiis & gravaminibus perlectis, cum negotium hoc non paucos aliquot, ſed ultra ſeptuaginta illuſtres &

Digitized by Google

Nobiles familias & innumeram præterea multitudinem ſubditorum in Auſtria inferiori concernere perpenderimus; non potuimus intermittere, quin dicta Privilegia & Gravamina, prout Nobis ſunt communicata, hiſce noſtris Literis adjungeremus, atque ita duræ illius, & in præjudicium inſtrumenti Pacis & Præſentium Comitiorum inſtitutæ reformationis faciem Majeſtatis Veſtræ ob oculos ponerемus: Idque eo magis, quod Nobis non poſſumus perſvadere, talem viam convertendi homines a Majeſtate Veſtra adprobari, ſed potius urgeri ab iis, qui zelo quidem, ſed deſtituto ſcientia ducuntur. Hactenus non inaudivimus, nec ex allegatis An. 1627. ſublati Exercitii Religionis in Auſtria inferiori cauſis apparet, totum Corpus Statuum Auguſtanæ Confeſſionis in hæreditariis Provinciis aliquid perpetraſſe, cujus cauſa tantis & tam magno pretio acquiſitis privilegiis privarentur. Inde indubitatam ſpem concipimus, fore, ut quum omnia & ſingula momenta penitius conſiderata fuerint, Majeſtas Veſtra fidelibus ſuis, & præclara quæque de ſe & inclyta Domo Auſtriaca promeritis Statibus & ſubditis, ſponte ſua conſultura pariterque permiſſura ſit, ut quæ Majeſtatis Veſtræ Majores & Anteceſſores Imperatores Romani, pro ſe & hæredibus atque ſucceſſoribus ſuis, auctoritate Imperiali & territoriali animo deliberato pioque conceſſerunt jura & Privilegia, & uſque dum de Religionis diſſidiis in Imperio per Dei gratiam conventum fuerit, ſancte & inviolabiliter conſervatum iri, verbo Imperiali ſpoſponderunt, nunc ſub ſuo Regimine & Imperio vigorem priſtinum recuperent & ad poſteros pro-

Digitized by Google

propagentur. Qui hucusque cum Con-ſtatibus ſuis Catholico-Romanis, fide & obſequio erga Majeſtatem Veſtram & totam Domum Auſtriacam certarunt & adhuc indefeſſo labore bonis & ſanguine ſuo certare parati ſunt, acceptum hoc clementiæ Imperialis Documentum æternitati mandabunt, agnituri renovata & confirmata Privilegia, non tam a majoribus in ſe derivata, quam Majeſtatis Veſtræ gratia noviter conceſſa & quaſi cœlitus in tot piorum animorum ſolatium eſſe demiſſa. Nec minus attinget hæc Majeſtatis Veſtræ benevolentia Auguſtanæ Confeſſionis Ordines in Imperio: utpote qui videntes Religionis ſuæ conſortes in hæreditariis Regnis & Provinciis gaudere per omnia acquiſitis Privilegiis & libertate conſcientiæ, in partem obligationis venient, ſublata omni anſa diffidentiæ & querelarum, quaſi Judæis, Chriſtianæ Religionis hoſtibus, diræ eorum impietatis & blaſphemiæ exercitium indulgeretur; Evangelicis vero, qui tot Imperatorum privilegiis nituntur; & ſecundum Agendam Eccleſiaſticam Imperatoris Maximiliani II. auſpiciis concinnatam, cultui divino ſine cujusquam ſcandalo, ordine & Chriſtianis Eccleſiis decenti modo, operati ſunt, publica & privata eorum devotione interdiceretur. Quæ omnia ut & conſiderationem merentur, & zelo pietatis atque juſtitiæ Majeſtatis Veſtræ commendantur; ita ſi intellexerimus, amicam hanc Noſtram interventionem optato effectu coronatum iri, magna Nos amicitiæ teſtificatione nexuque devinctas agnoſcemus. De quibus Noſtro nomine pluribus agere & conteſtari juſſi ſunt Noſtri ad Imperii

perii Romani Comitia Deputati Conſiliarii & Legati, Nobiles Nobis ſincere fideles, Fridericus Bohle, hæreditarius in Prutzlou & Wolfsburg &c. & Matthias Biorenklau in Elmahoff & Wanneſtadt &c. quibus ut Majeſtas Veſtra clementem audientiam, & in hoc renovandorum & confirmandorum Privilegiorum negotio, ſperatam benignam reſolutionem impertiri dignetur, peramice rogamus; Majeſtati Veſtræ paratisſima ſinceri animi & officiorum ſtudia deferentes, Eandemque divinæ Protectioni ſerio commendantes. Dabantur in Regia Noſtra Stockholmenſi, die 26. Martii 1653.

CLXIIX.

Litera GENERALIUM BELGII FOEDERATI ORDINUM ad PARLAMENTUM REIPUBLICÆ ANGLIÆ, quibus utriusque Nationis ſuæ Incolas religione, ſtatu, & naturali Provinciarum inſeſſarum ſitu conformes belli & diſcordiæ invicem calamitatibus, cum hoſtium communium lætitia conſumi, acerbe dolent, 1653.

ORdines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ conſiderarunt, eſſe manifeſtam punitionem a juſto Dei judicio, ob multiplicia populi peccata lacesſito provenientem, quod, cum communio puræ & incorruptæ religionis utramque Nationem debebat connectere ad charitatem concordiamque, & ad procuranda mutuo alterutrius bona & commoda, (quo & natura ipſa propter vicinitatem Regionum videtur invitaſſe) Lites exortæ occaſionem cauſamque dederunt, ut, contra naturæ ipſius ſcopum, media, quæ

quæ utriusque ſaluti inſervire debebant, ad mutuam deſtructionem fuerint adhibita; & Religio, qua nihil in mundo charius pretioſiusque eſt, in ſummum periculum adducta. Cum vero utrique nationi a Deo media per ſe ſubſiſtendi ſatis ſuperque ſint data; adeo quoque ut altera alteram poſſit, ſi opus fuerit, & Divina id Gloria deſideraverit, juvare: Neſcio tamen quo fato communibus Inimicis materiam lætitiæ dederint, & quod illi non potuerunt, hæc una alteri fecerint. Interim maxime dolendum eſt, quod in hac colliſione, cujus eventus eſt incertus, ipſa ſemper victoria ſit vincenti luctuoſa, cum videtur effuſio tam copioſi domeſticorum Fidei ſanguinis, hoſtibus utcunque cadat belli alea, grata, Eccleſiæque DEI triſtis. Propterea prædicti Ordines pio zelo, nullo autem alio intuitu, moti ſunt, hæc Parlamento Reipublicæ Anglicanæ ob oculos ponere, ut, ſi eadem ipſi eſt mens, idem ſenſus, expendatur, quid Divino honori conſentaneum, quid utrique Nationi expediat. Deus optimus Maximus procul dubio, tam ſancto propoſito benedicet, & ulteriora media ſubminiſtrabit. Quodſi autem aliud Parlamento ſit propoſitum, prædicti Ordines tamen abunde, quod ſui erat officii, oſtenderunt, animoque tanto magis tranquillo expectabunt eventum, quem per haſce perplexitates Deus providerit. Datum Hagæ 18. Martii 1653.

Ad Mandatum Ordinum

Herib. de Beaumont,
Secretarius eorum.

Digitized by Google

CLXIX.

Reſponſoria PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLICANAE, ad proxime præcedentes ORDINUM FOEDERATI BELGII GENERALIUM Literas, 1653.

PArlamentum Reipublicæ Angliæ literas ad ſe miſſas, Hagæque Comitis octavo decimo Martii datas, & ab Herberto van Beaumont, Ordinum Hollandiæ Weſt-Friſiæque Secretario, Eorundem juſſu ſubſcriptas, accepit, quæ quidem recitatæ rerum in utroque hoc populo vicino præſentem ſtatum expoſuerunt, utriusque rei & rationibus plane repugnantem, iisque omnibus vinculis ſolutum, quibus ejusdem Religionis cultus purior utrumque mutuo devinxerat; Deliberari idcirco inprimis oportere, qua potiſſimum ratione in præſens Dei gloriæ, & communi utriusque emolumento conſuli poſſit. Ad quæ Parlamentum Reſponſum hoc reddit: Obſcurum non eſſe, quam propenſo animo quantoque ſtudio Gens Anglicana cum omni tempore, tum præcipue ex quo reſtituere apud nos Rempublicam Deo optimo maximo viſum eſt, ad ea ſemper incubuerit, quibus amicitiam arctumque fœdus utriusque inter ſe populi fundari firmiſſime poſſe arbitrabatur, iis adducta maxime rationibus, quæ & propriam ac veram utriusque populi utilitatem ac ſalutem domi, & communes utriusque Socios atque Amicos foris reſpiciebant, quibus & Pars utraque veluti obſtricta ſibi invicem erat, ut ſuas omnes opes utrinque adhiberet, & ad ſe ſe mutuo conſervandas, &

ad

Digitized by Google

ad Religionem orthodoxam, quam uterque profitetur, defendendam: quæ contra, ſi in ſe mutuo converterentur, quantum conjicere humanitus licuit, prorſus nihil aliud erant effecturæ, quam quod palam jam eſt, & ab ipſis Hollandiæ Weſt-Friſiæque Ordinibus in hiſce literis ſuis agnoſcitur. Cumque Parlamentum ſincera ſua ſtudia, inſolitis belli apparatibus, multisque hoſtiliter & extra ordinem factis, excipi animadvertit, tamen cum præſentiret animo, quantum Chriſtiani ſanguinis profundendum neceſſario eſſet, ſi res ad extrema deduceretur, quantumque commodi ex hac noſtra diſcordia ad libertatis, veræque Religionis everſionem, Pacis denique & ſalutis ad utrorumque hoſtes proventurum eſſet, medicandi illius vulneris cauſa, per amicam, ſi fieri poſſet, compoſitionem, non ſolum ad colloquium annuebat deſcendere, verum & in eo moderationem haud ſane exiguam adhibuit, quod inter alia vel ex conditionibus, Domino Heemſtedio propoſitis, ſatis perſpicuum eſt, per quas etiam optata pax redintegrari potuit, niſi is domum inopinato revertiſſet, nullo ad eas reſponſo, quod quidem certi aut explicati quicquam haberet, dato. Quapropter ut Parlamentum in hoc ſibi ſatisfacit, ſeque ſolatur inter has belli turbas & calamitates, ab ſe omnia ex animo fuiſſe prius tentata, pro virili ſua parte, quo iſtæ omnes averti potuiſſent; ita Ordines Hollandiæ Weſt-Friſiæque præterita ſecum reputantes, ſingulaque juſta lance trutinantes, nullam invenerint dubitandi anſam, quin Parlamenti ſen-

ſus ac voluntas recte, & prout æquum eſt, ſe habitura ſit in iis matùre conſiderandis, quæ nunc fieri oportebit, ad inhibenda hæc, ne gliſcant, mala. Quemque etiam affectum ut demonſtrare queat, ſumpta occaſione a literis ab Ordinibus prædictis, ex quibus eos præſentibus malis commotos intelligit, paratum ſe eſſe haud gravatim, oſtendit, ſuper iisdem Articulis porro agere, quos prius obtulit in reſponſionem ad illam partem chartulæ ſupradicti Domini Heemſtedii, in qua ab hac Republ. petebat, ut, quod æquum juſtumque foret, proponeret, ad componendas haſce controverſias, idque ſine ulla mutatione, præterquam tali, qualis in iis rebus incidit, quæ inter utramque Rempublicam, in hoc quam minime grato bello deinde acciderint: atque idem etiam ſuis ad Ordines Generales literis ſignificavit, quarum exemplar his eſt incluſum. Quæ quidem Amica & Chriſtiana propoſitio, ſi a dictis Ordinibus Generalibus conſimili affectu excipiatur, poterit, adſpirante Deo, ad componendum in præſentia diſſidium haud parum conducere, & utrumque populum priſtinæ amicitiæ reddere. Utcunque Parlamentum ſuo officio perfunctum, quocunque rerum eventu æquo atque ſedato animo acquieverit, ſeque clementiſſimi Dei providentiæ libens permiſerit, cujus tam in ſe propitium præſensque numen exemplis tot editis ubique ſenſit. Die 11. Aprilis 1653.

CLXX. *Li-*

Digitized by Google

CLXX.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLIAE, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus se ad conficiendos motus bellicos inter utramque Rempublicam ferventes quam maxime pronum esse asseverat, 1653.

QUæ studia sincera quæque perpetua benevolentia hujus Reipublicæ in Fœderatas Belgii Provincias, oblata quavis occasione, semper extitit, usque adeo manifestum est, ejusque indicia tam clara atque omnibus nota, ut locus dubitandi nullus plane sit: quin Parlamenti eo inclinet animus atque consilium, ut funesti hujus belli restinguendi, ne plus Christiani sanguinis profundatur, omnes justas atque honestas rationes amplecti promptissime velit atque fovere, belliqne loco pacem reducere, nec non amicitiam, fœdusque mutuum restituere atque in perpetuum stabilire. Tamen Parlamentum, cum ab Ordinibus Hollandiæ West-Frisiæque recentes literas acceperit, in quibus de suscepto hoc bello, quod sentiant, exponunt, quæque & quam gravia necessario secutura sint mala, hac data occasione haud invite fecit, non solum ut Ordinibus Hollandiæ West-Frisiæque de rerum præsenti statu in utroque populo, collatis utriusque rationibus, quem habeat sensum significaret: sed etiam ut Dominis Ordinibus Belgii Fœderati Generalibus, sicuti nunc facit, ostendat, quemadmodum Parlamenti studia atque conatus ante hæc non defuere, quo minus hisce malis inter ipsa initia mature obviam ire-

Digitized by Google

iretur, ita ſe, ne ſucceſſibus quidem poſtea ullis immutatum, cum a ſua priſtina in Fœderatas Belgii Provincias benevolentia nequaquam diſceſſerit, paratum eſſe, iis propoſitis, quorum in literis ad Ordines Hollandiæ Weſt-Friſiæque datis, mentionem fecit (quarum exemplum his eſt una involutum) omnem ſuam operam conferre, uti hæc diſſidia, ſi fieri poſſit, amica tandem compoſitione aliqua finiantur, amicitiaque & fœdus firmiſſimum inter utrumque populum denuo ſanciatur, quod faventis Dei benignitate atque propitio Numine brevi confici poſſit, ſi ſupradicti Domini Ordines Generales eundem animum & voluntatem retineant. Sin minus, Parlamentum tamen hanc ſibi ſatisfactionem utcumque perceperit, ſe quod ſui erat officii præſtitiſſe, ſedatoque animo atque tranquillo, omnem opem atque præſidium, in hac rerum commiſſa ſibi adminiſtratione, ab uno Deo ſperaverit. Die 11. Aprilis 1653.

CLXXI.

Reſponſoriæ ORDINUM FOEDERATI BELGII GENERALIUM ad præinſertas PARLAMENTI REIPUBLICAE ANGLICANAE literas, 1653.

ORdines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum, accepta & lecta Epiſtola, Parlamenti Reipublicæ Angliæ data die 1. Aprilis, ſtyli veteris, continente inclinationem ad amplectenda juſta, & extinguendo huic ærumnoſo bello, & effuſioni ſanguinis Chriſtiani ſiſtendæ, reſtituendæ paci & amicitiæ, ſtabiliendoque æterno inter utramque Nationem fœderi idonea media, habita matura deliberatione declararunt atque declarant, tam

dicto

dicto Parlamento, quam toti mundo ſatis apparuiſſe, prædictos Ordines ſemper ſincere & candide colendæ ampliandæque amicitiæ operam dediſſe, & ad ejus confirmationem paratos ſemper ſe fuiſſe, ut fieret arctum & perpetuum fœdus, eoque adhuc candide tendere, & quantum in ipſis eſt, contributuros. Ad cujus rei teſtimonium admittendos ſuo nomine Legatos cum plena poteſtate, loco aliquo medio ad id eligendo, atque ibi cum ſimilibus a Republica Angliæ miſſis inſtructisque Legatis conferendum & tractandum de transactione harum litium, omniaque contribuenda, quæ ad tam ſanctum opus ſunt factura. Se itaque a Parlamento expectaturos expreſſionem loci medii, temporisque, ut initium fiat; quo audito, ſe quam celerrime ulterius decreturos. Datum 30. Aprilis 1653.

CLXXII.

Litera FERDINANDI III. Romanorum Imperatoris ad CHRISTINAM, Suecorum Reginam, quibus ſuum omniumque Electorum, Principum ac Statuum S. R. Imperii nomine, ut ulterior Pomerania Electori Brandenburgico confeſtim reſtituatur, vel quid ſibi circa iſtam reſtitutionem ſit conſilii, categorice reſpondeat, inſtantius urget, &c. 1653.

Ferdinandus Tertius &c.

NUllatenus dubitamus, quin Serenitati Veſtræ probe conſtet, quanto ſtudio mox poſt concluſam pacem & conventum Norinbergenſem tractationis Receſſum, quamprimum in id incubuerimus,

mus, ut quicquid vigore ejusdem cuivis partium competit, reali demandaretur executioni, institutis in hunc finem sumptuosis Legationibus variisque Commissionibus; quod denique, ut cunctis hujusmodi pro executione pacis susceptis transactionibus plenarius imponeretur finis, & publica Sacri Romani Imperii quies atque tranquillitas, quoad ejus fieri possit, stabiliretur, præsentem Imperii Diætam indixerimus: quam & Serenitati Vestræ consuetis Literis invitatoriis eo fine denunciavimus, quatenus & Ipsa ratione Principatuum & Ditionum per pacificationem in Imperio Germanicæ Nationis sibi cessarum Consiliarios & Legatos suos deputaret, ac una cum reliquis comparentibus Statibus, quæ ad incolumitatem & utilitatem Imperii spectant, conferret, plane consisi, fore, ut interea Serenitas Vestra, ex sua etiam parte iis, quibus vigore pacis atque executionis conventæ aliquid restituere tenetur, satisfieri curaret.

Sicut igitur Nos, postpositis quibusvis charissimis Regnorum & Provinciarum nostrarum hæreditariarum negotiis, in termino præfixo personaliter huc in Nostram Sacri Romani Imperii Civitatem Ratisbonam Nos contulimus, atque ibidem Electores, Principes & Status Sacri Imperii partim in persona, partim per Consiliarios, Legatos & Deputatos magno numero comparuisse invenimus: Ita Nobis sane nec gratius nec acceptius quicquam fuisset, quam si pro more recepto mox post adventum Nostrum materia deliberandi publice proponi & Comitiis initium fieri potuisset.

Postquam autem compertum est, ulteriores Pomera-

Digitized by Google

meraniæ ditiones Electori Brandenburgico hactenus non esse restitutas, nec per Serenitatis Vestræ ad hæc Comitia Deputatos certi aliquid affirmari potuerit, quid tandem de hac restitutione expectandum esset, re cum præsentibus Electoribus, Principibus & Statibus mature deliberata, communem Imperii securitatem & tranquillitatem ab hoc negotio plurima ex parte dependere animadvertimus: Eapropter ne alterutra partium de præjudicio aliquo rationibus suis illato, conquerendi causam vel ansam se habere putaret, satius esse judicavimus, publicam Comitiorum propositionem per aliquod tempus differre, quemadmodum & ipsi quoque Electores, Principes & Status hanc moram hactenus non sine magno singulorum incommodo patienter tolerare voluerunt, indubitatam spem habentes, tanto temporis intervallo finem negotio impositum fore, præsertim quod Elector Brandenburgicus plures sibi ea in re competentes prætensiones dudum remiserit, nihilque obstet, quod ulterioris Pomeraniæ restitutionem diutius de jure & æquitate retardare possit: ideoque juxta claram Instrumenti Pacis dispositionem jampridem effectui datam esse oportuisse.

Cum autem Nobis nec non singulis Electoribus, Principibus & Statibus hic congregatis diuturnior mora intolerabilis, & simul erga universum sacrum Imperium minime excusari posse videatur, omittere non potuimus, quin super gravitate rei communem cum dictis Statibus institueremus consultationem. Quemadmodum igitur dubitandi locus non est, Serenitatem Vestram ex Instrumento

Digitized by Google

to Pacis perſpectum habere, ob Provincias ſibi in Imperio ceſſas, inter ſtatus quidem Imperii ſeſſionem datam, ſed pariter etiam ad ulteriorem Pomeraniam, mox poſt concluſam & ratificatam pacem, citra exceptionem præfato Electori Brandenburgico reſtituendam, obligatam; ideoque ſua ſponte propenſam inclinatamque fore ad ſatisfaciendum hujusmodi obligationi, nec vero paſſuram, moræ hujus tantum negotii cauſa quietem publicam turbari. Ita quoque Nos una cum Electoribus, Principibus & Statibus Imperialibus omnino neceſſarium judicavimus, ut tandem quæ Veſtræ Serenitatis circa hoc negotium mens eſſet, certo ſcire poſſemus, præſentibus literis eandem compellare, quod ut faceremus Noſtro & communi omnium Imperii Ordinum nomine dicti Electores, Principes & Status a Nobis inſtantiſſime poſtularunt. Cum igitur tam neceſſariæ & juſtæ poſtulationi annuere officio Noſtro Imperatorio incumbat, confidentes, Serenitati Veſtræ non minus curæ ac cordi eſſe, ut mutua amicitia ac benevolentia per initam pacificationem inter Nos utrinque, Sacrumque Romanum Imperium Coronamque Sueciæ contracta, ſtabilis, firma & inconcuſſa maneat, eaque omnia, quæ contentioni aut altercationi erga ullum vicinum Imperii Statum cauſam eſt anſam præbere poſſint, libenter e medio ſublata eſſe velle & cupere: adeoque minime refragaturam, ut dictæ Pomeraniæ ulterioris reſtitutio, tandem deſideratum conſequatur effectum, compoſitis jam præſertim ut relatum Nobis fuit, finium contentionibus, cæterisque differentiis, juxta deſignatio-

tionem a Veſtræ Serenitatis Commiſſariis ſtatim ſub initium illorum tractatuum exhibitam. Idcirco hoc ut fiat, eandem Noſtro, ac omnium Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum nomine hisce inſtantiis requirere voluimus, indubitata ſpe freti, hanc Noſtram requiſitionem, utpotè in Pace conventa fundatam, æquo animo acceptam fore, inſuper enixe poſtulantes, ut per expreſſum hunc Curſorem mentis ſuæ declarationem ad Nos perſcribere, ac ſine longiori mora eundem remittere ne gravetur: Quo tandem perlato ad Nos Serenitatis Veſtræ reſponſo, ad tractanda more ſolenni & conſueto comitialia negotia, quæ quidem diutius differri e re Imperii non eſſet, progredi, eaque juxta dictamen pacificationis communemque Imperii utilitatem perducere poſſimus. Viciſſim Veſtra Serenitas certo ſibi perſuadere poteſt, nos una cum Imperii Statibus, eadem, quæ Ipſis juxta Pacificationem Imperii competunt, fideliter obſervaturos eſſe: de cætero eidem benevolentiæ Noſtræ ſtudia offerimus. Ratisbonæ 12. April. 1653.

CLXXIII.

Literæ CHRISTINAE, Suecorum Reginæ, ad ELECTORES S. R. IMPERII Ratisbonæ de eligendo Romanorum Rege occupatos, quibus ab eis, ut in ipſo electionis actu ſuffragia ſua de eligendo Ferdinando Hungariæ & Bohemiæ Rege conſociare haud graventur, amice contendit, 1653.

Nos Chriſtina, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina, Magna Prin-

ceps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, nec non Domina Ingriæ & Wismariæ &c. Reverendiſſimis & Celſiſſimis Principibus, Conſanguineis, Affinibus & Amicis noſtris chariſſimis, Dominis Sacri Romani Imperii Electoribus, Salutem & omnigenæ proſperitatis incrementum!

Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principes, Conſanguinei, Affines & Amici chariſſimi.

COepit jam tumor increbeſcere inter arduas Dilectionum Veſtrarum curas, earum conſilia circa electionem novi Romanorum Regis pariter occupari. Nos probe conſiderantes providam non minus in negotio tanti momenti, quam rebus Imperii Romano-Germanici cæteris Dilectionibus Veſtris ſolicitudinem, perſuaſiſſimum Nobis habemus easdem Dignitati & ſaluti Imperii, nec non neceſſitudini cum vicinis Europæ Regnis Rebusque publicis amicitiæ conſervandæ tanquam e ſpeculo proſpecturas. Cui imprimis graviſſimæ, qua deſtinemini, deliberationi Veſtræ Divini Numinis benedictionem cœlitus apprecamur, ex animo voventes, eum a Dilectionibus Veſtris deſignari atque adeo eligi Romanorum Regem, qui in præfatam Vobiscum intentionem promovendam & tuendam magno animo feratur. Relatum vero Nobis jam nuper fuit, Sereniſſimum Hungariæ, Bohemiæque Regem, Dominum Ferdinandum Quartum circa hanc Electionem a pleriſque omnibus indigitari, & ab Ipſius Serenitatis

tis Domino Parente, moderno Romanorum Imperatore Dilectionibus Veſtris nominatum eſſe, quorum pariter ac Dominorum prædeceſſorum atque Majorum ſeriem, præcipuam facile dignitatem, reſpectum, valorem atque in Imperium merita cum ad animum Nobis revocamus, & indubia præterea ſpe ducimur fore, ut a præfato Rege, dum in Romanorum Regem & ſubinde Imperatorem electus fuerit, ſalus atque incolumitas Imperii, & concluſa Osnabrugi Monaſteriique pax publica & univerſalis, nec non fidens cum externis populis amicitia aliarumque rerum commercium mutuum, promoveatur ac conſervetur. Non poſſunt non tanto faſtigio dignæ virtutes atque encomia Suæ Serenitatis ad ejusdem commendationem Dilectionibus Veſtris impertiendam Nos pertrahere. Quod ſi ad ſummas & Imperatorem in prætacto Sereniſſimo Rege Fratre, Conſanguineo & Amico Noſtro chariſſimo præ ſe ferentes adminiſtrandi tanti officii dotes, noſtræ inſuper huic amicæ apud Dilectiones Veſtras commendationi pondus acceſſerit & momentum, eſt quod Vobis ipſis & Dignitati ſperatæque ſaluti Imperii, nec non publicæ Regnorum vicinorum ac rerumpublicarum tranquillitati animitus gratulemur, neque deerit Nobis, ſive cauſa ſive occaſio, quidquid honoris & amicitiæ Nobis in ſubſidium, perfectionem & ſtabilimentum deſiderii hujus Noſtri, Dilectiones Veſtræ detulerint, grato erga ipſos animo agnoſcendi, & de iisdem omnibus ſinceri affectus documentis demerendi. Deus Imperiorum ſtator & conſervator, conſilia & actio-

nes Dilectionum Vestrarum cæterorumque Principum atque Statuum Imperii in Comitiis modernis congregatis moderetur, & ad optatum ea finem perducat, cujus tutelæ Dilectiones Vestras amice & serio commendamus. Dabantur Stockholmiæ die 23. Aprilis, Anno 1653.

Dilectionum Vestrarum

Bona Consanguinea, Affinis & Amica

CHRISTINA.

A. Gyldenclau.

CLXXIV.

Litera ejusdem cum immediate præinsertis argumenti ad PRINCIPES & STATUS S. R. IMP. a CHRISTINA, Suecia Regina, exarata, 1653.

Nos Christina, Dei gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina, Magna Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, nec non Domina Ingriæ & Wismariæ &c. Reverendissimis, Illustrissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis & spectabilibus, Sacri Romani Imperii Principibus & Statibus, Consanguineis & Amicis Nostris charissimis & Nobis sincere grateque dilectis, salutem, studia amicitiæ & felicia quæque offerimus & precamur!

Reve-

Reverendissimi, Illustrissimi, Reverendi, Illustres, Magnifici, Generosi & spectabiles, Domini Consanguinei & Amici charissimi, Nobisq; sincere & grate dilecti.

QUod ad Comitia ab Imperatore indicta Dilectiones Vestræ & Vos frequenti numero Ratisbonæ comparuistis, cognitu Nobis fuit gratissimum. Optandum sane esset, ut initium ea pridem cœpissent, ne culpa suspensæ hactenus propositionis Nobis, ut comperimus, ex serotina ulterioris Pomeraniæ restitutione a nonnullis imputaretur; Qui cum vel non satis ignari istius rei sint, vel sequiori erga Nos adfectu ducantur; non attinet aut justitiam causæ Nostræ, aut quod serius, quam fortasse a quibusdam expectabatur restituta sit dicta Pomeraniæ pars Dilectionibus Vestris & Vobis operose deducere; Transactis jam Stetini rebus omnibus, quæ ejus restitutionem hactenus tardare visa sunt: Prouti Nostri ad Comitia Deputati Consiliarii & Legati certitudinem transactionis omnem Dilectionibus Vestris & Vobis enarrabunt; Et Nos Ipsæ ad Imperatorem de hac re jam perscribimus. Id vero nuper intelleximus inter Comitiales consultationes novis quoque Romanorum Regis electionem versari atque imprimis in considerationem venire Cæsareæ Majestatis filium, Serenissimum Hungariæ & Bohemiæ Regem. Quod si memoria revocamus & ob oculos Nobis ponimus, Imperium Romano-Germanicum, aliquot jam seculis ab Inclyta Austriaca Domo, ex eaque longa serie progeneratis Imperato-

ribus laudabiliter adminiſtratum floruiſſe. Nec dubitamus, quin ejus Serenitas inſiſtens Domini Parentis atque Prædeceſſorum, Majorumque ſuorum veſtigiis, ſummo ſtudio, conatu & opera, id omne ſit obſervatura & promotura, quod Dignitatem & ſalutem Imperii, conſervationem Pacis publicæ Oſnabrugi & Monaſterii concluſæ, & ſtabilimentum ſinceræ conſtantisque amicitiæ cum vicinis Regibus, Regnis atque Rebuspublicis, in iisque Nobis cum majoribus incrementis colendæ & conſolidandæ maxime concernit: In electione Romanorum Regis prætacti Ungariæ & Bohemiæ Regis ratio præ cæteris merito habenda videtur. Et præterea cum non modo ditionum Nobis Regnoque Noſtro Sueciæ ceſſarum, ſed & aliarum pariter neceſſitudinum nomine ac reſpectu Dilectionibus Veſtris atque Vobis, nec non univerſo Imperio, tanquam Conſtatus unitæ ſumus, committere non poſſumus, quin hæc animi Noſtri ſenſa Dilectionibus Veſtris atque Vobis, pro confidentia & intereſſe mutuo aperiremus, & præfatam Ejus Serenitatem, tum meritis majorum, tum virtutibus propriis & ſublimi priſtinæ dignitatis Regiæ atque duorum Regnorum ſplendore abunde jam ante commendatam, ad Imperii Germanici faſtigium amice & benevole recommendaremus. In quo arduo negotio non minus quam cæteris graviſſimis Imperii rebus atque Deliberationibus Dilectiones Veſtras & Vos conſilia Nobiscum ſua, pro incolumitate & utilitate Imperii omniumque in eo ſtatuum juncturos eſſe, firmiter Nobis perſuademus,

Deum-

Digitized by Google

Deumque ardentibus votis veneramur, ut consilia Dilectionum Vestrarum atque Vestra paterna sua benedictione cœlitus secundet, Easdemque & Vos potenter conservet. Dabantur Stockholmiæ die 23. Aprilis 1653.

Dilectionum Vestrarum

Bona Consanguinea & Amica & Vobis singulari benevolentia adfecta

CHRISTINA.

A. Gyldenclau.

CLXXV.

Literæ HENRICI, Comitis de Rochester, Legati CAROLI II. Britanniæ Regis tunc exulis, ad Ferdinandum III. Romanorum Imperatorem, quibus ejus sacrique Romani Imperii opem & consilia nomine Regis sui instantissime implorat, 1653.

Augustissime, Invictissime Cæsar.

DOmini Regis mei afflicta conditio & ejus acerbissima causa magis innotuit, quam ut verbis imparibus eam Cæsareæ Vestræ Majestati cum dolore & horrore in memoriam revocare liceat, cum nullus Christianorum Principum sit, qui non desuper compassionem & facinoris indignationem sit contestatus. Cum igitur Rex meus ea, qua debuit & potuit pietate & fortitudine, quamvis adverso effectu reparationem tentarit, & nunc Regnis suis pro maxima parte indignissime exutus, a Consan-

Digitized by Google

guineis & amicis Principibus & Statibus benevolam opem flagitare cogatur. Ideo ad Cæsaream Majestatem Vestram confugiens eandem pro salubri consilio & efficaci auxilio impartiendo Regiis precibus confidenter & instantissime implorat rogatque, ut etiam in præsenti Diæta, omnes Sacri Romani Imperii Dominos Electores, Principes & Status similiter pro eo ad heroicam declarationem insigne tempestivumque subsidium effective disponere velit. Devincient certe hoc facto excelso Cæsarea Majestas Vestra & Sacri Romani Imperii Electores, Principes & Status Regem meum ad æternam gratitudinem, quam ipse ejusque successores, rebus restitutis, in quacunque necessitate omnibus & singulis pariter promptissime exhibebunt. Hæc sunt quæ Cæsareæ Majestati Vestræ nomine & jussu Serenissimi Regis mei proponere debui.

Cæsareæ Majestatis Vestræ

Dab. Ratisbonæ Anno
M. DC. LIII. die
1. Maji.

Humillimus obsequentissimus
servus

Rochester.

CLXXVI.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLIÆ, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus se a justis honestis-

neſtique mediis reſtaurandæ in utraque Republica pacis non alienum eſſe declarat, 1653.

LIteræ ab Ordinibus Generalibus Fœderatarum Provinciarum, inſcriptæ Reipublicæ Angliæ, quæ a Thilmanno Aquilio eorundem Ordinum Nuntio, Excellentiæ ſuæ Oliviro Cromwello, Præfecto Exercituum pro Republ. traditæ nuper erant, & ab eo Conſilio ſtatus Albæ Aulæ nunc ſedenti exhibitæ, a Conſilio deliberatæ fuerunt, quæ cum reſponſum præ ſe ferant literis a nupero Parlamento hujus Reipublicæ ad Ordines Generales ſcriptis, de componendis diſſidiis inter utramque Rempublicam exortis, viſum eſt Conſilio, renunciare & declarare, ſe, non obſtante nupera rerum mutatione, quæ a DEO ſapientiſſimo omniaque providente & gubernante in hac Republica facta eſt, eodem animo, quo prius erga Provincias confœderatas bene affectum eſſe, & ſincero ſtudio ductum præſentia bella finiendi, firmæque & duraturæ pacis inter utramque Rempublicam ſtabiliendæ & prædictis literis a Parlamento ad Ordines Generales primo ultimi Aprilis miſſis, una cum illis ad Ordines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ ejusdem diei, hac occaſione a Conſilio relectis & expenſis, cum in iis animadverterit a Parlamento proponi, ſuper iisdem Articulis porro agere, quos prius obtulit in Reſponſionem ad illam partem chartulæ Domini Heemſtedii, in qua ab hac Republica petebat, eam, quod æquum juſtumque foret, propoſituram, ad componendas

Digitized by Google

hasce controverſias, idque ſine ulla mutatione, præterquam tali, qualis iis rebus incidit, quæ inter utramque Rempublicam in hoc quam minime grato bello deinde acciderit; Conſilium his præſentibus declarat: ſe paratum eſſe cum Ordinibus Generalibus ſuper iisdem Articulis procedere; quæ, prout illius fert ſententia, media ſunt, ad ante dictum finem aſſequendum, maxime probabilia. Quantum vero ad Tractatum in loco neutro per Legatos ab Ordinibus Generalibus propoſitum, ſiquidem poſſibile ſit, rebus ſic ſtantibus, hoc in effectum deduci; utcunque tamen plurimas ſecum neceſſario trahit moras, multasque difficultates patitur, quæ in re utriusque ſtatus ſalutem tantopere concernente ſedulo evitari debent, atque adeo cum Ordines Generales nondum iis, quæ a Parlamento propoſita fuere, reſponſum applicaverint, Conſilium quoque a parte ſua neceſſarium duxit eadem iterum propoſita revocare, atque omni poſthabita dilatione paratum deinceps erit, colloquium cum aliquibus autoritate plenaria inſtructis, qui ad hoc ab Ordinibus Generalibus ſuo nomine delegati fuerint, ſuper iisdem inchoare, declarans inſuper, & recipiens ſe quidquid a parte ſua rationabiliter expectari potuerit in iſta negotiatione collaturum, quo ſanetur & obducatur præſens vulnus, rectoque inter utramque Rempublicam intellectu reddito, benevolo invicem affectu ſeſe impoſterum proſequantur. Dat. Albæ Aulæ 6. die Maji 1653.

CLXXVII.

Digitized by Google

CLXXVII.

Litera commendatitia a CAROLO II. M. Britanniæ Rege tunc exule, ad JOHANNEM GEORGIUM I. Saxoniæ Electorem, Domini Samuelis Boſii, Colonelli cauſa, exarata, 1653.

P. P.

CUm fidelis atque Nobis apprime dilectus Dominus Samuel Boſa, Eques Auratus & Celſitudinis Veſtræ Subditus, nuper in Scotia & noviſſime noſtra in Angliam expeditione, Colonelli Regiminis Equitum munus obiens, Nobisque militans adverſus perduellium Noſtrorum copias, fortitudinis, prudentiæ & illibatæ fidei præclara ediderit facinora, atque Nobis ſignificaverit ſe decreviſſe in Patriam ad Celſitudinem Veſtram reverti, Virum de Nobis optime meritum, ſine Noſtra ad Eandem commendatione dimittere noluimus, & cum eo animo ad Celſitudinem Veſtram ſe conferat, ut Eidem officia & ſervitia voveat & omnibus debitis obſequiis atque obſervantia favorem Ejusdem promereatur, accepta ferat quæſumus illius ſtudia, ut, quam ambit apud Eandem gratiam conſequatur, id vero dum precibus Noſtris & meritis illius concedere dignabitur, Virum Ejusdem adpetentiſſimum devinciet, Nobis autem pergratum fecerit, & data occaſione vicem rependemus. Quod ſupereſt Celſitudinem Veſtram Dei Optimi Maximi tuitioni ex animo commendamus. Datum Pariſiis, die nona Maji, Anno 1653. Regnorumque Noſtrorum quinto.

CLXXIIX.

Digitized by Google

CLXXIIX.

Liber CONCILII STATUS REIPUBLICÆ ANGLIÆ, ad FRIDERICUM III. *Ducem Holſatiæ, Lineæ Gottorpienſis, quibus Regiminis formam quidem, non vero favorem & debitam exteris Principibus venerationem in Anglia mutatam eſſe, ſeque ingenti animorum propenſione erga ipſum ferri profitetur, 1653.*

Concilium Status Reipublicæ Anglicanæ, Sereniſſimo Principi Frederico, Hæredi Norwegiæ, Duci Sleſuici, Holſatiæ, Stormariæ, Ditmarſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt Salutem.

QUanquam Sapientiſſimo Deo viſum eſt rerum omnium moderatori Clementiſſimo præter illud onus, quod nobis cum majoribus Noſtris commune impoſuit, ut pro libertate Noſtra contra tyrannos honeſtiſſima bella gereremus, iis nos etiam auſpiciis eaque divinâ ope præ illis inſigniter adjuvare, ut non ſolum civile bellum reſtinguere, ſed & cauſas ejus in futurum præcidere, nec non & hoſtium externorum inopinatos impetus propulſare valuerimus, eundem tamen ſuprêmi Numinis in nos favorem ac benignitatem gratiſſimis, quantum poſſumus, animis agnoſcentes, non ita rerum noſtrarum ſucceſſibus efferimur, ut non ſingularem potius Dei juſtitiam ac providentiam edocti atque nosmet largiter experti, & bellum omne quantum licet, averſemur, & pacem cum omnibus cupidiſſime amplectamur. Quemadmodum igitur quæ amicitia, quæque fœderum jura Nobis cum populis

Digitized by Google

pulis quibuscunque ac Principibus antiqua interceſſere, ea hactenus cuiquam nec violavimus priores, nec violata voluimus; ita & Celſitudo Veſtra pro vetuſta ſua cum Anglis & a majoribus accepta amicitia poterit certiſſima animi perſuaſione de nobis æqua omnia atque amica & ſibi & ſuis polliceri. Denique ut delata a Celſitudine veſtra nobis ſua ſtudia atque officia plurimi, ut par eſt, facimus; ita operam dabimus, ut neque noſtra ullo tempore vel ſibi vel ſuis deeſſe ſentiat: Veſtramque adeo Celſitudinem Omnipotentiæ tutaminique Dei Omnipotentis quam maxime commendatam cupimus. Datis in Alba Aula die -- Julii, Anno 1653.

Subſcripſit & Concilii Sigillum imprimendum curavit

Concilii Præſes.

CLXXIX.

Litera PARLAMENTI REIPUBLICÆ ANGLIAE, ad CANTONUM HELVETIÆ ORDINES, reformatam Religionem profitentes, eorumque confœderatos, quibus eis, quod tam præclare de vindicata Anglorum libertate ſentiant, grates perſolvunt maximas, ſibique admonitionem eorum de Pace cum Belgis fœderatis concludenda curæ cordique fore promittunt, 1653.

Parlamentum Reipublicæ Angliæ, Illuſtribus & Ampliſſimis Conſulibus, Scultetis, Landammannis & Senatoribus Cantonum Helvetiæ Evan-

Evangelicorum, Tigurini, Bernenſis, Glaronenſis, Baſilienſis, Schaffuſienſis, Abbatiscellani, nec non ejusdem Religionis Confœderatorum in Rhætia, Genevæ, Sanctogalli, Mulhuſii & Biennæ, Amicis Noſtris Chariſſimis Salutem.

LIteras Veſtras, Illuſtres Domini atque Amici Chariſſimi, Decembris 24. 1652. ad Nos datas accepimus, omni humanitate, benevolentia, ſtudioque erga Nos Noſtramque Rempublicam egregio refertas, quodque Nobis ſemper majus & antiquius debet eſſe, charitatem fraternam & vere Chriſtianam ſpirantes. Deoque imprimis optimo maximo gratias agimus, qui vos, totque Veſtras Civitates nobiliſſimas, non tam illis montium clauſtris, quam inſita Veſtra fortitudine, pietate, & prudentiſſima æquiſſimaque rerum civilium adminiſtratione, mutua denique fœderum fide circumvallatas atque munitas, firmiſſimum univerſis orthodoxis præſidium illis in locis excitavit atque conſtituit: Vos deinde, qui per omnem Europam primi fere mortalium poſt invectas ab Aquilone Barbarorum Regum tyrannides, Deo Veſtram virtutem proſperante, libertatem Vobis peperiſtis, partam haud minore prudentia ac moderatione, tot per annos illibatam conſervaſtis; de nobis noſtraque libertate nuper vindicata tam præclare ſentire, tamque ſinceros Evangelii cultores de noſtro in orthodoxam fidem amore ac ſtudio, tam conſtanter perſuaderi, id quidem longe nobis gratiſſimum eſt. Quod autem ad pacem Nos pie ſane & affectu, ut Nobis eſt perſuaſiſſimum, vere Chriſtiano

Digitized by Google

ſtiano adhortamini, permagnum certe pondus apud Nos ea adhortatio habere debet; cum propter ipſam rem, quam ſuadetis, maxime expetendam, tum propter ſummam etiam autoritatem, quæ vobis præ cæteris hac in parte merito tribuenda eſt, qui inter maximos circumquaque bellorum tumultus, & ipſi ſummam pacem domi forisque tam diu colitis, & aliis omnibus pacis colendæ ſimul hortatores & exemplum optimum extitiſtis; cum id denique ſuadeatis, quod Nos dedita opera, idque haud ſemel, non tam noſtris rationibus, quam univerſæ rei Evangelicæ proſpicientes, per Legatos aliosque publicos Miniſtros petivimus, amicitiam nimirum & arctisſimum fœdus cum fœderatis Belgarum Provinciis feriendum. Verum illi (ſive illa perpetuo nobis infeſta, regiis adicta partibus, tyrannidis & ipſa apud ſuos affectatæ comperta Arauſiana factio potius dicenda eſt) quo pacto Legatos Noſtros, non de pace, ſed de fraterna amicitia ac fœdere arctisſimo venientes acceperint, quas poſtea belli cauſas præbuerint, ut Nos, inter ipſa Legatorum ſuorum de fœdere colloquia, inſtructa claſſe, nihil tale cogitantes, in ipſis naviuni ſtationibus noſtris, ultro laceſſerint, ex illo a Nobis ea de re publice ſcripto, & nunc una cum hisce literis ad Vos miſſo abunde intelligetis. Nos autem in id ſedulo incumbimus, Deo bene juvante, quamvis re hactenus tam proſpere geſta, ut neque Noſtris quicquam viribus aut copiis tribuamus, ſed uni omnia Deo, neque ſucceſsibus inſolenter efferamur: Eundemque animum retinemus conficiendæ juſtæ atque honeſtæ pacis omnes occa-

occaſiones amplecti paratisſimum. Vos interim, Illuſtres ac Præſtantisſimi Domini, quibus pium atque præclarum hoc ſtudium eſt, ſolo Evangelico amore impulſis, fratres inter ſe certantes componere atque conciliare, & omni apud homines laude digni cœleſtis illius pacificorum præmii apud Deum haud dubie compotes futuri, cujus ſummæ benignitati atque gratiæ Vos veſtrosque omnes ex animo commendatos volumus, ſi qua in re Vobis uſui eſſe poſſumus, ad omnia cum amicorum tum fratrum officia promptisſimi. Datis Weſtmonaſterio die -- Octobris, Anno Domini 1653.

Subſcripſit & Parlamenti Sigillum imprimendum curavit

Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliæ.

CLXXX.

Literæ CHRISTINÆ, Suecorum Reginæ, ad FRIDERICUM III. Ducem Holſato-Gottorpienſem, quibus ſe Legatis ſuis Ratisbonæ in Comitiis verſantibus mandaſſe refert, quo omnem lapidem moveant, ipſe ut alternantium Principum numero includatur, 1654.

CHRISTINA, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina, Magna Princeps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, nec non Domina Ingriæ & Wismariæ.

Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

TEnuere Nos aliquanto tempore ſuſpenſas variæ rationes, quæ receptioni Dilectionis Veſtræ inter Principes alternantes adverſari videbantur, ne tamen in mora ſimus, vergentibus jam ad exitum Imperii Comitiis, quo minus ex omni parte teſtatum ſit, nihil Nobis eſſe antiquius, quam ea omnia ſectari, quæ ad confirmandam concordiam mutuæque inter Principes, Statusque Imperii amicitiæ incrementum facere poſſunt; haud ægre intercesſioni Serenisſimi Imperatoris, Regis Daniæ, Collegiique Electoralis concesſimus. Inprimis vero permultum ponderis attulit conteſtatum ſæpius erga Nos resque noſtras ſtudium Dilectionis Veſtræ, denique propinquus ille, quo conjungimur, ſanguinis nexus, eoque propere Legatis noſtris ad Comitia Ratisbonenſia mandavimus, ut curæ ſuæ eſſe ducant, eo maxime modo Dilectionem Veſtram alternantium Principum numero includi, ac transmiſſum nobis a Deputatis Collegii Electoralis Schema ubetius commonſtrat.

Hæc ut acceptiſſima Dil. Veſt. fore confidimus; ita neutiquam dubitamus, quin Dilect. Veſt. ſumma animi contentione omnia ea ſit actura, quæ ad procuranda porro in Imperio Romano commoda noſtra facere poſſunt, atque argumento eſſe, manere etiam tunc Dil. Veſt. hujus benevolentiæ noſtræ illibatam memoriam; hoc pacto & certisſimæ expectationi noſtræ ſatisfiet, & interventu temporis naſcentibus ſubinde aliisque amicitiæ

vinculis, mutua necesſitudo noſtra perpetuas & nunquam intermorituras radices aget. Atque hisce Dilectionem Veſtram Deo amice commendamus, rectèque valere cupimus. Dabamus in Arce Noſtra Upſalienſi, die 10. Martii, Anno 1654.

Dilectionis Veſtræ

Bona Conſanguinea & Vicina
CHRISTINA.

Chanterſten.

CLXXXI.

Litera OLIVERII CROMVELLII, *Protectoris Reipubl. Anglicanæ, ad* ORDINES ZEELANDIÆ, *quibus eos, ne ſe & Ordines Hollandiæ per quosdam Hagæ latitantes pacis & concordiæ oſores a conſtanti quietis publicæ conſervandæ propoſito averti patiantur, ſed pari ſecum zelo idem indies magis magisque firmare contendant, blande compellat, 1654.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ &c. Celſis ac Potentiſſimis Dominis Ordinibus Zeelandiæ, bonis amicis & fœderatis Noſtris ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus!

Celſi ac Potentes Domini, boni Amici & Confœderati.

COnventu Veſtro Provinciali (jam uti accepimus) inſtante, Nos Chriſtiano & pacifico affectu commoti, ac ſerio Nobiscum reputantes, quan-

Digitized by Google

uantum Christiani sanguinis superiori bello, in-
er ejusdem fidei consortes mutuo datum hau-
umque sit, & quanto plus adhuc sanguinis,
ngruente iterum bello (quod Deus avertat) dan-
um hauriendumque sit, Christiani officii esse cen-
imus, Dominationibus Vestris (ut pote Nobis
na cum Hollandis maxime vicinis, & propter mu-
uum commerciorum usum pluribus amicitiæ vin-
ulis innexis) hisce præsentibus amice & sincere ex-
onere, Nobis dicto fœdere pacis nihil prius ne-
ue antiquius fore, modo præcipua ejus cautela
t securitas aliunde non labefactetur, rescindatur
ut infringatur, quod ne ullo modo ullisve male-
olorum artificiis fiat, tum Nobis majori studio-
um zelo contendendum, tum Dominationibus
'estris commendandum judicavimus, quandoqui-
em ex fama publica multisque aliis tam Haga
uam aliunde fide dignis nuntiis admonemur,
onnullos ibi omnem lapidem movere, ut sincera
t laudabilis Celsorum & Potentum Dominorum
)rdinum Hollandiæ in pace non ita pridem in-
:r Nos & fœderatum Belgium facta, rite colen-
a, confirmanda & stabilienda intentio & propo-
tum traducatur atque intervertatur, unde veren-
um est, ne omnis pactorum conventorum certi-
ıdo & securitas (sine qua nunquam paciscı nec
ebuissemus nec potuissemus) una eademque o-
era Nobis e manibus rapiatur, ac firma illa & per-
etuo (quod faxit Deus) duratura pax concutiatur,
befactetur, & postremo etiam, si fieri possit,
mnino etiam rumpatur, rursusque in cruentum
ellum convertatur & erumpat in utriusque Rei-

Digitized by Google

publicæ, imo universæ Reipublicæ Christianæ opprobrium & detrimentum irreparabile, tandemque (quod Deus misericors avertat) purioris & reformatæ Religionis in utraque gente & ubique gentium exterminium & ruinam: Nos vero constanter Nobis propositum habemus, dictum fœdus sancte & religiose observare, veramque & firmam amicitiam cum Celsis & Præpotentibus Universi Belgii singularumque Provinciarum Ordinibus & speciatim una quoque cum Dominationibus Vestris perpetuo colere, nulli dubitantes, quin Dominationes Vestræ una cum Dominis Ordinibus aliarum Provinciarum, pro singulari prudentia sua huic Nostræ justissimæ intentioni responsuræ, adeoque cum dictis Dominis Ordinibus Hollandiæ obviam ituræ sint perversis conatibus & inclinationibus eorum, qui pacem publicam propter privatum usum ac commodum fractam, & una communem libertatis & Religionis causam pessundatam, nec non communi utriusque hostium ludibriis & insultibus obnoxiam & expositam velint. Nos quidem, uti hisce præsentibus, conscientiæ Nostræ satisfacere voluimus; ita etiam Deum optimum maximum pacis unicum & concordiæ auctorem, ex animo precamur, ut super solida securæ adeoque duraturæ pacis & amicitiæ fundamenta, omnes ac singulæ fœderati Belgii Provinciæ non solum Nobiscum colant pacem & amicitiam, verum etiam inter se ipsos mutuo eademque, qua creverint hactenus, augescant indies, & quam diutissime fruantur concordia, in quem finem Deum veneramur, ut Dominationibus Vestris moderata & tranquilla con-

consilia inspirare velit, & porro totum hoc pacis negotium, magis magisque indies stabile ac firmum reddere dignetur, ut ante omnia divino Numini debitus honos, puro ejus cultui ac sacrosanctæ Religioni reformatæ, quam utrique profitemur, splendor, mari ac navigaturis prisca securitas, mutuisque commerciis vetus vigor reddatur, ac postremo inter utrasque gentes antiqua, vera & fraterna amicitia, tot vinculis religionis, vicinitatis & commerciorum astricta, ad majorem Dei gloriam, & ejusdem Religionis incrementum in perpetuum coalescat, & hæc avita amborum populorum libertas, utriusque Reipublicæ Pax & tranquillitas contra omnes malevolorum & pravas molientium machinas, omnesque insultus hostiles, tam domi quam foris, inconcussa maneat, quod benigne velit misericors ille Deus, cujus Divino Numini Dominationes Vestras commendamus. Datæ ex Alba Aula, 16. Junii styli veteris, 1654.

CLXXXII.

Literæ OLIVERII CROMVELLII, Reipublicæ Angliæ &c. Protectoris, ad ANTONIUM GUNTHERUM, Comitem Oldenburgicum, quibus ipsi pro gratulatione de susceptæ a se Anglicanæ Reip. administratione grates, seque Oratorum ejus postulatis satisfeciisse refert, 1654.

Illustrissime Domine.

PEr Literas Vestras Januarii die vigesimo 1654. datas certior sum factus, nobilem Virum Fridericum Matthiam Wolisogum, Secretarium Ve-

ſtrum, & Chriſtophorum Griphiandrum cum certis mandatis ab illuſtriſſima Dignitate Veſtra in Angliam miſſos fuiſſe. Qui cum ad Nos acceſſiſſent, & ſuſceptam Anglicanæ Reipublicæ adminiſtrationem Nobis Veſtro nomine gratulati ſunt; & uti Vos Veſtraque ditio in hanc pacem, quam cum fœderatis Belgii Ordinibus proxime fecimus, aſſumeremini: Ut denique Salvam-Guardiam illam quam vulgo vocant, a Parlamento nuper Vobis conceſſam noſtra nunc autoritate confirmaremus, petiverunt: ob iſtam itaque gratulationem tam amicam maximas, ut æquum eſt, gratias agimus: & illa duo poſtulata libenter conceſſimus; nulli etiam occaſioni in poſterum defuturi, quæ ſtudium in vos noſtrum poterit ullo tempore declarare. Idque ex ſupradictis Oratoribus Veſtris plenius vos arbitror intellecturos, quorum fides ac diligentia in hoc Veſtro apud Nos negotio præclare conſtitit. Quod reliquum eſt, Vobis, rebusque Veſtris felicitatem, atque ex voto pacem omnem exopto. Weſtmonaſterio, 27. Junii, 1654.

Illuſtriſſimæ Dignitatis Veſtræ

Studioſiſſimus

Oliverius Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ &c. Protector.

CLXXXIII.

Litera OLIVERII CROMVELLII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ &c. ad* ANTONIUM GUNTHERUM, *Comitem Oldenburgicum, quibus ſibi literas ejus non uno nomi-*

Digitized by Google

nomine gratissimas fuisse, seque amicitiam ipsius & munus transmissum plurimi facere nuntiat, 1654.

Illustrissime Domine.

LIteras Vestras Maji secundo die Oldenburgo datas accepi haud uno nomine gratissimas, cum quod essent ipsæ singulari erga me humanitate ac benevolentia refertæ; tum quod Illustrissimi Domini Comitis Antonii, perdilecti filii Vestri manu redditæ. Id quod eo magis honorificum mihi duco, ex quo illius virtutes tanta stirpe dignas, moresque eximios, studium denique in me egregium, non tam acceptum ab aliis, quam re ipsa cognitum atque perspectum jam habeo. Neque dubium esse potest, quin eandem quoque suis domi spem faciat, fore se Patris optimi præstantissimique simillimum; cujus præclara virtus atque prudentia perfecit, ut tota illa ditio Oldenburgica permultis ab annis, & summa pace frui, & pacis commoda percipere inter sævissimos undique circumstrepentium bellorum tumultus potuerit. Talem itaque amicitiam quidni ego quam plurimi facerem, quæ potest inimicitias omnium tam sapienter ac provide cavere. Pro munere denique illo magnifico est, Illustrissime Domine, quod gratias habeo; pro jure est ac merito tuo, quod ex animo sum

Illustrissimæ Dignitatis Vestræ

Westmonasterio 29. Jun.

A. 1654.

Studiosissimus

Oliverius Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ &c. Protector.

Digitized by Google

Superſcriptio.

ANTONIO GUNTHERO, Comiti in Oldenburgh & Delmenhorſt, Domino in Jehvern & Kniphauſen.

CLXXXIV.

Literæ CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad JOANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem datæ, quibus Ipſi ſummam rerum Suecicarum in ſe translatam eſſe refert, officiaque ſua paratiſſima & Principibus tot nominibus conjunctiſſimis digna offert, 1654.

Nos Carolus Guſtavus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Dux Finlandiæ, &c. &c. Sereniſſimo Principi, Fratri, Conſanguineo, Vicino & Amico Noſtro Chariſſimo, Domino Joanni Caſimiro, Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ &c. &c. ſalutem & omnia proſpera.

Sereniſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, Vicine & Amice Chariſſime.

CUm illius motu, qui cuncta Mortalium diſponit Regesque Regnis dat, viſum ſit Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principi ac Dominæ, Dominæ Chriſtinæ, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginæ, Magnæ Principi Finlandiæ &c. &c. Matri Noſtræ omni filiali cultu ac veneratione proſequendæ, plusquam Materna cura amoreque erga Nos, atque certis de cauſis Gubernaculis Imperii Hæreditarii ſe abdicare, ſummamque rerum ad Nos, accedente omnium Ordinum hujus regni conſenſu, trans-

Digitized by Google

ansferre, ſequentibus confeſtim Coronationis oſtræ ſolemnibus, alienum ab officio animoque oſtro fore judicavimus, niſi exordio Regiminis oſtri Deum Optimum Maximum precaremur, ut oc orbi Chriſtiano, Nobis, Regnoque Noſtro, & erenitati Veſtræ, Communibusque Amicis, felix fauſtum eſſe velit, & Serenitatem Veſtram, conderantes ſcilicet propinqui ſanguinis nexum, qui Jos cum eadem jungit, atque antiquam illam inter traque hæc Regna neceſſitudinem per complures im annos, induciarum pactis reſtauratam continuatamque, de hisce Imperii Noſtri auſpiciis edoeremus, atque omnia proſpera Serenitati Veſtræ oloniæque Regno ac populo comprecaremur, enique officia noſtra paratiſſima, & quæcunque b Amico & tam propinquo ſanguine procedere oſſunt, Eidem optimo affectu deferremus. Proide, ſi qua in re gratam Serenitati Veſtræ operam ræſtare poterimus, eſt quod Nobis indicet, ita de Jobis diſpoſitura, quemadmodum utrique Norum conducere exiſtimaverit, prout Nos etiam onfidimus, Serenitatem Veſtram hunc affectum Joſtrum pari erga Nos Regnumque Sueciæ voluate penſaturam. Has literas perferendas, & ſi ous fuerit, explicandas uberius, tradidimus Miniro Noſtro Dantiſci, egregio & ſpectabili Nobis incere fideli, Joanni Kock, quem ut Seren. Veſtra Joſtra cauſa benevolentia ſua complecti velit, ogamus, confidimusque. Quibus finientes Deum veneramur, ut Serenitatem Veſtram tueaur florentem & incolumem, lætisque & ſecundis

Digitized by Google

Superſcriptio.

ANTONIO GUNTHERO, Comiti in Oldenburgh & Delmenhorſt, Domino in Jehvern & Kniphauſen.

CLXXXIV.

Literæ CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad JOANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem datæ, quibus Ipſi ſummam rerum Suecicarum in ſe tranſlatam eſſe refert, officiaque ſuæ pantiſſima & Principibus tot nominibus conjunctiſſimis digna offert, 1654.

Nos Carolus Guſtavus, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Dux Finlandiæ, &c. &c. Sereniſſimo Principi, Fratri, Conſanguineo, Vicino & Amico Noſtro Chariſſimo, Domino Joanni Caſimiro, Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ &c. &c. ſalutem & omnia proſpera.

Sereniſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, Vicine & Amice Chariſſime.

CUm illius motu, qui cuncta Mortalium diſponit Regesque Regnis dat, viſum ſit Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Principi ac Dominæ, Dominæ Chriſtinæ, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginæ, Magnæ Principi Finlandiæ &c. &c. Matri Noſtræ omni filiali cultu ac veneratione proſequendæ, plusquam Materna cura amoreque erga Nos, atque certis de cauſis Gubernaculis Imperii Hæreditarii ſe abdicare, ſummamque rerum ad Nos, accedente omnium Ordinum hujus regni conſenſu, trans-

transferre, ſequentibus confeſtim Coronationis Noſtræ ſolemnibus, alienum ab officio animoque Noſtro fore judicavimus, niſi exordio Regiminis Noſtri Deum Optimum Maximum precaremur, ut hoc orbi Chriſtiano, Nobis, Regnoque Noſtro, & Serenitati Veſtræ, Communibusque Amicis, felix ac fauſtum eſſe velit, & Serenitatem Veſtram, conſiderantes ſcilicet propinqui ſanguinis nexum, qui Nos cum eadem jungit, atque antiquam illam inter utraque hæc Regna neceſſitudinem per complures jam annos induciarum pactis reſtauratam continuatamque, de hisce Imperii Noſtri auſpiciis edoceremus, atque omnia proſpera Serenitati Veſtræ Poloniæque Regno ac populo comprecaremur, denique officia noſtra paratiſſima, & quæcunque ab Amico & tam propinquo ſanguine procedere poſſunt, Eidem optimo affectu deferremus. Proinde, ſi qua in re gratam Serenitati Veſtræ operam præſtare poterimus, eſt quod Nobis indicet, ita de Nobis diſpoſitura, quemadmodum utrique Noſtrum conducere exiſtimaverit, prout Nos etiam confidimus, Serenitatem Veſtram hunc affectum Noſtrum pari erga Nos Regnumque Sueciæ voluntate penſaturam. Has literas perferendas, & ſi opus fuerit, explicandas uberius, tradidimus Miniſtro Noſtro Dantiſci, egregio & ſpectabili Nobis ſincere fideli, Joanni Kock, quem ut Seren. Veſtra Noſtra cauſa benevolentia ſua complecti velit, rogamus, confidimusque. Quibus finientes Deum veneramur, ut Serenitatem Veſtram tueatur florentem & incolumem, lætisque & ſecundis

rebus ſemper gaudere ſinat. Dabantur in Regia Noſtra Stockholmenſi, die 3. Julii, Anno 1654.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Frater, Conſanguineus & Amicus

Carolus Guſtavus.

CLXXXV.

Literæ OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ &c. ad* CAROLUM GUSTAVUM, *Suecorum Regem, quibus ipſi de felici in ſolium Regni Suecici exaltatione gratulatur, ſibique oblatam fœderis inter utramque gentem mutui continuationem acceptiſſimam fuiſſe, aſſerit, 1654.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ &c. Serenisſimo Principi, CAROLO GUSTAVO, Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ, Wismariæ, nec non Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Duci &c. Salutem.

Sereniſſime Rex.

CUm Suecorum Regnum per hosce dies ſummis Populi ſtudiis, omniumque Ordinum ſuffragiis liberrimis translatum ad vos eſſe, toto orbe terrarum percrebuerit, id maluiſſe Majeſtatem Veſtram ſuis literis amicisſimis quam vulgata fama nos intelligere, & ſummæ benevolentiæ erga Nos Veſtræ, & hono-

Digitized by Google

honoris inter primos attributi argumentum haud leve esse ducimus. Illam itaque Vestris meritis egregiis accessionem dignitatis, præmiumque virtute tanta dignissimum, & sponte & jure vobis gratulamur: idque ut Majestati Vestræ, Svecorumque genti, reique toti Christianæ bonum atque faustum sit, quod & vobis maxime in votis est, junctis precibus Deum oramus. Quod autem fœderis inter hanc Rempublicam, Sveciæque Regnum recens icti conservationem Majestas Vestra, quod ad se attinet, integerrimam, usque eo curæ sibi fore confirmat, ut quæ nunc intercedit amicitia, non permanere solum, sed, si id fieri potest, augescere etiam indies possit, id vel in dubium vocare nefas esset tua tanti Principis fide interposita, cujus eximia virtus non solum in peregrina terra regnum tibi hæreditarium peperit, sed tantum etiam potuit, ut augustissima Regina, Gustavi filia, cui parem omni laude Heroinam multa retro secula non tulere, possessione Imperii justissima inopinanti tibi ac nolenti ultro cederet. Vestrum denique tam singulare erga Nos studium, tamque præclaram animi significationem nobis esse gratissimam, omni ratione persvasum vobis esse cupimus; nullumque Nobis pulchrius certamen fore, quam ut vestram humanitatem nostris officiis nullo tempore defuturis, si id potest fieri, vincamus.

Majestatis Vestræ

Westmonasterio, die 4. Jul. 1654.

Studiosissimus

Oliverius Reipublicæ Angliæ, Scotiæ,
Hyberniæ &c. Protector.

CLXXXVI.

Digitized by Google

CLXXXVI.

Litera SENATUS CIVITATIS BREMENSIS, ad CAROLUM GUSTAVUM, Svecorum Regem, quibus gubernacula Regni Suecici in manus ipſius devoluta gratulatur, ac de hoſtilibus Gubernatoris in Ducatu Bremenſi Regii adverſus urbem ſuam inſultibus valde conqueritur, eosque ut pro ea, qua polleret autoritate & in publicam tranquillitatem propenſione irritos reddere gratioſe dignetur, humiliter rogat, 1654.

Serenisſime ac Potentisſime Rex, Domine Clementiſſime.

QUandoquidem Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Dominæ, Dominæ Chriſtinæ, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Reginæ &c. Dominæ noſtræ clementiſſimæ, gubernacula Regni ac Regiminis deponere placuit, eaque, ita dirigente Summo Numine, jure optimo maximo, applauſu totius populi, ad Sacræ Majeſtatis Veſtræ manus ſunt devoluta, dici vix poterit, quam nos inde ſolido gaudio ſimus perfuſi, ſubdubii, utrum potius Majeſtati Veſtræ de adepto Regno, an Regno, Provinciis & ſubditis de tali ex aſſe perfecto Principe gratulari conveniat, quem poſt flagrantiſſimum tot annorum bellum rite compoſitum pacemque reductam, jam totus fere orbis admiratur ac obſervat, & ob animi magnitudinem ſuſpicit, proindeque de ſuſcepta gubernatione gaudium lætitiamque conteſtatur; ut proinde etiam pro tenuitate noſtra, quam volupe nobis ſit hæc inauguratio, publice atteſtari debeamus; idque cum voto omnis Regiæ incolumita-

Digitized by Google

mitatis, proſperique æternantis Regni ſucceſſus, qui & felix fauſtusque ſit, ac, ut Sacra Majeſtas Veſtra ſub eo diuturna lucis uſura fruatur, ex animo vovemus, apprecamur! nulli dubii, ſicuti ante annos aliquot in tranſitu Urbis Noſtræ jam experimento edocti ſumus, quin Regia clementia nunc altiores radices ſit actura, quam omni officiorum genere humillime demereri nunquam deſiſtemus.

Dolemus autem, ſub ipſis novi regni Regiæ Veſtræ Majeſtatis auſpiciis malevolorum quorundam prava conſilia hiſce in oris adeo prævaluiſſe, ut parum abſit, quin nos cum ipſis, & alii nobiſcum, novo incendio (quod Deus Optimus Maximus pro ſua benignitate avertat) implicemur & involvamur. Dudum quidem eſt, quod precibus, patientia ad extremum uſque laceſſita, conteſtationibus, proteſtationibus, remonſtrationibusque ſolidis, cum per literas, tum per Legatos, ad Dominum Gubernatorem Comitem Kœnigsmarck aliosque Regimini Ducatus Bremenſis præfectos, a nobis miſſos, igni gliſcenti ejusque eruptioni obviam ire allaboravimus. At, quod eventus docuit, ferendo unam injuram, indies non niſi novam (proh dolor) invitavimus. Videntes itaque, nullum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, nullum Sacr. Rom. Imperii ejusque Conſtitutionum & Concluſorum, nullum pacis publicæ, uti nec protectorii, conſervatorii, aut Mandatorum Cæſareorum reſpectum, impetum illorum inhibere ac coërcere potuiſſe, quibus animus fuit,

ter-

territorium noſtrum una cum ipſa Civitate, licet per Inſtrumentum Pacis ab omni impetitione liberum eſſe juſſum, perditum ire; imo videntes, poſſeſſiones notorie noſtras, directo contra Inſtrumentum Pacis articulo decimo, Verſ. Civitati vero Bremenſi &c. aperta vi invadi, tormentis bellicis & globis igneis expugnari, apparatum bellicum majorem, in perniciem noſtram indies, magis magisque præparari, coacervari, & in vicinia comportari, fortalitiis contra pacta noviter exſtructis & acriter inſtructis, undique etiam in territorio hujus Civitatis nos cingi, liberæ navigationi in Viſurgi & per conſequens ipſis Commerciis frenum injici, equos aliaque ſubditis noſtris eripi, ereptos in nos armari, excurſiones ad portas uſque Civitatis noſtræ inſtitui, atque (ut uno verbo quaſi omnia comprehendamus) de bonis, de vita, & quæ cum vita pari paſſu ambulat, de ipſa libertate nos periclitari, tandem coacti plane & inviti, unicum, (quod ſupererat) ad neceſſariam defenſionem, poſt Deum refugium ſumſimus, atque turbatoribus hiſce pacis publicæ, nos legitimo tramite oppoſuimus, rati, etiam de jure divino, naturali & gentium, defenſionem licitam eſſe, ubi offenſio eſt illicita. Nec propterea ab humillima in Sacram Regiam Veſtram Majeſtatem atque Coronam Svecicam devotione vel minimum recedimus, certa ſpe freti, tantum abeſſe, ut probe inſpecto atque cognito hoc Regiæ Veſtræ Majeſtatis miniſtrorum proceſſu eorundem pacifragis molitionibus atque attentatis aſſenſum ſit præbitura, quin potius condigne

digne eosdem coërcitura, & in ordinem redactura. Ut enim Regia Vestra Majestas & tota Corona Svecica publicæ concluſæ pacis religioſam obſervantiam profitetur; ita eandem nunquam admiſſuram aut conſenſuram credimus, ut contra diſertam Inſtrumenti Pacis artic. 13. §. 4. Verſ. Et nulli omnino Statuum &c. diſpoſitionem dictus Gubernator Regius ejusque aſſeclæ, vi aut armis perſequantur, quodcunque demum juris ſive prætenſionis ſibi competere, licet erronee, perſvaſum habent. Eidem itaque fiduciæ inſiſtentes, ad Regiæ Veſtræ Majeſtatis pedes humillime devoluti, enixisſime rogamus, velit, jubeat eadem, ut vis contra Inſtrumentum Pacis publicum, contra protectorium, conſervatorium & Mandata Cæſarea, nobis noſtrisque ſubditis illata ſiſtatur, poſſeſſio aliaque ablata cum omni cauſa reſtituantur, ac de non amplius turbando legitime caveatur, igni ſerpenti oleum ſubtrahatur, aqua affundatur, adeoque bono viciniæ & totius Imperii publico tranquillitas his quoque in oris reducatur, ſtabiliaturque. Sic Regiæ Majeſtatis Veſtræ tam ex juſtitia, quam clementia vere Regia promerita laus & gloria in æternum perennabit, quam Nos cum poſteris noſtris non modo deprædicare, ſed & pro viriculis omni niſu humillime demereri ſtudebimus. Deus Opt. Max. Regiam Veſtram Maj. diu conſervet incolumem, eidemque omnes proſperos ſucceſſus largiatur! Sic Regiæ Veſtræ clementiæ, Nos, Noſtrosque Civitatem, Territorium, Cives & ſubditos humillime commendamus. Dabantur

ſub

ſub Secreto Civitatis Noſtræ VI. Julii Anno a nato Chriſto M. DC. LIV.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi ac obſervantiſſimi

Conſules & Senatores
Reipubl. Bremenſis.

CLXXXVII.

Literæ credentiales a CAROLO GUSTAVO, Svecorum Rege, Comiti Carolo Chriſtophoro de Schlippenbach, Legato ſuo, ad JOHANNEM GEORGIUM I. Saxoniæ Electorem, traditæ, 1654.

Nos CAROLUS GUSTAVUS Dei Gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, tot. tit. Celſiſſimo Principi, Conſanguineo & Amico Noſtro chariſſimo, Domino Johanni Georgio, Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archimareſchallo & Principi Electori &c. &c. Salutem & proſperos rerum ſucceſſus!

Celſiſſime Princeps, Conſanguinee & Amice charisſime.

CUm e re Noſtra communique Nobis viſum ſit ad Dilectionem Veſtram ablegare ſupremum Cubicularium Noſtrum & cohortis prætoriæ præfectum, Illuſtrem & Generoſum Nobis ſincere fidelem & dilectum, Dominum Carolum Chriſtophorum de Schlippenbach, Comitem in Schevede, & Liberum Baronem in Liuſala, Dominum in Kozenhauſen & Salnig, utpote Virum ſum-

ſumma prudentia & dexteritate inſignem, denique ſingulari erga Nos fide conſpicuum, quam multis modis, imprimis vero circa ſuſceptos Imperii Noſtri faſces Nobis approbavit. Idcirco a Dilectione Veſtra amice contendimus, velit non tantum dicto Domino Comiti in iis, quæ Noſtro nomine apud Dilectionem Veſtram egerit & propoſuerit, omnimodam fidem velut Nobis Ipſis adhibere, verum etiam haud vulgari erga dictum Comitem favore teſtatum facere, quam bene Nobis rebusque Noſtris cupiat. Nos, quicquid grati acceptique ſæpius nominato Domino Comiti acciderit, ita æſtimabimus ac ſi Nobis ipſis eveniſſet, re ipſa teſtaturi, quanti affectum erga Nos Dilectionis Veſtræ faciamus æſtimemusque. Quibus finientes Dilectionem Veſtram Deo ex animo commendamus. Dabantur in Regia Noſtra Civitate Holmenſi die 15. Julii 1654.

Carolus Guſtavus.

CLXXXIIX.

Litera CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus, quantos qualesque motus Civitas Bremenſis in Ducatu Bremenſi concitare ſit aggreſſa, exponit, nec vicinis ex bello inde enato aliquid periculi metuendum eſſe aſſeverat, 1654.

Nos Carolus Guſtavus Dei Gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Celſis & Potentibus Noſtris Amicis & Fœderatis, Dominis Ordinibus Generalibus Uniti Belgii ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus.

Celſi & Præpotentes, boni Amici & Fœderati.

NOn poteſt Vos latere, quantos motus Civitas Noſtra Brema in Ducatu Noſtro Bremenſi ab aliquo jam tempore concitare ſit aggreſſa, tum ut injuria prætenſam ſuam immedietatem hoc pacto fulciret, tum ut jura NoſtraDucalia & territorialia controverſa faceret & labefactaret, arrogando ſibi in territorio Noſtro jus muniendi & propugnacula extruendi. Cumque non dubitemus, quin dicta Civitas pro conſueta ſibi irreverentia actiones Noſtras & injectam Nobis neceſſitatem Noſtros ſubditos juraque Ducalia tuendi apudVos traducere ſit conatura, hiſce pauculis amice Vos commonendos eſſe duximus, ea fiducia freti, ut pro ſumma prudentia & æquanimitate Veſtra, denique antiqua illa qua conjungimur amicitia, nullam fidem dictæ Civitatis criminationibus adſtruatis, atque ut ab iis omnibus alieni eſſe velitis, quæ ad augendos illius inanes ſpiritus trahendosque tam noxios motus facere poſſunt, quin etiam Eidem auctores ſitis, ut ad debitam Nobis reverentiam officiumque redeat, Vobis certo perſvadentes, Nobis nihil aliud conſtitutum eſſe, quam ea, quæ vigore inſtrumenti pacis nacti ſumus, jura Ducalia tueri, atque Civitatis illius inſolentias & hoſtilitates arcere & propellere, nec quenquam vicinorum (cum quibus firmam ſemper amicitiam colendi in animo & votis habemus) hiſce, quod ſperamus, non diu duraturi belli fluctibus involvere, vel ex eorum occaſione damno aut detrimento aliquo afficere. Quos præter juſtitiam cauſæ Noſtræ,

Digitized by Google

ſtræ, a Reſidente Noſtro apud Vos de conſtanti affectu amicitiaque Noſtra certiſſimos eſſe volumus, divinæ tutelæ Vos amice commendantes. Dabantur Stockholmi 15. Julii 1654.

Veſter bonus Amicus & Fœderatus

Carolus Guſtavus.

CLXXXIX.

Literæ OLIVERII, *Reipublicæ Angliæ &c. Protectoris, ad* CAROLUM GUSTAVUM, *Sveciæ Regem, quibus ipſi dolorem ſuum de ferente inter Svecos & Bremenſium Civitatem bello aperit, utque quamprimum conficiatur optat & ſvaſor eſt, 1654.*

Serenisſimo Principi CAROLO GUSTAVO, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi.

CUm de Voluntate Veſtræ Majeſtatis in me ſingulari ex Veſtris ſim nuper literis perſvaſus, quibus & ipſe pari ſtudio reſcripſerim, videor mihi ex ratione prorſus amicitiæ Noſtræ deinceps facturus, ſi quemadmodum, quæ grata acciderint, ad lætitiam mutuam communicem, ita, quæ contraria, de iis tanquam Vobis amiciſſimis, animi mei ſenſum doloremque aperiam. De me equidem ſic exiſtimo, eo me in loco Reipublicæ jam eſſe conſtitutum, ut communi Proteſtantium paci imprimis, & quantum in me eſt, conſulere debeam. Quo gravius neceſſe eſt feram, quæ de Bremenſium & Svecorum præliis mutuisque cladibus ad Nos perferuntur. Illud primum doleo amicos utros-

que noſtros tam atrociter tamque Proteſtantium rationibus periculoſe inter ſe decertare; pacem deinde illam Monaſterienſem, quæ Reformatis omnibus ſummo præſidio credebatur fore, ejusmodi infelix peperiſſe bellum: ut nunc arma Svecorum in eos converſa ſint, quos inter cæteros paulo ante religionis cauſa acerrime defenderunt; idque potiſſimum hoc tempore fieri, cum Pontificii per totam fere Germaniam Reformatos ubique rurſus opprimere & ad intermiſſas pauliſper injurias vimque priſtinam redire palam dicantur. Cum itaque intelligerem, dierum aliquot inducias ad Bremam urbem jam eſſe factas, non potui ſane, quin Majeſtati Veſtræ, occaſione hac data, ſignificarem, quam cupiam ex animo, quamque enixe Deum pacis orem, ut iſtæ induciæ utrique parti feliciter cedant; utque in pacem firmiſſimam ex compoſitione utrinque commoda poſſint deſinere. Quam ad rem ſi meam operam conferre quicquam aut uſui fore Majeſtas Veſtra judicaverit, eam vos libentiſſime, utin re divino Numini procul dubio acceptiſſima, polliceor atque defero. Interea Majeſtatis Veſtræ Conſilia omnia, ut ad communem Chriſtianæ rei ſalutem dirigat Deus atque gubernet, quod idem non dubito, quin & vos maxime velitis, animitus exopto

Majeſtatis Veſtræ

Dat. Ab Alba Aula
Octobr. 26. 1654.

Studioſiſſimus
Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ &c.

CXC. *Li-*

CXC.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ &c. ad SENATUM Bremenſem, cui ſe Regi Sueciæ pacem & concordiam ſvadendo ſcripſiſſe refert, 1654.

Magnificis Amplisſimisque Conſulibus ac Senatoribus Civitatis Bremenſis.

EX literis Veſtris per Oratorem Veſtrum Henricum Oldenburgum ad Nos datis, coortum Civitati Veſtræ cum vicino potentiſſimo diſſidium, quasque exinde ad anguſtias redacti ſitis, eo majore cum moleſtia ac dolore intelligo, quo magis Bremenſem Civitatem præter cæteras orthodoxa religione præſtantem diligo atque amplector; neque in votis quicquam habeo antiquius, quam ut univerſum Proteſtantium nomen fraterno conſenſu atque concordia in unum tandem coaleſcat. Lætari interim communem Reformatorum hoſtem hiſce noſtris contentionibus & ferocius paſſim inſtare certiſſimum eſt. Ipſa autem controverſia, cum deciſionis noſtræ non ſit, quæ vos jam exercet, Deum itaque oro, ut quæ cœptæ ſunt induciæ, posſint felicem exitum ſortiri. Equidem quod petiiſtis ad Svecorum Regem ea de re ſcripſi ſvaſor pacis atque concordiæ, Deo nimirum imprimis gratæ, meamque operam, ut in re tam pia libens detuli, vos uti æquum animum, neque ab ullis pacis conditionibus, honeſtis quidem illis, abhorrentem

ſuadeo geratis, veſtramque civitatem divinæ tutelæ ac providentiæ commendo.

Amplitudinis Veſtræ

Datæ ab Aula Alba
Octobr. 26. 1654.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ &c.

CXCI.

Literæ SENATORUM REGNI SVECIAE ad SENATORES REGNI POLONIAE MAGNIQUE DUCATUS LITHUANIAE, quibus Regem ſuum pacis inter utramque gentem reſtaurandæ ſtudioſisſimum eſſe probant, ac ut Respublica, Polon. remotis omnibus ambagibus, ad obtinendam ſalutarem adeo ſcopum majori ſinceritate ſua conferat ſtudia, obnixe contendunt, 1655.

Nos SENATORES INCLYTI REGNI SVECIÆ, Reverendiſsimis, Illuſtriſsimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis & Generoſis Dominis SENATORIBUS REGNI POLONIÆ, MAGNIQUE DUCATUS LITHUANIÆ, vicinis & amicis noſtris obſervandiſsimis, ſalutem & proſperam rerum incolumitatem.

Reverendiſsimi, Illuſtriſsimi, Reverendi, Illuſtres, Magnifici & Generoſi Domini, vicini & amici obſervandiſsimi.

VIdimus eos non raro, præterlapſis nuper annis, qui ſub eximio provehendæ pacis titulo,

& Se-

& Serenisſimam ac Clementisſimam antehac Reginam noſtram Chriſtinam, & Serenisſimum hodiernum Regem, Dominum noſtrum Clementisſimum, nomine Serenisſimi Poloniæ Regis convenerunt. Præſenti etiam tempore adeſſe quendam nobilem Morſtenium intelligimus, qui negotia prioribus non disſimilia, mandato Regis Veſtri expedienda ſuſceperit. Quamvis vero ex iis, quæ indicare neceſſum habuit, antequam ipſi integrum eſſet ſperare, ut in conſpectum Regium admitteretur, talia pateant, quæ irritamento disſidiorum noſtrorum, quam eorum reconciliationi propiora ſunt: integritati tamen ſuæ concedendum exiſtimavit Serenisſimus Rex, Dominus Noſter Clementisſimus, ut nihilominus pro munere noſtro, Senatorium Ordinem Veſtrum, nonnulla candide & tempeſtive literis hiſce moneremus; ſcilicet Regiæ illius Majeſtati conſtitutum eſt, aut candore ſuo res utrinque noſtras ad ſolidum & ſecuritati noſtræ convenientem amicitiæ uſum revocare, aut alias id agere, ut quandocunque ſuæ, Regnique ſui dignitati ac conſervationi, divina adjuvante gratia, ab aliorum injuriis & imminenti periculo proſpicere cogatur, tum apud orbem univerſum, & in ipſis Illuſtrisſimarum Dominationum Veſtrarum conſcientiis, juſtisſimæ illius ſollicitudini ratio ſua conſtet. Quamdiu intermunciis reciprocum tractandi ſtudium excitari invicem decuit, non modo Veſtros Serenisſima Regina Chriſtina benignisſime admiſit, ſed Ipſa paribus vicisſim humanitatis officiis nequaquam defuit. Nihil in ſe deſiderari paſſa eſt, ſive tractatus Pacis urgere oporteret, ſive Commiſſarios ſuos iis pera-

gendis rite conſtituere. Ubi vero deprehenſum fuit iteratis Lubecæ legationibus veſtris, neque convenientes negotio tanto adfuiſſe plenipotentias, neque Commiſſarios veſtrates, favore quietis publicæ, commoveri potuiſſe, ut in iis, quæ nobis ſtatuique noſtro indignisſimum erat negligere, vobis vero in pacem pronis obtinuiſſe nequicquam profuit, ab opinione ſua nonnihil recederent, non niſi facillimum erat prævidere, ſimiles ſemper congreſſus pares exitus habituros. Nemini itaque mirum videri poterit, ſi internunciis deinde veſtris aperte teſtati ſumus, ambagibus & verbis ipſo eventu irritis, circumagi gentem noſtram, neque decorum illi, neque tolerandum eſſe. Conſtans avis parentibusque noſtris fuit inſtitutum, idemque nobis adhuc manet, honeſtam Vobiscum Pacem ſincere potius quam ſpecioſe admittere & perſequi, dummodo Regum juſte nobis imperantium, Regnique hujus honori & ſecuritati recte proviſum fuerit. Eo quidem animo Sereniſſimus Rex, Dominus noſter clementiſſimus, cum nuper, evidenti Numinis benignitate & clariſſimis virtutibus ſuis ad ſummam rerum apud nos evectus eſſet, in ipſis regnandi initiis expeditiſſimam tranquillitati inter Nos reducendæ viam aperuit. Contigit enim, Canazilium ipſo momento translati in Suam Regiam Majeſtatem Imperii, hic præſentem eſſe, quamvis ille vero ad Sereniſſimam Reginam Chriſtinam, a Sereniſſimo Poloniæ Rege advenerat, quoniam tamen ſæpius de pacis parandæ negotio, in hoc regnum miſſus fuerat, & tunc quoque eam præcipue ob cauſam acceſſiſſe ſe affirmaret, Sacra Regia Majeſtas illi mentem ſuam,

Digitized by Google

ſuam, per defunctum nunc piæ memoriæ Regni hujus Cancellarium, integerrime declarari mandavit. Quandoquidem enim ingenuum Regis & Reipublicæ veſtræ ſtudium ſummopere teſtabatur, in mutuam nobiſcum amicitiam propendere, eandem quoque nobis haud ingratam eſſe intellexit. Cæterum neque conducere ullius noſtrum honori, neque ad finiendas lites noſtras prodeſſe, priorum tractatuum more, vanis tantum rumoribus præbere materiam, mediatorum officio creare Regibus & Principibus aliis moleſtiam, tandemque ſpecioſo apparatu, quaſi res maximas in conſpectu Orbis acturos, convenire, deinde quocunque iterum prætextu diſcedere, unde vicinis nationibus ludibrium, nobis vero in mutua odia ſuſpiciones moventur, atque ſic animis ad conciliationem minus aptis ab invicem recedamus, quam quibus congreſſi ſumus. Hoc pacto nullos pacis tractatus placere, neque iis ſemel iterumque in vanum tentatis pluribus vi pactorum nos adſtringi. Spem duntaxat ſolidam in eo conſilio ſupereſſe, ſi Sereniſſimus Rex Veſter & Respublica veſtra, loco tot internunciorum quemquam ſufficienti in eam rem poteſtate inſtructum, ad Suam Regiam Majeſtatem deſtinarent. Diſſidia noſtra alias gentes non attingere; ipſa annorum decurſu magna ſui parte obliterata merito eſſe debere, quo compendioſius, eo optatius componi poſſe. Sin iſtud Sereniſſimo Regi Veſtro & illuſtriſſimis Dominationibus Veſtris nequaquam arrideret, per S. Majeſtatem Regiam Dominum noſtrum Clementiſſimum, id quidem licere, ſed pariter etiam prodeſſe, ut nemo

amplius, imperfectiori poteſtate munitus, in ea cauſa huc mitteretur, quum non alio argumento nobis eſſet futurus, niſi quocunque alias conſilio, quam ingenuo pacis deſiderio ejusmodi ambages nobiſcum inſtitui. Hoc reſponſo, quo evidentius aliud expectare non poterat, Canazilius in Poloniam rediit. Sereniſſimus vero Rex, Dominus noſter Clementiſſimus, ut Majeſtati Regiæ humanitatem nihil derogare teſtaretur, primus ipſe miniſtrum ſuum Joh. Cock ad Sereniſſimum Poloniæ Regem amandavit, cum literis, quibus indicavit ſe Sueciæ Imperium ſuſcepiſſe, & ſimul amiciſſima Regi veſtro ſtudia obtulit. Nihil poſtea inter nos actum eſt, donec paucis antehac ſeptimanis Morſtenius in hanc urbem accederet, Internuncium ſe dicens, ad Suam Reg. Majeſtatem, Dominum Noſtrum Clementiſſimum, a Sereniſſimo Rege Veſtro ablegatum. In ipſo ſtatim initio reiterata toties inanis ea mittendi ratio, præſertim poſt luculentiſſimam in contrarium declarationem noſtram, nihil ſolidi afferre ominabatur. Contigit autem multo magis præter expectationem, quod eodem momento, quo calentes maxime Regis Veſtri affectus nobis perſuadendi eſſent, ex Copia Literarum credentialium, quas ille ſecum apportaverat, deprehenderetur, præjudicio & Dignitatis Regiæ & Status Noſtri eſſe refertiſſimas. Ita incipiunt, ut paritati Regum Noſtrorum nonnihil detrahant, ita finiuntur, ut ſub Regnorum pluralitate, etiam in nullius momenti minutiis, intolerandæ Regis veſtri adverſus ſtatum noſtrum prætenſioni faveant. Cæterum quod alias excuſari,

Digitized by Google

ſari, niſi frigide, non potuit, Internuncius ipſe incuriæ Cancellariæ veſtræ imputandum cenſuit. In ſcribarum veſtrorum negligentiam inquirendum nobis eſſe non cenſemus, neque anxii ſumus, an & admodum callida ſit, ut nullibi impingat, niſi quando nobis imponendum eſt. Dignius multo de conſpicua veſtra prudentia judicamus, quam ut negotia, quibus tot populorum tranquillitas conſtat, adeo incaute tractari ſinat. Iſtius rei indignitas facile moviſſet Regiæ Majeſtati dubium, quomodo æquisſimum eſſet, eam excipere, tandem tamen ſufficere ſibi rata eſt, literas neque recipere, neque internuncium admittere. Præterea vero, cum nihil illi poteſtatis eſſe intelligeret, niſi ut iterum de præparatoriis ad pacem ageret & alia quæcunque antequam ea firmata ſit, inani opera proponantur, moneri illum benignisſime voluit, ne alias quascunque literas a Rege ſuo expectare conſtitueret. Serenisſimo noſtro Regi, Domino Noſtro Clementisſimo, id eſſe propoſitum, ipſi indicatum fuit, ut quamvis declarationi ſuæ Canazilio datæ ulterius quidem obſtringi non posſit, cum hactenus irrita fuerit, divelli ſe tamen a conſtanti inſtituto non paſſurus ſit, quo pacem cæteris omnibus ambagibus antehabet, modo de illa, ſicuti Canazilio dictum eſt, & ex neceſſitate horum temporum prompte agatur, & ea obtineri posſit, qua Dignitati Regiæ, Regni Subditorumque ſuorum ſecuritati impoſterum ſatis proſpectum videat. Eadem ut Nos illuſtrisſimis Veſtris Dominationibus præſcriberemus, hæc potisſimum ratio, quod mentem atque inſtitutum Serenisſimi Regis noſtri

noſtri genuinis verbis innoteſcere vobis cuperemus. Id enim eſt de amplisſimo Ordine Veſtro Suæ Regiæ Majeſtatis honorificum judicium, & ita nobis eſt perſuaſisſimum, ut quum viris egregia prudentiæ laude inſignibus, in Patriæ ſuæ conſervationem propenſisſimis & antiquæ gentis ſuæ generoſitatis æmulis emineat, tum præſentium temporum & rerum omnium momenta nullibi accuratius quam apud Illuſtrisſimas Dominationes Veſtras examinari arbitremur. Nos quidem cum penitius nonnihil inquirimus, ubi vitia lateant, unde irritus toties extitit pius in tranquillitatem noſtram conatus, non dubitamus eorum inſtinctui illa adſcribere, qui, niſi aliquid ſemper moveant, quod diſſidiorum noſtrorum memoriam & acerbitatem exacuat, ſatis cauti ſibi eſſe non videantur. An vero ea ſit expeditisſima ſanandi vulneris ratio, obductam cicatricem frequenter infricare, ipſæ illuſtrisſimæ Dominationes Veſtræ ſecum cogitent. Arduum omnino fuit & vix etiam poſt ingentes bellorum clades licuit, flagrantibus primo fervore animis perſuadere, ut arma deponerent, & indulgerent ſibi nonnihil intervalli, unde leniri poſſent. Poſtquam vero DEI Optimi Maximi rerum beneficio primo ſex, deinde iterum ſex annorum induciis modus repertus eſſet, amplisſimum profecto ſpatium patuit, quo infenſisſimi etiam cujuscunque affectus vel rerum ipſarum circumſtantiis, vel ipſa temporum diuturnitate & quietis publicæ mitigarentur. Neque tamen induciæ illæ ingratæ nobis adeo extiterunt, ut unquam commo-

Digitized by Goog

commoti ſimus ad captandas eas occaſiones, quæ vel ex propriis viribus, vel aliunde in incommodum veſtrum enatæ fuerunt. Sereniſſimi Reges noſtri ſuis privatim ſtudiis in Sereniſſimos Principes Conſanguineos ſuos, imprimis hodiernum Regem Veſtrum, certa indicia deeſſe noluerunt, adeo quidem, ut quidquid Seren. Regina Chriſtina, commendatione ſua apud Rempublicam Veſtram aſſequi potuerit, id omne ad provehendam Sereniſſimi Regis veſtri electionem impenderit. Litibus enim noſtris, ſi ſopiri debebant, mutua paulatim officia, non irritamenta conveniunt; An vero pari voluntate ex parte Regum Veſtrorum reſponſum nobis fuerit, & an ea, quæ in contrarium facta intelleximus, Reipubl. etiam veſtræ culpa contigerint, examinare nunc nobis in animo non eſt. Agitari complura in detrimentum noſtrum & præteritis antehac temporibus hodieque, non ignoravimus quidem: aſt ea negligenda exiſtimavimus, quo liberius inhærere nobis liceret tranquillandorum noſtrorum diſſidiorum occaſionibus. Tandem vero cum eodem quoque momento, quo Pacis conſilia nobiscum ineunda perhibentur & apud alios non exigua in præjudicium Regni hujus fieri cognoſcamus, & ipſæ Regis Veſtri Credentiales literæ non careant vilipendio Regis atque Status Noſtri, Illuſtriſſimis Dominationibus Veſtris hæc ſignificanda duximus, ut illæ judicent, an ſic nobiscum agi nunc oporteat, & num id excitando in uſum ac quietem communem affectui noſtro congruat. Quicunque eventus votis noſtris integerrimis manſurus eſt, literas hasce cupimus teſtes

ſtes eſſe, ſinceræ & pacis ineundæ & ſecuritatis noſtræ conſervandæ intentionem, Illuſtriſſimis Dominationibus Veſtris ex parte noſtra fuiſſe detectam. Quæ uti nos, pro integerrimo noſtro affectu in Regni utriusque incolumitatem, Illuſtriſſimas Dominationes Veſtras ignorare noluimus; ita de reciproco earum candore non dubitantes, Reipublicæ Veſtræ ſalutaria quæque precamur, & Illuſtriſſimas Dominationes Veſtras optime valere cupimus. Dabantur Holmiæ die 8. Martii Anno 1655.

CXCII.

Reſponſoria SENATORUM REGNI POLONIÆ MAGNIQUE DUCATUS LITHUANIÆ, *ad præinſertas* SENATORUM REGNI SUECIÆ *literas, 1655.*

Nos SENATORES INCLYTI REGNI POLONIÆ, MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ, Illuſtribus, Magnificis & Generoſis Dominis SENATORIBUS REGNI SUECIÆ, Vicinis & Amicis noſtris obſervandiſſimis, ſalutem & proſperam rerum incolumitatem.

Illuſtriſſimi, Illuſtres & Generoſi Domini Vicini, Amici Obſervandiſſimi.

NOn tantum inter inclyta Regna hoc eſt inſtitutum, ſed conventionum & pactorum fide ſtabilitum, ut, quamvis Sereniſſimis Regibus noſtris non deſint aliquæ diſſentiendi cauſæ, Regna tamen hæc ampliſſima, quæ publicæ conventiones expreſſe voluerunt eſſe pacata, in eo debeant impendere curam ac ſollicitudinum vires, quate-

nus

nus gentium ac populorum utrorumque Regnorum publicæ ſit proſpectum tranquillitati, idque muneris vel utriusque Gentis ampliſſimo Senatui eſt commiſſum, ut eo mediante fida pax & fides pactorum inconcuſſa maneat. Rite igitur atque ordine a Dominationibus veſtris factum eſt, quod vetuſto mori inſiſtentes veſtræ illuſtriſſimæ Dominationes, de his, quæ ad communem Regnorum quietem viſum eſt pertinere, per literas ſuas, quas ab Ablegato earundem non ita pridem accepimus, Nobis, prout candor mutuus poſtulat, aperire voluerint; Quod pronum in utilitatem publicam ſtudium veſtrarum Illuſtriſſimarum Dominationum, ut gratiſſimo acceptamus animo, ita præter omnem ſpem ac expectationem, imo meritum noſtrum, intelleximus, veſtras illuſtriſſimas Dominationes nos remiſſæ curæ pacis arguere; At nos conſcientia pactorum tuti, judicem Orbem Chriſtianum non fugimus, nihil a Nobis commiſſum nec omiſſum eſſe, quod ad mutuam benevolentiam ſacroſanctam Pactorum fidem, inter hos Reges & populos facere videbatur. Quamprimum enim Sacra Regia Majeſtas Dominus noſter clementiſſimus rerum in Polonia potitus eſt, quamvis adhuc haud paucorum annorum induciarum continuandarum reſtaret ſpatium, autor tamen Sereniſſimo Regi fuit hic Senatus, ut interventu Principum Chriſtianorum pax ſolida & duratura utriusque conſtaret populis. Quo nomine viri illuſtriſſimi Legati Ordinis Senatorii & Equeſtris miſſi erant Lubecam, ut ea quæ pacis ſunt, agerent. Quod ut factum eſt, ita Studium Legatorum

rum noſtrorum Illuſtriſimorum, quo ferebantur in ſolidam conjunctionem Inclytorum Regnorum, viderunt Principes Amici utriusque Generis, & ſinceritatis ac candoris noſtri omni exceptione majores extiterunt teſtes, ita, ut quamvis primus re infecta ſolveretur conſeſſus, continuare eundem paucorum menſium interjecta mora, pacis ſtudio non dubitarent: Quibus autem de cauſis & continuatus actus iſte non ſortitus ſit optatum finem, id judicii nobis non ſumimus. Cum autem ultimis Stumdorffenſibus pactionibus proviſum ſit, ne ex levibus occaſionibus in odia publica & bella exaſperentur Reges & Regna noſtra, ac non ſemel tantum, ſed & iterum, durante interſtitio, hi pacis publicæ tractatus reaſſumentur, & quamvis iidem non ſuccederent, illæſæ tamen ab utrinque manerent induciæ, Nobis autoribus ablegavit in Sueciam Sacra Regia Majeſtas delegatum Canaſilium, qui & teſtaretur pronam Suæ Majeſtatis voluntatem & veſtram expiſcaretur. Qui quamprimum detulit hoc Sacræ Regiæ Majeſtati Domino noſtro Clementiſimo, vos non alieno animo eſſe ad reaſſumendos tractatus, & componendi cauſa invitare, ut Sacra Regia Majeſtas Dominus noſter clementiſimus & Respublica cum plena poteſtate Legatos ablegarent Stockholmiam, qui ibidem de negotio principali tranſigerent, ipſa intempeſta hyeme, occluſo Oceano, miſit ablegatum ſuum Generoſiſſimum Dominum Morſtenium, qui aperte teſtaretur, non ſimulatam Majeſtatis ſuæ in pacis ſtudium voluntatem, ac is idem, ut eſſet prænuntius futurorum Legatorum, qui jam

tum

tum viri illuſtriſſimi erant deſtinati. Quamvis enim ſatis grave viſum ſit, Sacræ Regiæ Majeſtati, non intermedio loco reaſſumi debere tam gravissimum negotium, facile tamen aſſenſa eſt Sacra Regia Majeſtas, cum non id tantum animo conciperet, ut per hos Legatos vetuſta componerentur diſſidia, ſed præcipue, ut compoſitis iis, ſtrictior amicitia & fœdus perpetuum contra communes hoſtes iniretur. Qui Legati, cum jam eſſent in procinctu, moram promovendi iter deſtinatum interpoſuit, non habita accepti internuncii noſtri notitia, de quo poſtmodum ex literis Illuſtriſſimarum Dominationum Veſtrarum intelleximus, quod in conſpectum Regis Veſtri ne admiſſus quidem eſt, tum nec literæ fidei ab eo acceptæ, nec auditus a Rege veſtro, ut exponere poſſet Regis noſtri Deſiderium ſincerum pacis. Quo autem nomine reus fuerit hic internuntius, certe ſatis levi, vel vobis ipſis Judicibus, ſi præjudicium deponatis, ob intermiſſam unam alteramve rationem, quæ non a legibus pactorum eſt juſſa, ſed exemplo tantum eorundem pactorum inter nos inolevit. Quod ipſum nec ſtudio factum fuiſſe, in promptu Vobis erat judicare, cum proxime præteritas literas ad Sereniſſimum Veſtrum Regem per Generoſiſſimum Kockium relatas, legiſſetis e voto veſtro & intentione ſcriptas, cum ipſe internuntius alias venturas e Polonia promitteret, atque promiſſo jam ſteterit. Cum certe tam levis iſte defectus, affectum utrinque ſincerum, ad conciliationem animorum negotiumque ſtabiliendæ pacis inter hæc Regna perpetuæ, turbare non debuiſſet. Quo factum eſt,

ut neſcii Legati noſtri, quo tandem res eruptura eſſet, ſubſiſterent pauliſper ad informationem internuntii, quo tandem dirigendum eſſet iter, cum iterum aliæ expectantur literæ e Polonia in Sueciam, Princeps Legationis Vir, Illuſtriſſimus Caſtellanus Kiovienſis fato cedit, ac ita nova ſucceſſit cura Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati de ſurrogandis novis Legatis, qui & jam nominati ſunt, his diebus abituri cum plena poteſtate a Sereniſſimo Rege & Republica. Quod quidem negotium longe graviſſimum, quamvis optaremus tractari interventu mediantium Principum, quod etiam ex pactis conventis faciendum eſſet, & ne optime meriti de nobis Principes, qui Nobis jam operam ſuam ſemel impenderant, immerito a Nobis excludi videantur, ſi tamen Sereniſſimo Regi veſtro, ac veſtris Dominationibus Illuſtriſſimis magis expedire communi tranquillitati videatur, eo compendiorem tanti momenti tranſigi, nec nos ab eo conſilio alieni ſumus, ſaltem tamen Sereniſſimi, Regis Chriſtianiſſimi & Electoris Brandenburgici Oratores in Regia veſtra exiſtentes adhibendos eſſe putamus. Interim vero non dubitamus de Sereniſſimi Veſtri Regis inter Reges uſitata humanitate, quod & grate jam noſtrum Ablegatum acceperit, atque eundem cum teſtificatione reciproci affectus ac pronæ in tranquillitatem publicam voluntatis dimiſerit. Cæterum quemadmodum nihil antiquius habuimus, quam conſervationem publica fide initorum pactorum; Ita declaratæ Illuſtriſſimarum Dominationum Veſtrarum ergaNos voluntati, parem ſtudiorum ſignificationem referimus, ac pro-

prosperrima omnia, diuturnamque incolumitatem ex animo precamur. Datæ Lovicii, 15. Maji. 1655.

CXCIII.

Literæ OLIVERII CROMVELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM EMANUELEM II. Sabaudiæ Ducem, quibus abs eo, ut pulsos patria vallium Pedemontanarum incolas, Reformatorum sacris deditos, ad lares patrios tuto redire gratiose permittat, omni studio efflagitat, 1655.

OLIVERIUS Protector Reipublicæ Angliæ Serenissimo Principi IMMANUELI, Sabaudiæ Duci, Pedemontii Principi Salutem.

Sereniſſime Princeps.

REdditæ sunt Nobis Geneva, nec non ex Delphinatu aliisque multis ex locis ditioni Vestræ finitimis literæ, quibus certiores facti sumus, Regalis Vestræ Celsitudinis subditis, Reformatam Religionem profitentibus, vestro edicto atque autoritate imperatum nuper esse, uti triduo, quam hoc edictum promulgatum erit, suis sedibus atque agris excedant, pœna capitis & fortunarum omnium amissione proposita, nisi fidem fecerint, se derelicta Religione sua, intra dies viginti Catholicam Religionem amplexuros: Cumque se supplices ad Celsitudinem Vestram Regalem contulissent, petentes, uti edictum illud revocetur, utque ipsi pristinam in gratiam recepti, concessæ a Serenissimis majoribus vestris libertati, restituantur, partem tamen

men exercitus Veſtri in eos impetum feciſſe, multos crudeliſſime trucidaſſe, alios vinculis mandaſſe, reliquos in deſerta loca montesque nivibus coopertos expuliſſe, ubi familiarum aliquot centuriæ eo loci rediguntur, ut ſit metuendum, ne frigore & fame brevi ſint miſere omnes perituræ. Hæc cum ad Nos perlata eſſent, haud ſane potuimus, quin hujus afflictiſſimi populi tanta calamitate audita, ſummo dolore ac miſeratione commoveremur. Cum autem non humanitatis modo, ſed ejusdem religionis communione, adeoque fraterna penitus neceſſitudine cum iis conjunctos nos eſſe fateamur, ſatisfieri a Nobis neque noſtro erga Deum officio, neque fraternæ Charitati, neque Religionis ejusdem profeſſioni poſſe exiſtimavimus, ſi in hac fratrum noſtrorum calamitate ac miſeria ſolo ſenſu doloris afficeremur, niſi etiam ad ſublevanda eorum tot mala inopinata, quantum in nobis eſt ſitum, omnem operam noſtram conferamus. Itaque a Veſtra imprimis Celſitudine Regali majorem in modum enixe petimus & obteſtamur, ut ad inſtituta ſereniſſimorum Majorum ſuorum, conceſſamque ab iis omni tempore & confirmatam ſubditis ſuis Vallenſibus libertatem ſe velit referre. In qua concedenda atque confirmanda, quemadmodum id præſtiterunt, quod Deo per ſe gratiſſimum procul dubio eſt, qui conſcientiæ jus inviolabile ac poteſtatem penes ſe unum eſſe voluit; ita dubium non eſt, quin ſubditorum etiam ſuorum meritam rationem habuerint, quos & in bello ſtrenuos ac fideliſſimos & in pace dicto ſemper audientes experti fuiſſent. Utque

Digitized by Google

que Serenitas Veſtra Regalis in cæteris omnibus & benigne & glorioſe factis avorum ſuorum veſtigiis optime inſiſtit, ita in hoc nolit ab iisdem diſcedere, etiam atque etiam obſecramus; ſed & hoc edictum, & ſi quod aliud inquietandis Reformatæ religionis cauſa ſubditis ſuis erogatum ſit, uti abroget, ipſos patriis ſedibus atque bonis reſtituat, conceſſa jura ac libertatem priſtinam ratam iis, accepta damna ſarciri, & eorum vexationibus finem imponi jubeat. Quod ſi fecerit Regalis Celſitudo Veſtra, & rem Deo acceptisſimam fecerit, miſeros illos & calamitoſos erexerit & recrearit, & a ſuis omnibus vicinis, quotquot Reformatam Religionem colunt, maximam gratiam inierit, nobisque potisſimum, qui Veſtram in illos benignitatem atque clementiam obteſtationis noſtræ fructum arbitrabimur. Quod & ad omnes officiorum reddendas vices nos obligaverit; nec ſtabiliendæ ſolum, verum etiam augendæ inter hanc Rempublicam, Veſtramque ditionem neceſsitudinis & amicitiæ fundamenta firmisſima jecerit. Neque vero hoc minus ab juſtitia veſtra & moderatione animi Nobis pollicemur: Quam in partem Deum Optimum Maximum oramus, uti mentem Veſtram & cogitationes flectat, Vobisque adeo Veſtroque populo pacem ac veritatem & ſucceſſus rerum omnium felices ex animo precamur. Datæ ab Aula Alba Menſe Maj. 1655.

CXCIV.

Literæ OLIVERII Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad GEORGIUM RAGOCZIUM II. Principem Tranſylvaniæ, cujus promovendæ & defen-

dendæ rei Christianæ studium, dignis effert laudibus, Vallensesque Pedemontanos, Reformatæ Religionis dogmata profitentes, a Duce Allobrogum sedes avitas & bona omnia relinquere coactos esse, valde conqueritur, 1655.

OLIVERIUS Protector Reipubl. Angliæ &c. Serenissimo PRINCIPI TRANSYLVANIÆ Salutem.

Sereniſſime Princeps.

EX Literis veſtris ſexto decimo Novembris 1654. ad Nos datis ſingularem erga nos benevolentiam veſtram atque ſtudium perſpeximus; & internuntius veſter, qui illas nobis literas dedit, de contrahenda nobiscum ſocietate & amicitia, voluntatem veſtram amplius coram expoſuit. Nos certe occaſionem hanc eſſe datam, unde noſtrum quoque erga vos animum, & quanti Celſitudinem veſtram merito faciamus, declarare atque oſtendere poſſimus, haud mediocriter ſane gaudemus. Cum autem veſtra in Rempublicam Chriſtianam præclara merita laboresque ſuſcepti ad nos usque fama pervenerint & hæc omnia certius, & quæ amplius rei Chriſtianæ vel defendendæ vel promovendæ cauſa in animo habeatis, Celſitudo Veſtra ſuis literis communicata nobis amiciſſime voluerit, ea uberiorem inſuper lætandi materiam nobis attulere: Deum nempe iis in Regionibus excitaſſe ſibi tam potentem atque egregium ſuæ gloriæ ac providentiæ miniſtrum; qui cum virtute atque armis tantum poſſit, de religione communi Proteſtantium tuenda, cui nunc undique male & dictum & factum

Digitized by Google

factum eſt, nobiscum una ſociare conſilia cupiat. Deus autem, qui utrisque Nobis tametſi locorum intervallo tam longe disjunctis, idem religionis orthodoxæ defendendæ ſtudium atque animum injecit, dubium non eſt, quin earum præcipue rationum auctor nobis futurus ſit, unde & nobis & inter Nos & Reformatorum reliquis Principibus ac civitatibus hac in re maximo eſſe adjumento atque uſui poſſimus, occaſionibus certe omnibus intenti, ſi quas Deus obtulerit, iis quod ad Nos attinet, eodem Deo bene juvante, non deerimus. Interea Celſitudini Veſtræ ſine ſummo dolore commemorare non poſſumus, quanta inclementia Dux Allobrogum ſubditos ſuos Alpinarum quarundam vallium incolas orthodoxam religionem retinentes perſequutus ſit. Quos non ſolum ſeveriſſimo edicto, quotquot Romanam Religionem ſuſcipere recuſarunt, ſedes avitas bonaque omnia relinquere coegit, verum etiam ſuo exercitu adortus eſt, qui multos crudeliſſime concidit, alios barbare per exquiſitos cruciatus necavit, partem vero maximam in montes expulit fame & frigore abſumendam, exuſſis domibus, & ſi quæ illorum bona ab illis carnificibus non ſint direpta. Hæc ut ad vos jam dudum nuntiata ſunt & Celſitudini veſtræ tantam crudelitatem graviter diſplicuiſſe & veſtram opem atque auxilium, quantum in vobis eſt, illis miſerrimis, ſi qui tot cædibus atque miſeriis adhuc ſuperſunt, non defuturum, nobis facile perſuadetur. Nos literas Duci Sabaudiæ ad deprecandum ejus infenſum in ſuos animum jam ſcripſimus; ſicut & Gallorum Regi, idem ut is etiam velit face-

re; vicinis denique Reformatæ Religionis Principibus, uti de illa ſævitia tam immani quid Nos ſentiamus intelligere poſſint: quæ quamquam in illos inopes primum cœpta eſt, ita tamen omnibus eandem religionem profitentibus minatur: eoque majorem illis proſpiciendi ſibi in commune ſuisque omnibus conſulendi neceſſitatem imponit: quam & nos eandem rationem, prout Deus Nobis in animum induxerit, ſemper ſequemur. Id quod Celſitudo Veſtra perſuadere ſibi potetit, quemadmodum & de ſingulari noſtro erga ſe ſtudio atque affectu, quo proſperos rerum omnium ſucceſſus Vobis animitus exoptamus; & veſtra incepta omnia atque conatus, quibus Evangelii cultorumque ejus libertati ſtudetis, felicem exitum ſortiri volumus. Dat. ab Alba Aula Menſe Maji 1655.

CXCV.

Litera OLIVERII Protectoris Anglicanæ Reipubl. ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecie Regem, cui vallium Alpinarum incolas Reformatæ Religionis cultu exoſos, a Duce Sabaudiæ patria exterminari juſſos eſſe refert, utque miſeris iſtis exulibus preces ſuas apud eum interponere ſuaque tuendæ communi Religioni ſtudia commodare haud gravetur, amice injungit, 1655.

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ, Sereniſſimo Principi CAROLO GUSTAVO ADOLPHO, Suecorum Regi, Salutem.

PErveniſſe nuper in regna veſtra illius edicti acerbiſſimam famam, quo Dux Sabaudiæ ſubjectos ſibi

ſibi Alpinos incolas, Reformatam Religionem profitentes, funditus afflixit, & niſi Religione Romana ſuam mutare fidem a majoribus acceptam intra dies viginti velint, patriis ſedibus exterminari juſſit, unde multis interfectis, cæteri ſpoliati & ad interitum certiſſimum expoſiti, per inculiſſimos montes, hyememque perpetuam fame & frigore confecti cum conjugibus ac parvulis jam nunc oberrant, & hæc graviter tuliſſe Majeſtatem veſtram nobis perſuaſiſſimum eſt. Nam Proteſtantium nomen atque cauſam, tametſi inter ſe de rebus non maximis diſſentiunt, communem tamen & pene unam eſſe, adverſariorum par in omnes Proteſtantes odium facile demonſtrat. Et Suecorum Reges ſuam cum Reformatis conjunxiſſe ſemper cauſam, illatis etiam in Germaniam armis, ad Proteſtantium Religionem ſine diſcrimine tuendam, nemo eſt qui ignoret: petimus imprimis igitur, idque majorem in modum a Majeſtate Veſtra (niſi id jam fecerit, quod & Reformatorum aliæ Reſpublicæ & Nos fecimus) ut cum Sabaudiæ Duce per literas velit agere, ſuaque autoritate interpoſita & hanc tantam edicti atrocitatem ab hominibus, cum innocuis, tum religioſis deprecando, ſi fieri poteſt, avertere conetur: etenim hæc initia tam ſæva quo ſpectent, quid nobis omnibus minentur, admonere veſtram Majeſtatem ſupervacuum arbitramur. Quod ſi is iræ ſuæ, quam Noſtris omnium precibus auſcultare maluerit, nobis profecto, ſi quod eſt vinculum, ſi qua Religionis charitas aut communio credenda atque colenda eſt, communicato prius Veſtra cum Majeſtate, cæterisque

Reformatorum primoribus consilio, alia quamprimum ineunda ratio erit, qua provideri mature possit, ne tanta innocentissimorum fratrum nostrorum multitudo omni ope destituta miserrime pereat. Quod idem, quin Majestati Vestræ visum jam sit atque decretum, cum nullo modo dubitemus, nihil consultius, ut nostra quidem fert sententia, esse poterit, quam ut gratiam, autoritatem, consilia, opes, & si quid aliud necesse est, in hanc rem primo quoque tempore conferamus. Interea Majestatem Vestram Deo Optimo Maximo commendatam volumus. Dat. ex Aula Alba, die — Maji, 1655.

CXCVI.

Litera paris cum præcedentibus tenoris ad FRIDERICUM III. Daniæ Regem, ab OLIVERIO, Anglicanæ Reipublicæ Protectore, scripta, 1655.

OLIVERIUS, Protector Reipubl. Angliæ, Serenissimo Principi FREDERICO III. Daniæ, Norwegiæ &c. Regi, Salutem.

Quam severo nuper & inclementi edicto Allobrogum Dux Immanuel suos ipse subditos Alpinarum Vallium incolas, innoxios homines & religionis cultu purioris jam multis ab seculis notos ac celebres, religionis causa finibus patriis exegerit, & occisis permultis, reliqua per illa desertissima loca malis omnibus & miseriis, inopes ac nudos exposuerit, & audiisse jam dudum arbitra-

Digitized by Google

tramur Majeſtatem Veſtram', & graviſſimum ex ea re, prout tantum reformatæ fidei defenſorem ac Principem decuit, dolorem percepiſſe. Siquidem pro inſtitutis Chriſtianæ Religionis, quæ mala atque miſerias pars aliqua noſtrorum patitur, earum ſenſu penitus eodem tangi omnes debemus, & ſane omnibus Nobis & univerſo Proteſtantium nomini hujus facti eventus atque exemplum, quid periculi oſtendat, nemo veſtra Majeſtate, ſi nos ejus pietatem atque prudentiam recte novimus, melius videt. Scripſimus itaque libenter, ut quem dolorem ob hanc fratrum innocentiſſimorum calamitatem, quam ſententiam, quod judicium de re tota veſtrum eſſe ſperamus, idem plane & noſtrum eſſe ſignificemus. Itaque ad Ducem Sabaudiæ literas dedimus, in quibus uti miſeris atque ſupplicibus parcat, illudque atrox edictum porro eſſe ratum ne ſinat, magnopere ab eo petivimus. Quod ſi Majeſtas Veſtra, cæterique Reformatorum Principes fecerint, ut jam feciſſe credimus, ſpes eſt leniri poſſe Sereniſſimi Ducis animum, & hanciram ſuam tot ſaltem vicinorum Principum interceſſioni atque inſtantiæ condonaturum; ſin perſeverare in inſtituto ſuo maluerit, paratos nos eſſe teſtamur cum Majeſtate Veſtra, cæterisque Religionis reformatæ ſociis eam inire rationem, qua tot miſerorum hominum ſubvenire quamprimum inopiæ, providere ſaluti ac libertati pro virili parte noſtra poſſimus. Veſtræ interea Majeſtati bona omnia atque fauſta a Deo Optimo Maximo precamur. Weſtmonaſterio, die --Maji, 1655.

CXCVII.

CXCVII.

Litera OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, *quibus Vallenſes communibus utrinque ſacris addictos, ſedibus avitis exactos omnibusque fortunis exutos eſſe docet, ac ut ſecum cæterisque Reformatis conſilium capere velint, quo periclitantium iſtorum ſaluti conſuli commodiſſime queat, impenſe precatur, 1655.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ &c. Excelſis & Præpotentibus Dominis FOEDERATI BELGII ORDINIBUS.

EDictum Ducis Sabaudiæ nuperrimum in ſubjectos ſibi Alpinos incolas Orthodoxam religionem antiquitus profitentes, quo illi edicto, ni intra dies viginti fidem Romanam amplectantur, exuti fortunis omnibus, patriæ quoque ſedes relinquere jubentur, & quanta crudelitate in homines innoxios atque inopes noſtrosque, quod maxime refert, in Chriſto fratres, illius edicti autoritas graſſata ſit, occiſis permultis ab exercitus parte contra eos miſſa, direptis reliquis atque domo expulſis, unde illi cum conjugibus ac liberis fame & frigore conflictari inter aſperrimos montes, nivesque perpetuas jamdiu coacti ſunt, rumore & vicinis undique ex locis creberrimis literis ac nuntiis cognoviſſe vos jamdudum exiſtimamus. Qua autem animi commotione, quo ſenſu fraternæ calamitatis hæc vos affecerint, facile ex dolore noſtro,

ſtro, qui certe eſt graviſſimus, intelligere videmur. Qui enim eodem religionis vinculo conjuncti ſumus, quidni iisdem plane affectibus in tam gravi atque indigna fratrum noſtrorum calamitate commoveremur. Et veſtra quidem in orthodoxos ubicunque locorum disjectos atque oppreſſos ſpectata pietas atque in multis eccleſiarum difficultatibus & adverſis rebus jam ſæpe cognita eſt. Ego certe, niſi me fallit animus, quavis in re potius, quam ſtudio & charitate erga fratres Religionis cauſa violatos atque afflictos vinci ſuſtineam: quandoquidem eccleſiarum ſalutem atque pacem incolumitati etiam propriæ libens prætulerim. Quod igitur hactenus potuimus, ad Sabaudiæ Ducem ſcripſimus, ſuppliciter pene rogantes, ut in hos homines innocentiſſimos, & ſubditos & ſupplices ſuos, placatiorem animum ac voluntatem ſuſcipiat, ſuas ſedes atque fortunas miſeris reddat, priſtinam etiam in Religione libertatem concedat. Scripſimus præterea ad ſummos Proteſtantium Principes & Magiſtratus, ad quos hæc maxime pertinere judicavimus, ut in Sabaudio Duce exorando ſuam conferre operam nobiſcum una velint. Hæc eadem & plura forſitan vos quoque feciſtis. Nam exemplum hoc tam periculoſum, & inſtaurata nuper in Reformatos tanta crudelitas, ſi autoribus bene cedat, quantum in diſcrimen adducta Religio ſit, veſtram commonefacere prudentiam nihil attinet. Et is quidem ſi flecti noſtris omnium precibus & exorari ſe paſſus erit, præclarum nos atque uberem ſuſcepti hujus laboris fructum ac præmium reportabimus.

Sin

Digitized by Google

Sin ea in ſententia perſtiterit, ut apud quos noſtra religio vel ab ipſis Evangelii primis Doctoribus tradita per manus & incorrupte ſervata, vel multo ante quam apud cæteras gentes ſinceritati priſtinæ reſtituta eſt, eos ad ſummam deſperationem redactos, deletos funditus ac perditos velit, paratos Nos eſſe commune aliquod Vobiscum cæterisque Reformatis fratribus ac ſociis conſilium capere, quo & ſaluti pereuntium juſtorum conſulere commodiſſime queamus, & is demum ſentiat Orthodoxorum injurias atq; miſerias tam graves non poſſe nos negligere. Valete. Dat. Weſtmonaſterio die--Maji, 1655.

CXCIIX.

Literæ ejusdem cum prioribus argumenti ab eodem OLIVERIO *ad Civitates Helvetiorum Evangelicas exaratæ, 1655.*

Civitatibus Helvetiorum Evangelicis.

NOn dubitamus, quin ad aures veſtras aliquando citius quam ad noſtras illa nuper calamitas pervenerit Alpinorum hominum religionem Noſtram profitentium, qui Sabaudiæ Ducis in fide ac ditione cum ſint, ſui Principis edicto patriis ſedibus emigrare juſſi, ni intra triduum ſatis dediſſent, ſe Romanam religionem ſuſcepturos, mox armis petiti & ab exercitu Ducis ſui occiſi, etiam permulti in exilium ejecti, nunc ſine lare, ſine tecto, nudi, ſpoliati, afflicti, fame & frigore moribundi, per montes deſertos atque nives cum conjugibus ac liberis miſerrimè vagantur. Multo eſt minus,

nus, cur dubitemus, quin hæc, ut primum vobis nuntiata ſunt, pari atque Nos tantarum miſeriarum ſenſu eoque fortaſſe graviore, quo illorum finibus propiores eſtis, dolore affecerint. Veſtrum enim imprimis Orthodoxæ fidei ſtudium egregium ſummamque in ea cum retinenda conſtantiam tum defendenda fortitudinem abunde novimus. Cum itaque Religionis arctiſſima communione fratres, vel potius unum corpus cum his miſeris vos pariter Nobiscum ſitis, cujus membrum affligi ſine ſenſu, ſine dolore, ſine detrimento atque periculo reliquorum non poteſt, ſcribendum ad Vos hac de re & ſignificandum cenſuimus, quanti noſtrum omnium intereſſe arbitremur, ut fratres Noſtros ejectos atque inopes communi ope atque auxilio, quoad fieri poteſt, juvemus & conſolemur; nec eorum tantummodo malis & miſeriis removendis, verum etiam ne quid ſerpat latius, ne quid periculi exemplo atque eventu vel nobis omnibus creari poſſit, mature proſpiciamus. Literas nos quidem ad Sabaudiæ Ducem ſcripſimus, quibus uti cum ſubditis ſuis fidelisſimis pro clementia ſua lenius agat, eosque jam prope perditos ſuis ſedibus ac bonis reſtituat, vehementer petivimus, quod facile conceſſurum ſperamus. Sin illi in mentem ſecus venerit, communicare vobiscum conſilia parati ſumus, qua potisſimum ratione oppreſſos tot injuriis atque vexatos innocentisſimos homines, nobisque charisſimos in Chriſto fratres ſublevare atque erigere, & ab interitu certisſimo atque indigniſſimo conſervare poſſimus.

Quo-

Digitized by Google

Quorum ſalutem atque incolumitatem pro Veſtra pietate Vobis quam maxime cordi eſſe confido: Ego eam certe vel graviſſimis meis rationibus, imo incolumitate propria potiorem habendam eſſe exiſtimem. Valete. Weſtmonaſterio die 19. Maji, 1655.

Oliverius, Protector Angliæ.

Superſcriptio.

Illuſtribus atque Amplisſimis Dominis, Helveticorum Pagorum Proteſtantium Confœderatarum Civitatum Conſulibus ac Senatoribus Salutem.

CXCIX.

Literæ CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad JACOBUM, Curlandiæ Ducem, cui condignam ſe Ducatus ejus ſive amica conventione, ſive armis lites cum Polonis gliſcentes tandem decidantur, rationem habiturum eſſe, promittit, 1655.

Carolus Guſtavus, Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finnlandiæ, Dux Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wismariæ, nec non Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c.

Illuſtriſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

OPtaſſemus equidem, ut major Regi, Reipublicæque

cæque Polonæ, ad pacem perpetuam animus fuiſſet, utique nec vota hujus Regni, nec Dilectionis Veſtræ, aliorumque qui inniſi ſunt, ſpes & ſtudium, tentatique toties congreſſus, irriti & inanes manſiſſent. Tametſi vero eventus communi deſiderio noſtro non reſponderit, id nihilominus nobis firmum ſtatutumque erit, iis qui mutua conſenſione decernuntur, tractatibus, Dilectionis Veſtræ cauſam nobis habere commendatiſſimam, quippe & meretur Dilect. Veſt. inſignis erga Nos, Regnumque Noſtrum affectus, ut ejusdem in dictis tractatibus curam agamus, & certare cum Anteceſſoribus Noſtris Regibus Sueciæ optima erga Domum Ducalem voluntate, non minus congruens inſtituto Noſtro, quam glorioſum nobis ducimus. Si verò ad arma deſcendere obſtinatus Polonorum animus, & a pace perpetua alienus nos coegerit, hoc Dilectioni Veſtræ perſuaſum volumus, nos nullâ re defuturos, quæ ad ſalutem & conſervationem Dilect. Veſtræ ejusdemque Ducatus ſubditorumque ſpectare poſſint, prout etiam Noſtro Regnique Noſtri Mareſchallo, & eidem brevi in Livonia ſucceſſuro noſtro Regnique noſtri Theſaurario demandavimus, neceſſariisque mandatis ad tractatus cum Dilectione Veſtra ſuper ea re ineundos inſtruximus. Illi etiam fuſius Dilectioni Veſtræ explicabunt, quam id Nobis cordi ſit, ut quæ ad emolumentum Dilectionis Veſtræ, totiusque Ducalis Domus facere exiſtimamus, omni meliori modo procurentur. Quibus finientes Dilectionem Veſtram Divinæ tuitioni

amice commendamus. Dabantur in Regia noſtra Stockholmenſi, die 1. Junii, Anno 1655.

Dilectionis Veſtræ

Bonus Conſanguineus & Amicus,

Carolus Guſtavus.

Inſcriptio.

Illuſtriſſimo Principi, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo, Domino Jacobo, in Livonia, Curlandiæ, & Semi-Galliæ Duci &c.

CC.

Literæ OLIVERII CROMVELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CONSULES SENATORESQUE CIVITATIS GENEVENSIS, quibus, ut transmiſſa a ſe duo librarum Anglicanarum millia in exules Vallenſes diſtribuere haud graventur, obnixe contendit, ſeque collectum pro eis per Angliam as proxime miſſurum aſſerit, 1655.

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ, Amplisſimis Conſulibus & Senatoribus Civitatis Genevenſis Salutem.

SUmmum dolorem Noſtrum, quem ex maximis & inauditis Proteſtantium calamitatibus Valles quasdam Pedemontanas incolentium percepimus, quos Allobrogum Dux tanta crudelitate perſecutus eſt, jampridem vobis expoſuiſſemus, niſi id magis operam dediſſemus, ut eodem tempore intelligeretis, tantis eorum miſeriis non affici Nos ſolum,

lum, verum etiam de ſublevandis iis atque ſolandis, quantum in nobis eſt, proſpicere. Quapropter eleemoſynas per hanc totam Rempublicam colligendas curavimus: quas ejusmodi fore haud immerito expectamus, quæ nationis hujus affectum erga fratres ſuos tam immania perpeſſos demonſtrare poſſint, & quemadmodum Religionis eadem utrinque communio eſt, ita ſenſum quoque eundem calamitatum Chriſtianus amor poſtulat; interea dum pecuniæ collectio maturatur, quod ſine ſpatio temporis fieri nequit, & miſerorum iſtorum egeſtas atque inopia pati moram non poteſt, neceſſarium duximus duo millia librarum Anglicarum, quanta fieri potuit celeritate, præmittere inter eos diſtribuenda, qui præſentisſima ope atque ſolatio indigere maxime videbuntur. Cum autem neſcii non ſimus, innocentiſſimorum hominum miſeriæ atque injuriæ quantopere vos affecerint, nec Vobis quicquam labori aut moleſtiæ fore, quod illis adjumento atque auxilio eſſe poſſit, prædictam pecuniæ ſummam illis calamitoſis curandam ac numerandam ad Vos transferre, non dubitavimus; idque Vobis negotii dare, ut pro Veſtra pietate ac prudentia providere velitis, qua ratione æquiſſima quamprimum illa pecunia egentiſſimis quibusque diſtribui queat, ut quamvis ſumma ſane exigua ſit, aliquid tamen ſit ſaltem, quo illi inopes recreari ac refici in præſens aliquantum poſſint, donec uberiorem iis copiam ſuppeditare poterimus: Vos hanc Vobis datam moleſtiam æqui bonique conſulturos eſſe cum non dubitemus, tum etiam Deum optimum maximum

oramus, uti populo ſuo Religionem Orthodoxam profitenti det animum ſui in commune defendendi, ſibique mutuo opem ferendi contra hoſtes ſuos immaniſimos; qua in re noſtram quoque operam eccleſiæ utcumque uſui fore lætaremur. Valete. Weſtmonaſterio, 8. Junii, 1655.

Mille quingentæ libræ de prædictis bis millibus a Gerardo Henſch Pariſiis, quingentæ reliquæ per literas a Domino Stoupio curabuntur.

CCI.

Litera CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad FERDINANDUM III. Rom. Imperatorem, de cauſis & occaſionibus belli Poloniæ inferendi, ac conſtanti Pacis Weſtphalicæ ex fide & religione pactorum ſervandæ, amicitiæque ipſorum continuandæ propoſito agentes, 1655.

Serenisſime & Potentisſime Imperator, Domine Frater, Conſanguinee & Amice Charisſime.

ETſi non dubitamus, quin Majeſtas Veſtra jam diu ex Reſidente ſuo in aula Noſtra hactenus commorante, cognoverit, cui fini apparatum armorum in Regno & Provinciis Noſtris ultra ſolitum proxime præteritis menſibus inſtitutum deſtinaverimus, ſuadent tamen amicitiæ & vicinitatis leges, ut Majeſtati Veſtræ occaſionem, & cauſas actionis, quam nunc contra Regem Poloniæ aggredimur,

Digitiz Google

dimur, etiam literis aperiamus. Interceſſit jam diu inter Anteceſſores noſtros Reges Sueciæ ex una & Poloniæ Reges ex altera parte controverſia: quæ quia in herba non potuit ſopiri, bellis ſatis diuturnis & gravibus utramque gentem implicuit, & tandem una cum Sueciæ ſceptro, ad Nos eſt devoluta: ſed tamen cum quadam armorum ceſſatione, ita, ut cum gubernacula Regni ſuſciperemus, ex induciis anni circiter ſex reſtarent. A nobis itaq; rerum in Suecia potitis, muneris noſtri ratio exigebat pervidere, quid hactenus durantibus induciis inter utraque regna actum, & quo loco res utrinque tum eſſent: Ne dum & animi noſtri inclinatione, & ex lege Conventionis Stumsdorffienſis conſervationi induciarum, pacique perpetuæ faciendæ religioſe conſuluerimus, præter ſpem tricis inevitabilibus, & bello exitiali involveremur. Ut autem tota hæc res eo melius intelligatur, conſiderandum venit, quod inter alia dictis induciarum pactis conventum ſit, primo ut ex Regno Poloniæ, Magno Ducatu Lithuaniæ, & cæteris ditionibus Polonicis, nullæ molitiones, nedum hoſtiles actiones tentarentur adverſus Regem & Regnum Sueciæ: Deinde, ut Rex & Reſpublica Poloniæ, adverſus Regem & Regnum Sueciæ nulla claſſe utatur, vel aliis quibuscunque auxilio ſubmittat: Tertio ut currentibus induciis agatur de pace perpetua, ita tamen, ut ſi tractatus ejusmodi ſemel aut iterum non ſucceſſerit, firmæ nihilominus & inviolabiles manerent induciæ. Quod contra expreſſas hasce pactionum conditiones, Poloniæ Rex Uladislaus nunc hoſtilem irruptionem in Livoniam:

niam: Sive conniventia, ſive auxilio promoverit: Nunc alibi aliorum nobis tum infeſta arma adjuverit: nunc Sueciæ a Dania ceſſam, & debitam Inſulam Oſeliam ſubtrahere, & quocunque alio modo ex amicis inimicos, & hoſtes Sueciæ reddere, imo ſubditos ad defectionem ſollicitare anniſus ſit: ita omnibus vicinis tam ex rerum notorietate, quam publicis ſcriptis nota ſunt, ut uberiori deductione non egeant. Nos noſtris temporibus propiora partim ludibria, partim damna, & quidem Nobis ipſis & Regno Noſtro a moderno Poloniæ Rege, ſub ſpecioſo pacis ſimulacro præparata, & jamjam imminentia exitioſa conſilia paucis commemorabimus. Cum honoratiſſima Noſtra Mater & Conſanguinea, Sereniſſima & Potentiſſima Sueciæ Regina Chriſtina, poſt mortem Regis Poloniæ, Uladislai rogaretur, ut fratres ejusdem Principes ſuperſtites, Johannem Caſimirum, & Carolum Ferdinandum commendaret Senatui, & Ordinibus Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ, quo eorum cumprimis ratio in Electione novi Regis haberetur: Id equidem pro ambobus ſingulari cura fecit, & cumprimis Principis Johannis Caſimiri, ut ætate provectioris, promotioni omnem ſuam operam & ſtudium accommodavit: hoc ſibi emolumenti exinde expectans, ut vel ipſe Princeps Johannes Caſimirus, ad Regiam dignitatem evectus, tanto ſincerius ad perpetuam pacem æquis conditionibus faciendam excitaretur: vel ſi eam negligeret, orbi tamen conſtaret, quantum Heroica mens propinquo ſibi ſanguini tribuiſſet. Verum enim vero, quam Johannes

hannes Caſimirus Princeps commendationis cauſa venerabatur, eandem poſtea Corona Poloniæ inſignitus, contra pactorum præſcriptum, debito Coronæ honore afficere detrectabat. In ipſis induciarum pactis expreſſa eſt mutuæ titulaturæ ratio, quæ, ceu fundamentum, ceſſationi armorum ſubſtructa, utrique poſtea erat obſervanda: idque in Tractatu Stumsdorffienſi ratione Poloniæ, ejusdem primarius Commiſſarius, datis literis ad Sueciæ partis primarium Commiſſarium, teſtatum fecit, confirmantibus inſuper id ipſum, non modo Regis Angliæ, & Ordinum uniti Belgii Legatis, ſed ipſo etiam uſu. Hanc mutuæ correſpondentiæ baſin ſubruturus hodiernus Rex Poloniæ, vel non dedit altememoratæ Reginæ titulos, ſtylo pactorum congruentes, uſus Gallico ſermone, a titulorum congerie alieno: Vel in Latinis literis, & ſcriptis titulum quidem Regni Sueciæ ei attribuit, ſed ſibi & titulos & inſignia Regni Sueciæ reſervando, idque nunc in literarum & procuratoriorum ſcriptura, nunc in Sigillorum partim integra ſtructura, partim eorundem ſive incruſtationibus. ſive involucris. Cum Mediatorum interventu Lubecenſes, bini congreſſus ad pacem perpetuam conſtituendam eſſent decreti inſtitutique: primum & præcipuum obſtaculum tam ſalutari propoſito objecit Rex Poloniæ, indebita ſibi titulorum Sueciæ uſurpatione. Nam præterquam, quod Polonici Commiſſarii ibi producebant plenipotentias variis vitiis refertas, etiam Rex Poloniæ in iiisdem ipſis plenipotentiis ſibi titulum Regis Sueciæ retinuit. Et cum inculcatum ſatis eſ-

Digitized by Google

ſet, talia præjudicium afferre conventioni, uſitato ſtylo, & tractatus tum præſentis initio progreſſuique, Commiſſarii Polonici, agnoſcentes errorem, fidem dant Regis Chriſtianiſſimi Legato, intra tres, vel ad minimum quatuor hebdomadas, Sueciæ Commiſſariis iri ſatisfactum. Verum tantum abeſt, ut ex condicto emendatas retulerint plenipotentias, ut poſt longi temporis jacturam, tandem ſint cauſati, ſe non fuiſſe auſos compellare Regem ſuum ſuper tituli Suecici omiſſione. Huic irrito congreſſui ſucceſſit alter ejusdem modi & eventus. Nam tum quidem Rex Poloniæ in Procuratoris ſcriptura titulis Sueciæ abſtinebat: Verum retinuit eosdem, & Regni Sueciæ inſignia in ipſo ſigillo, plenipotentiæ adnexo. Paratis Sueciæ Commiſſariis expectare emendationem ſigilli, ut ita integris Procuratoriis rem ſibi propoſitam aggrederentur: Tandem aliquando reſpondetur, Regem Poloniæ, Coſakis debellandis occupatum, vix admiſſurum hanc ſigilli mutationem: Et ſi illud induci poſſet, non habiturum illic locorum artificem, novo ſigillo conficiendo idoneum: Adeo ut ob hanc tergiverſationem alter congreſſus ſit abruptus, & honoratiſſimæ Noſtræ Matri & Conſanguineæ, tum Sueciæ imperanti ſatis ſuperque patuerit, Regem Poloniæ, mutatis tantum ludificationibus, tempus trahere, & inſidiari ejusmodi occaſioni, qua rebus domi compoſitis, Sueciæ poſſit imminere. Cum alte memorata, & honoratiſſima Noſtra Mater ſuperiori anno rerum in Suecia adhuc potiretur, & miſſus tum illuc nomine Regis Poloniæ internuncius Canaſiles conteſtare-

ſtaretur, Regem ſuum, & Rempublicam Poloniæ velle Legatos ſuos plena cum poteſtate Stockholmiam ablegare, de toto negotio tranſacturos: eidem Polonico Delegato, nos illico poſt ſuſceptum Regni ſceptrum, per noſtrum Regnique Noſtri Cancellarium fecimus ſignificari: Nos equidem teneri ſingulari deſiderio componendi hæc diuturna & cruenta diſſidia, ſed antecedentium tractatuum veſtigiis admonitos, vereri vel ingeſta hactenus ludibria & injurias, vel rerum inanes & eluſorias procraſtinationes; a parte Sueciæ abunde eſſe ſatisfactum pactis induciarum, quod ſemel atque iterum in primo Lubecenſi congreſſu ludibria Regis Poloniæ tolerata ſint: Quod vero tam ſolenniter per primi congreſſus acta admonitus idem Rex, ſuſtinuerit tamen in altero repetitis vicibus in ejus usque finem priori ludificationi inſiſtere, id vel patientiſſimi Principis animum læderet. Si Regi Poloniæ cordi eſſet ſolida & duratura pax, miſſis non neceſſariis & præjudicioſis miſſitationibus, cito & ſine ambagibus per ſuos & Reipublicæ Plenipotentiarios in rem præſentem veniret, experturus in omnibus æquanimitatem noſtram; ſin pergeret in propoſito ſuo, mittendis ſcilicet ad decipiendum Nos, orbemque univerſum internunciis, literisque juribus & dignitati noſtræ Regiæ derogantibus, non poſſe nos, tot documentis edoctos, aliud de illius actionibus judicium ferre, quam Regem Poloniæ ſusque deque habere ſacroſanctam pactorum fidem. Hisce tamen ſpretis venit præterita hyeme in Sueciam, non Legatio aliqua Polonica cum plena poteſtate, ſed, ut

ipſe præ ſe ferebat præliminaria, ratione loci & temporis ad futurum congreſſum complanaturus, Regius Cubicularius Morſteinius. Apographum literarum fidei, a Rege Poloniæ ad nos directarum continebat equidem titulos utrique noſtrum convenientes: ſed Rex Poloniæ, ut imaginarium illud Jus, quod in Regnum noſtrum prætendit, aliqua ratione expunctis jam titulis Sueciæ, reſervaretur, in fine literarum adſcripſit ſibi plura Regna, quum tamen uno tantum gaudeat: ut nihil nunc addamus de intermiſſa una ex pactorum præſcripto & ſtylo inſerenda etcæteratione, quo etiam defectu Regum æqualitati derogatum ibat. Non potuimus non ægre ferre, nobis poſt ſincera illa monita, quibus Canaſiles dimittebatur, ita adhuc illudi. Qui ſine præjudicio rem conſiderat, deprehendet, non levam & minutulam interpungendi rationem hic verti: ſed injuſta plurium Regnorum vendicatione, quaſi gravi ictu, concuti, & Regiam noſtram Coronam & fundamentum pactorum, præciſa plane ſpe futuræ transactionis. Paſſi itaque ſumus, ut Noſtri, Regnique Noſtri Senatores apud Senatum Poloniæ ſuper hac indignitate quererentur. Interea & dum hæc agitantur, ex variis locis certiores reddimur, eundem Regem Poloniæ non modo ſuperius indigitatæ Suecicorum ſubditorum defectioni in Livonia magno ſtudio inſudaſſe: ſed pacandis etiam Coſakis Livoniam prædam & ſedem jam diu offerre. Et quod nos, Regnum, Provincias & ſubditos noſtros quam maxime afficit, eo ipſo tempore, quo Rex Poloniæ apud nos videri vult ſerio agere de pace, vicinos & Amicos noſtros, præſer-

Digitized by Google

ſertim mare Balthicum vel accolentes vel frequentantes, ad communem Societatem, Nobis excluſis, pollicere, & concepta jam fœderis formula peregrinam claſſem dicto mari, in manifeſtum & irreparabile juris & rationum noſtrarum præjudicium, inferre ſatagit. Qui vel non ſatis conſideratis partium rationibus & rerum circumſtantiis, vel Poloniæ addictiores de ſupra dictis ultimis incidentibus judicium ferre deprehenduntur: ingerunt, tam graves querelas vigore pactorum, & induciis ſalvis, ab utriusque partis Commiſſariis, loco aliquo ad Livoniæ fines, debuiſſe ventilari, decidi & ſopiri. Niteretur hæc eorum objectio aliqua juris ſpecie, ſi Polonia tum, cum vel Senatores Sueciæ, vel armorum Suecicorum ductores, aliique Miniſtri ſæpius queſti ſunt de Poloniæ Regum molitionibus, & hoſtilibus attentatis adverſus Sueciam, Commiſionem talem, medendis juſtis Sueciæ querimoniis, vel ſemel ſerio procuraſſet. An Rex celaverit Senatum, & Ordines querelas Sueciæ, vel ipſa Reſpublica ſe talium conſiliorum participem fecerit, nunc non inquirimus. Hoc tamen certum eſt, Sueciæ querelis quandoque reſponſum eſſe, vel facti extenuatione, vel ejusdem ignorantia, quandoque nihil reſponſi relatum eſt. Nemo a partium ſtudio alienus judicaverit, conſiliis animisque Polonorum ita comparatis, eſſe e re & decore Regum Sueciæ commiſſiones a Regibus Poloniæ emendicare. Et quis commiſſionum, ad Livoniæ fines inſtituendarum, alium ſibi eventum, quam habuere binæ illæ Lubecenſes, præfiguraret? Nam in ejusmodi Commiſſionibus nihil,

quod

quod ſummam rei concernat, poteſt agi absque plenipotentiis, quas Lubecæ protulerunt Poloni vitioſisſimas. Quum itaque Poloniæ Rex legitimis tranſigendi modis ſpretis, ludibria ludibriis cumulet, floccique faciens damna antea Sueciæ illata, nunc ultimum ſtatus noſtri jugulo exitium admovere paret, Maj. Veſtræ perpendendum relinquimus, quid ipſa in tali rerum articulo ſibi faciendum judicaret. Nos fruſtra tentatis omnibus mitioribus, & pactorum tenori conformibus remediis, id demum, quod tutandis vindicandisque noſtris juribus, conſervandæ dignitati, & protegendis ſubditis, ditionibusque noſtris, divina nobis Majeſtas concredidit, arripere ſumus coacti. Quæ omnia & ſingula vel ideo Majeſtati Veſtræ nunc paulo fuſius exponimus, ut ipſa non modo hujus noſtri contra Regem Poloniæ facti rationes penitus videat: ſed ſimul etiam certior reddatur, nos velle non modo pacem, Osnabrugæ & Monaſterii Weſtphalorum factam, ea cura, qualem data fides & pactorum religio requirunt, ſervare, ſed præterea etiam nihil eorum intermittere, quæ ad bonam amicitiam & correſpondentiam facere videbuntur. Quibus Majeſtatem Veſtram Divinæ tuitioni peramanter commendamus. Dabantur Wolgaſti die 18. Julii 1655.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, Conſanguineus & Amicus

Carolus Guſtavus.

M. Biörenklau.

CCII.

by Google

CCII.

Reſponſoriæ FERDINANDI III. Rom. Imp. ad præinſertas CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, literas, 1655.

Ferdinandus Tertius &c. &c.

LIteras Serenitatis Veſtræ 18. Julii proxime præteriti, Wolgaſti datas, quibus amice nobis communicat, quibus cauſis impulſa, arma ſibi contra Sereniſſimum Regem ac Rempublicam Polonicam arripienda duxerit, tum præterea de conſtanti ſua, Pacis Osnabrugis & Monaſterii Weſtphalorum factæ ex fide & religione pactorum ſervandæ voluntate conteſtatur, accepimus ac perpendimus. Et ad gravem ſane animi noſtri ſenſum pertinuit, quod ex iisdem literis intelligere debuerimus, controverſias illas, quæ Serenitati Veſtræ cum dicto Sereniſſimo Rege & Regno intercedebant, tandem in apertum bellum prorupiſſe: Gratum tamen fuit, quod aliunde ad Nos perlatum ſit, non eſſe plane omnem earum controverſiarum amicabiliter componendarum viam excluſam, cum dies 14. hujus Tractatui ſuper iisdem Stetini inſtituendo ſit præfixa. Sicuti igitur non dubitamus, quin præmemoratus Sereniſſimus Rex & Regnum Poloniæ ad æquas Pacis conditiones ineundas, eum, quem par eſt, animum ſit allaturus, ita de æquanimitate Serenitatis Veſtræ eam conceptam habemus fiduciam, fore, ut nec ipſa quidem in ſe quicquam eorum, quæ ad diſſidia illa æquis potius rationibus, quam armis finienda ſpectant, deſiderari ſit paſſura. Quo quidem eandem Serenitatem

Ve-

Veſtram benevole hortamur & requirimus. Cæterum ad conteſtationem ejusdem de firma & perpetua ſua non pacis modo, ſed & Amicitiæ N̄obiscum colendæ voluntate quod attinet, ſicuti de ea nullum Nobis unquam dubium fuit, ita Serenitatem Veſtram de pari noſtro, in ea omnia, quæ vel paci vel amicitiæ conſervandæ & amplificandæ inſervire potuerunt, ſtudio, ſecuram eſſe volumus. Quod reliquum, eandem Divinæ tuitioni ex animo commendantes. Ebersdorffii, 24. Aug. Anno 1655.

CCIII.

Litera OLIVERII, Protectoris Reipubl. Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus ab eo, ut Miniſtros & Duces ſuos, crudelitatis proprio auſu in perſequendis Vallium Alpinarum exulibus commiſſa, pœnas dare jubeat, dictorumque exulum reſtitutionem apud Allobrogum Ducem inſtantius urgeat, ſolicite contendit, 1655.

Sereniſſimo Potentiſſimoque Principi, Ludovico Galliæ Regi.

Sereniſſime Potentiſſimeque Rex.

EX literis Majeſtatis veſtræ, quibus illa ad meas quinto & vigeſimo Maji proximo datas reſcribit, facile intelligo, nequaquam fefelliſſe me eam opinionem, qua mihi quidem perſuaſum erat, cædes illas immaniſſimas, barbaramque eorum hominum ſtragem, qui religionem reformatam in Sabaudia profitentur, a cohortibus quibusdam veſtris factam, neque juſſu veſtro, neque mandato accidiſſe. Quæ quantum Majeſtati Veſtræ displi-

Digitized by Google

plicuerit, id Vos veſtris militum tribunis, qui hæc tam inhumana ſuo ſolo impetu injuſſi perpetraverant, ita mature ſignificaſſe, deque tanta crudelitate Ducem ipſum Sabaudiæ monuiſſe, pro reducendis denique iſtis miſeris exulibus, unde pulſi ſunt, veſtram omnem gratiam, neceſſitudinem, autoritatem tanta cum fide atque humanitate interpoſuiſſe, majorem equidem in modum ſum lætatus. Ea nempe ſpes erat, illum Principem voluntati ac precibus Majeſtatis Veſtræ aliquid ſaltem hac in re fuiſſe conceſſurum. Verum cum neque Veſtro neque aliorum Principum rogatu atque inſtantia in miſerorum cauſa quicquam eſſe impetratum perſpiciam, haud alienum ab officio meo duxi, ut hunc nobilem virum extraordinarii Commiſſarii munere inſtructum ad Allobrogum Ducem mitterem; qui tantæ crudelitatis in ejusdem Nobiscum religionis cultores, idque ipſius religionis odio adhibitæ, quo ſenſu afficiar, uberius eidem exponat. Atque hujus quidem legationis eo feliciorem exitum ſperavero, ſi adhibere denuo & adhuc majore cum inſtantia ſuam autoritatem atque operam Majeſtati Veſtræ placuerit, & quemadmodum fideles fore illos inopes dictoque audientes Principi ſuo ipſa in ſe recepit, ita velit eorundem incolumitati atque ſaluti cavere, ne quid iis hujusmodi injuriæ & calamitati atrociſſimæ innocentibus & pacatis deinceps inferatur. Hoc cum in ſe juſtum ac vere regium ſit, nec non benignitati Veſtræ atque clementiæ, quæ tot ſubditos Veſtros eandem illam religionem frequentes ubique ſalvos & incolumes præſtat, ſumme conſentaneum, a

Maje-

Majeſtate Veſtra, ut par eſt, non poſſumus quin expectemus. Quæ hac ſimul opera, cum univerſos perſua Regna Proteſtantes, quorum ſtudium erga vos ſummaque fides maximis in rebus perſpecta jam ſæpe & cognita eſt, arctius ſibi devinxerit, tum exteris etiam omnibus perſuaſum reddiderit, nihil ad hoc facinus contuliſſe Regis conſilium, quicquid Miniſtri Regii atque præfecti contulerunt. Præſertim ſi Majeſtas Veſtra pœnas ab iis Ducibus ac Miniſtris debitas repetierit, qui autoritate propria, ſuaque pro libidine tam immania patrare ſcelera ſunt auſi. Interea cum Majeſtas Veſtra factum hoc inhumaniſſimum, quo dignum eſt odio, averſari ſe teſtetur, non dubito, quin miſeris illis atque ærumnoſis ad Vos confugientibus, tutiſſimum in regno ſuo receptum atque refugium ſit præbitura; nec ſubditorum ſuorum cuiquam, ut contra eos Duci Allobrogum auxilio adſit, permiſſura. Extremum illud eſt, ut Majeſtatem Veſtram, quanti apud me ſua amicitia ſit, certiorem faciam: Cujus rei neque fidem neque fructum ullo tempore defuturum confirmo

Majeſtatis Veſtræ

Dat. ab Alba Aula Julii
29. 1655.

Studioſiſſimus
Oliverius Prot. Reipubl.
Angliæ &c.

CCIV.

Literæ fiduciariæ ab OLIVERIO, *Anglicanæ Reipublicæ Protectore, nobili cuidam Viro, ad* CARDINALEM MAZARINUM *traditæ, 1655.*

Emi-

Eminentiſſimo Domino Cardinali Mazarino.

Eminentiſſime Domine Cardinalis.

CUm Nobilem hunc Virum cum literis, quarum exemplar hic incluſum eſt, ad Regem mittere neceſſarium ſtatuiſſem, tum ei, ut Eminentiam Veſtram meo nomine ſalutaret, ſimul in mandatis dedi certasque res Vobiscum communicandas ejus fidei commiſi: Quibus in rebus Eminentiam rogo Veſtram, uti ſummam ei fidem habere velit, utpote in quo ego ſummam fiduciam repoſuerim.

Eminentiæ Veſtræ

Dat. ab Aula Alba 29.
Julii 1655.

Studioſiſſimus
Oliverius Prot. Reipubl. Angliæ.

CCV.

Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus auxilia eorum contra infeſta Suecorum arma, & fidem Reſidenti ſuo, mentem Regiam clarius expoſituro, adhibendam, implorat, 1655.

Johannes Caſimirus Dei Gratia Rex Poloniæ &c. &c.

Celſi & Præpotentes, Domini Noſtri chariſſimi.

TAntis tot annorum malis concuſſo Regno Noſtro nova a Principe Sueco recens illata ac-

ceſſit injuria, cum Dominia Noſtra & publica pactorum fide, inter Regna hæc ab utrinque intercedentium, ſecura, & Suetici Senatus literis ad Senatum noſtrum datis facilitatem ad concludendos Tractatus pacis præ ſe ferentibus ad eosque invitantibus tanto magis ſecuriora, infeſtis armis invaſit, ac ſubditos Noſtros ad deditionem cogere contendit. Hunc inſolentem inter Chriſtianos Principes agendi modum Celſitudinibus Veſtris innoteſcere cenſuimus, ut & quid incommodi ex eo bello in Celſitudines Veſtras, perturbata commerciorum conſuetudine redundet, intelligant, & Nobis ad reprimendum hoſtem (quod amice & amanter poſtulamus) auxiliares copias ſubmittere velint. Cætera Generoſo Nicolao de Byl, Noſtro apud Celſitudines Veſtras Reſidenti, nomine noſtro aperienda commiſimus, majorem in modum rogantes, ut & fidem proponendis per eum habeant, & propoſitis ab eo deſideriis Noſtris voluntates ſuas accommodent. Præſtitum tam gravi Reipublicæ tempore officium & viciſſim redhibituri ſumus, & impenſas refundere reſtitutis Noſtris viribus promittimus. Interim Celſitudines Veſtras bene & feliciter valere cupimus. Datæ Warſaviæ die 6. Menſis Auguſti Anno Domini 1655. Regnorum Noſtrorum Poloniæ 7mo, Sueciæ vero 8vo.

Signatum

Johannes Caſimirus.

CCVI.

Digitized by Google

CCVI.

Literæ CAROLI EMANUELIS II. Ducis Sabaudiæ, ad JOHANNEM GEORGIUM I. Saxoniæ Electorem, quibus pulsis patria Vallensibus interceſſionales ipſius egregie profuiſſe, eosque, Chriſtianiſſimo Rege, pacificationis autore, ſedibus ſuis reſtitutos eſſe, nuntiat, 1655.

Serenisſime Princeps Elector, Domine & Agnate Colendisſime.

COmmendatitiis Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ Electoralis Literis ſub die 24. Julii conſcriptis non modo ſatisfeciſſe, ſed etiam vota ſua antevertiſſe perſuaſum habemus, dum eo fere tempore, quo Nobis illæ redditæ ſunt, ſubditos Noſtros Alpinos prætenſam Religionem reformatam profitentes, quibus officiorum ſuorum auctoritate adeſſe voluit, gratiæ Noſtræ & licitis ſedibus ſuis, ſuadente Chriſtianiſſima Majeſtate, Pacificationis autore, clemente reſtituimus. Verum incolas iſtos ſuarum pœnarum autores extitiſſe, e tabulis condonationis videre eſt, & facile judicabit Celſitudo Veſtra Electoralis, ſi ſciverit, quanta pervicacitate & contumacia autoritatem Noſtram ſpreverint, & inobedientes ſeſe geſſerint, dum Nos majoresque Noſtros continuatis benevolentiæ argumentis clementes ſemper & in ſe abunde munificos experti ſunt; unde ſicut clarior emicuit venia & clementia Noſtra, ſic itidem majus obſequium & ſecuriorem ſubditorum fidem ſperamus in futurum. Cæterum ut Celſitudinem Veſtram Electoralem ſingulari proſequimur obſervantia, ſic illam

enixe rogatam volumus, ut datis ad Nos ſæpius mandatis, gloriam agnationis Noſtræ augeat, anſam præbens, ſingularem ſibi teſtari, quam toto animo profitemur, devotionem. Dabantur in Caſtro Noſtro Ripularum Agri Taurinenſis, die ultima Auguſti 1655.

Celſitudinis Veſtræ Electoralis

Propenſus Agnatus & addictiſſimus
ſervus

Carolus Emanuel.

CCVII.

Breve ALEXANDRI VII. P.P. ad CLERUM ECCLESIÆ GALLICANÆ, cui ſerio injungit, ut ardentioribus Deum precibus fatigare contendat, quo gliſcentes ſimultates inter Hiſpaniarum & Galliæ Reges clementer aſſopire dignetur, 1655.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clero, religioſis Viris, & omnibus Chriſti Fidelibus Eccleſiæ Catholicæ.

Alexander Papa VII.

Venerabiles Fratres, dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

E ſummo Apoſtolatus faſtigio per Orbem Universum, noſtras videlicet curas, ſolicite circumſpicientibus Nobis, miſera ſane luctuque plena ſe offert Chriſtianæ Reipublicæ facies, ſortem enim Domini, atque ipſius hæreditatem, veris ejectis filiis,

Digitized by Google

filiis, alieni ſibi diripiunt. Gentes, quas pro Pontificia charitate in noſtrum, hoc eſt in veræ fidei ſinum traducere, arctisſimeque complecti voluiſſemus, hunc ipſum ſinum, dilaniare conantur, & ruptis maris atque ultimis terrarum clauſtris, in Chriſti gregem effunduntur. Male denique concordes Catholici Principes in ſe ipſos feruntur, & (quæ olim extrema minatus eſt Deus inimicis noſtris, atque iis, qui inſurgunt adverſus Nos) ſe invicem depaſcuntur, ac proprio ſanguine quaſi muſto inebriantur. Hæc eadem jam pridem cum tacite Nobiscum doleremus, viſum eſt ei, qui facit magna & incomprehenſibilia, quorum non eſt numerus, invitos trepidantesque vocare Nos ad Eccleſiæ gubernacula, atque inclinare in Nos onus immenſum, humerisque, quamvis firmiſſimis, formidandum. Teſtes autem mœroris noſtri ſunt publicæ ſupplicationes, quas, ubi primum Summo Pontificatui admoti ſumus, univerſis indiximus: Teſtes literæ, quas ad chariſſimos filios, non ſolum Ferdinandum, Hungariæ & Bohemiæ Regem Illuſtrem, ac in Romanorum Imperatorem electum; verum etiam ad utrumque *(Scil. Hiſpaniarum & Galliæ)* Regem dedimus, ad quos iterum, cum importuniſſimum Adverſarium, perinclytæ Reipublicæ *(ſcil. Polonæ)* damna, totique Europæ funera ac vaſtitatem inferre meditantem videremus, magno cum animi dolore ſcripſimus, ut eos a mutuis diſcordiis in nefarium hoſtem converteremus, & quos nunc mittimus, eos admonentes, ut dum hyemis interventu tantiſper bellorum impetus reſederit, ad pacem conſtituendam omni conatu at-

Digitized by Google

que opera incumbant: Præter hæc omnia, unam dies noctesque obversari animo sollicitudinem, quoniam ad tanta, ac tam acerba mala sedanda, nulla nisi in communi concordia reliqua spes est, hanc omnium cordibus ac voluntatibus inferendo. Verum, quia non hoc humanæ vires, aut terrena consilia moliri possunt, sed illius donum esse debet, per quem est disciplina pacis nostræ, qui aufert Spiritum Principum, atque increpat mare, ut obmutescat; quantum in Vobis est, Venerabiles Fratres, ac dilecti Filii, non modo opera, studio, consilio, officiis, autoritateque vestra contendite; verum etiam in oratione, in lacrumis, in jejuniis atque eleemosynis, scindite corda vestra, arripite thuribulum, hoc est preces sanctorum, & medii inter ignem, & arsurum populum consistite. Vos, qui statuti estis custodes super muros Hierusalem, noctu atque interdiu clamate, tanquam cœlestis iræ ac divinæ ultionis placamina. Exinanite calicem furoris & ruinæ, calicem quo potati sumus, doloris & tribulationis meraciſſimæ, Nobis, quippe quibus non prius tuto creditas oves suas putavit Christus, nisi postquam iterum ac tertio de amoris magnitudine admoniti fuimus in Petro, quibus solis sanctuarium ingredi, & ante altare populorum preces Deo repræsentare concessum est, sedulo elaborandum, ne irascatur Dominus, & dicat: Quæsivi virum, qui interponeret maceriam & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni, & effudi super eos indignationem. Hoc enim habet divina ultio, ut tum maxime Altissimus sit exorabilis, & ad lenitatem clementiam-

Digitized by Google

tiamque, hoc eſt, ad ingenium ſuum redeat, cum in brachio forti, & manu valida gladium exerat, ut feriat. Sint pedes veſtri pedes Evangelizantium pacem, ut conterantur arcus & ſagittæ, atque imperet Deus ventis, & faciat tranquillitatem, quam per Vos præſertim aſſequi vehementer optamus, Vobisque Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris, die 20. Sept. 1655. Pontificatus noſtri Anno primo.

Natalis Rondininus.

CCVIII.

Litera CAROLI GUSTAVI, Regis Sueciæ, ad FERDINANDUM III. Romanorum Imperatorem, quibus ei ſucceſſus armorum ſuorum per Poloniam proſperos ſignificat, eumque, ut Reſidenti ſuo fidei ſuæ commiſſa explicaturo aures benignas fidemque præbeat, blande compellat, 1655.

Serenisſime ac Potentisſime Imperator, Domine Frater, Conſanguinee & Amice chariſſime.

QUæ pro conſueta nobis erga Majeſtatem Veſtram fiducia, de cauſis hujus belli, partim per literas, partim per Miniſtros Noſtros, Majeſtati Veſtræ explicuimus, ea Majeſtati Veſtræ jam pridem cognita eſſe non dubitamus. Huic armorum noſtrorum juſtitiæ ita ſuffragata eſt divini Numinis bonitas, ut pluries fuſo fugatoque hoſte, ac expulſo demum Rege Poloniæ, maximam illius Regni partem ditionis noſtræ fecerimus, compluOo 4 res-

resque urbes, & inter has Cracoviam, caput Regni, ante paucos dies ceperimus; certa ſpe freti, Deum Opt. Max. conſilia actionesque noſtras porro proſpero eventu beaturum. Cumque hujus rei lætitia, non ad nos duntaxat, verum etiam amicos noſtros pertinere debeat, pro ſingulari illo, quo Majeſtatem Veſtram æſtimamus, affectu, eandem Majeſtatem Veſtram hujus rei participem facere voluimus, nullo modo dubitantes, quin Veſtra Majeſt. pro optima erga Nos voluntate ſua, illius gaudii ſenſu haud leviter tangatur. Atque ut per hosce ſucceſſus noſtros Majeſtati Veſtræ viciniores facti ſumus; ita nihil nobis erit ſerius antiquiusque, quam amicitiam Majeſtatis Veſtræ omni meliori ratione tueri, & iis rebus ſtudere, quæ vicinitatis leges inter amicos ſibi vendicare videntur; prout etiam confidimus, Majeſtatem Veſtram paria ſemper relaturam, affectumque nobis conſervaturam. Hæc & nonnulla alia commiſimus Reſidenti noſtro apud Majeſtatem Veſtram, ut Majeſtati Veſtræ convenienter referret, majorem in modum Majeſtatem Veſtram rogantes, ut Majeſtas Veſtra eidem fidem adhibere velit, adeoque ſuper iis, quæ propoſiturus eſt, animum ſuum declarare, amicitiæ mutuæ expectationique noſtræ congruentiſſimum, quibus finientes Majeſtatem Veſtram divinæ tutelæ ex animo commendamus, omniaque læta & proſpera Majeſtati Veſtræ comprecamur. Dabamus Caſimirio ad Cracoviam die 12. Octobris Anno 1655.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, conſanguineus & Amicus

Carolus Guſtavus, &c.

CCIX.

Digitized by Google

CCIX.

Reſponſoria a FERDINANDO III. *Romanorum Impemtore, ad proxime præcedentes* CAROLI GUSTAVI, *Suecorum Regis literas, quibus ipſi ſimul operam ſuam componendis inter eum & Poloniæ Regem ferventibus diſſidiis dicatam, offert, 1655.*

LIteras Seren. Veſtr. 12. menſis proxime præteriti, Caſimirio ad Cracoviam datas accepimus, & ex iisdem præter ea, quæ de ſuis in dicto Regno ſucceſſibus nobis benevole communicat, perquam libenter intellexímus, nihil ipſi in illa vicinia prius antiquiusq; fore, quam ut & amicitiam noſtram omni meliori ratione tueri, & iis rebus ſtudere poſſit, quæ vicinitatis leges inter amicos ſibi vendicare videntur, prout etiam confidat, nos ſemper paria relaturos, affectumque Noſtrum erga Serenitatem Veſtram integrum illibatumque ipſi conſervaturos eſſe, & admonuit ſane nos hac tam amica conteſtatione Serenitas Veſtra non modo eorum, quæ Serenitas Veſtra partim per literas, partim per miniſtros ſuos jam ante in hac materia ad nos perſcripſit & perferri voluit, verum etiam reſponſi ad eam a Nobis 24. Auguſti proxime elapſi dati, quo eam, cum de mutuo ſinceræ benevolentiæ affectu aſſecurabamus, tum id quoque in proximis ſignificabamus, nihil Nos magis optare, neque Reipublicæ Chriſtianæ magis expediens ac neceſſarium judicare, quam ut exortæ inter ipſam & Sereniſſimum Regem ac Regnum Poloniæ differentiæ quantocius amicabili compoſitione ſopi-

rentur; quæ quidem literæ, quin recte ad eandem Serenitatem Veſtram pervenerint, neutiquam dubitamus; Jam quod ab illo tempore eadem illa pacis reſtaurandæ cura apud Nos minime diminuta, ſed aucta potius intenſaque fuerit, utpote qui concuſſionem & ſtrepitum tot tamque variorum armorum in vicinia non niſi graviter ſentire poſſimus, exiſtimamus Serenitatem Veſtram pro ſua prudentia facile judicare poſſe, fuit quidem ea ſpes noſtra, fore, ut tractatus amicabiles, communi conſenſu Stockholmiam ac poſtea Stetinum indicti ad effectum perducerentur, perque eos periculum S. R. Imperio & finitimis ejusdem Provinciis ex illo tot tamque variarum Gentium in Regno Poloniæ inter ſe digladiantium concurſu imminens averteretur; Et dolemus ſane, quod vel primus ille exardeſcentis belli impetus, vel aliæ forte cauſæ tractationi illi locum tum non dederint, & habuit interim Seren. Veſtr. eos in illo Regno ſucceſſus, a quibus per noviſſimas ſuas amico nobis ſignificare voluit. At enim, cum per eos ut belli facies alterata ſit, cauſas tamen ejus mutatas, aut animum Serenitatis Veſtræ a pacis conſiliis averſum eſſe cenſendum non ſit, cum id Serenitatis Veſtræ conteſtatum ſemper amicæ compoſitionis ſtudium non ferat, nobisve perſuadere permittat. Quippe quam (ut de aliis taceamus) non lateat, quanti totius Chriſtiani orbis interſit, Regnum Poloniæ, quod contra quosvis hoſtiles inſultus ſtetit, poſt tot aliunde perpeſſa bellorum incommoda, non enervari penitus, & ad extremæ debilitatis terminos reduci, omnino confidimus, can-

eandem noſtram reducendæ pacis ſollicitudinem a Serenitate Veſtra non aliter quam in optimam partem acceptum iri. Et quandoquidem non dubitamus, quin Sereniſſimus Rex & Regnum Poloniæ ad eandem compoſitionem non minus propendeant, pro eo ſane munere, quod nobis in Republica Chriſtiana inter Reges & Principes ejusdem ſuprema divinitas ſummum impoſuit, aliter non potuimus, quam ut tot tamque prægnantium rationum ad id nos impellentium momentis manus daremus, adeoque operam interpoſitionis noſtræ ad reconciliandos animos inter ſe diſſentientes utrique parti amice offerremus. Cumque eam in æquanimitate Serenitatis Veſtræ repoſitam habeamus fiduciam, fore, ut nec ipſa huic pacificæ & tam ad univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ, tam non minus Serenitatis Veſtræ quam cujusvis alterius partis bonum collimanti intentioni noſtræ ſit adverſatura, ſed potius gratam acceptamque eandem habitura, quin etiam moderatæ pacis gloriam cuivis alii non ſine multorum innoxiorum ſanguine parto vel pariendo triumpho prælatura: ac vel maxime cum non dubitemus, quin & divina bonitas huic conſilio noſtro benigne adſpiratura, idque conceſſura ſit, ut bello ſanguinolento omniaque vaſtanti ac per æquam ſatisfactionem ad omnium ſecuritatem finis imponatur. Idcirco Serenitati Veſtræ cum per literas hasce noſtras, tum per earundem exhibitorem expreſſum ablegatum noſtrum (tit.) Franciſcum Euſebium Comitem a Pöttingen, de hoc conſilio noſtro ſignificare voluimus, prout non minus per

alium

alium expreſſum ablegatum noſtrum prædicto Sereniſſimo Regi Regnoque Poloniæ ſignificandum curamus, expectaturi ſuper hoc a Serenitate Veſtra non modo deſideratam, de qua non dubitamus, declarationem, verum etiam expreſſionem, quo loco & tempore id negotii pro commoditate tam ſua & Sereniſſimi Regis Regnique Poloniæ, quam noſtra ſuſcipi quam opportuniſſime poſſe exiſtimet, quo & nos & dictus Sereniſſimus Rex Poloniæ, quæ ad id inchoandum promovendumque pertinent, mature diſponere & apparare poſſimus. Cæterum ſicuti nobis ea, quam Serenitas Veſtra nobis tam per literas quam Conſiliarium etiam ſuum hic ad Aulam Noſtram Reſidentem de ſincero ſuo in nos amicitiæ & benevolentiæ ſtudio præſtare voluit, conteſtatio admodum grata accidit: Ita Eandem de pari noſtro in ſe affectu ſecuram eſſe volumus, quo ad reliqua a Domino Reſidente Serenitatis Veſtræ ſcripto propoſita ad reſponſum noſtrum ſuper his eidem datum nos referentes, Serenitatem Veſtram divinæ tutelæ ex animo commendamus. Viennæ 16. Novembris, 1655.

CCX.

Litera PROCERUM QUORUNDAM POLONIÆ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, Poloniam victoriis peragrantem, quem ne rebus ſecundis, populoque in occurſum ruenti nimium fidat, ſed juſta honeſtaque pangendi cum Rege ſuo media amplectatur, candide hortantur, 1655.

Sere-

Digitized by Google

Serenisſime & Potentisſime Rex, Domine Clementisſime.

SIquidem ea eſt ſors Majeſtatis Veſtræ, ut felicitate ſua conſilia noſtra anteverterit, & rerum apud nos ſumma in Majeſtatem Veſtram vergere videatur, non hoc intentum nobis eſt, urgentibus obluctari fatis, & per abruptam contumaciam novos patriæ motus inferre: Sed nec credimus, placiturum Majeſtati Veſtræ deforme obſequium, ſperamusque brevi Majeſtati Veſtræ approbatum iri, quod nos diviſos a cæteris tenet, Majeſtatis Veſtræ gloriæ & ſtabilimento impenſum. Quicquid hactenus Majeſtas Veſtra in rem ſuam profecit, fortunæ & armis debet, quibus, utut ſuum maneat decus, ille infirmus victor rerum & armorum erit, qui non exſtitit animorum. Neque invitis quisquis imperat diu, niſi qui jure quoque victor, conſcientiam legitimi Imperii a ſubditis extorſit. Adeo hæc conjuncta ſunt, ut & privatis excedere debito obſequio ægre libeat, ne auſpicantem nova in liberum populum imperia juvent ſubditi, primo non ſoluti ſacramento. Hinc eſt, quod rebus in Majeſtatem Veſtram inclinatis, fidei noſtræ exſolvendæ, & rebus impoſterum firmandis conſilium cœperimus, Sereniſſimum Regem Dominum noſtrum Clementiſſimum adeundi, & cum reliquis Collegii Noſtri penes Regiam Majeſtatem ſubſiſtentibus, conferendi, quibus mediis aut Sereniſſimus Rex Dominus Noſter cum Majeſtate Veſtra tranſigere queat, aut fides noſtra ſibi ſatisfaciat. Tantillum moræ eſt, quod a Majeſtate Veſtra petimus,

Digitized by Google

timus, ut fortunæ & ſucceſsibus ſuis injiciat, ſuſpendatque armorum progreſſus & cætera belli meditamenta, donec itineris hujus, cujus nobis Illuſtriſſimus Dominus Palatinus Lenczicienſis comes futurus, eventum Majeſtati Veſtræ renuntiemus. Nec improbabit Majeſtas Veſtra hos obſequii in Principem conatus noſtros, quibus hoc quoque curæ erit, ſi fata ita velint, ex hoc turbido incruentum, nec cujusque prætenſionibus concutiendum educere imperium. Nec tantum properantis in obſequium vulgi æſtimabit applauſum, ut levem putet partium a primoribus regni & numeroſa fidaque nobilitate acceſſionem, qui eo erga Majeſtatem Veſtram ſic ferentibus fatis, conſtantiores futuri, quo clariora fidei in Principem modernum dederunt ſpecimina. Perferet hasce literas Generoſus Dominus Uladislaus Lubomirsky, noſtraque humillima Majeſtati Veſtræ deferet obſequia: Qui ut cito redux Majeſtatis Veſtræ ſenſum nobis cito referat, humillime a Majeſtate Veſtra petimus. Dabantur in Arce Lublinenſi d. 17. Oct. Anno 1655.

Sereniſſ. Majeſtatis Veſtræ

Humillimi Servitores

Uladislaus Dominicus, Dux in Oſtrorog. Palatinus Cracovienſis.

Joh. Tarlo, Palatin. Lublinenſis.

Georgius Lubiensky, Supremus Regni Mareſchallus.

CCXI.

Digitized by Google

CCXI.

Literæ FERDINANDI III. Romanorum Imperatoris, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem, quibus ipſi, ſe res ejus in tot taleſque anguſtias redactas, ægro percepiſſe animo refert, ſuaque officia, partibus belligerantibus interponenda, offert, 1655.

Ferdinandus III. Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus &c. Sereniſſimo Principi Domino Johanni Caſimiro, Regi Poloniæ &c.

Sereniſſime Princeps &c.

REddidit Nobis literas Seren. Veſtr. 7. hujus ex ſuperiori Glogovia datas, Ejusdem Reſidens Baro Johannes Baptiſta Viſconte, ſimulque tum viva voce, tum ſcripto fuſius retulit, quibus cauſis coacta Serenitas Veſtra tandem in ditiones Noſtras recipere ſe debuerit, explicando etiam, prout alias ſæpe, in quas difficultates ac anguſtias ipſa resque ſuæ ac incliti Regni Poloniæ ex bello a Sereniſſimo Rege Sueciæ ſibi illato ſint redactæ. Quemadmodum igitur vices, ſtatumque afflictum Serenitatis Veſtræ & florentiſſimi nuper Regni pro eo, quo cum erga omnes, tum vel maxime erga eum, qui Nobis ob Regii faſtigii dignitatem frater, & ob ſanguinis conjunctionem conſobrinus & affinis ſit, tum etiam erga Regnum vicinum & amicum propendemus affectu, non poſſumus non condolenter conſiderare: Ita pergratum

tum Nobis fuit intellectu, quod Serenitas Veſtra, uti nunquam antea, ſic ne nunc quidem ab amicabili æquaque compoſitione abhorreat. Non omiſimus quidem Nos ſæpe dictum Sereniſſimum Regem Sueciæ etiam poſt bellum motum, cum de ejus cauſis ad Nos fuſius perſcripſiſſet, ad pacem hortari. Ac tametſi deinde ea ſubito rerum in Regno Poloniæ ſucceſſerit mutatio, ut facile conjicere liceat, animum inde Regis non ad aſſumendum Tractatum compoſitionis, ſed bellum proſequendum propenſiorem eſſe factum. Non idcirco tamen Nos curam pacis Noſtram remittendam, ſed pro eo, quod Deus Opt. Maxim. ſummum inter Reges & Principes Chriſtianos impoſuit, munere intendendam potius & augendam, adeoque ſæpe memorato Sereniſſimo Regi Sueciæ (quod certis de cauſis hactenus diſtuleramus) officium Interpoſitionis Noſtræ ad compoſitionem æquam inter ipſum & Serenitatem Veſtram conciliandam ultro offerendum duximus, prout tam per literas, quam expreſſum etiam Ablegatum Noſtrum, Generoſum, Fidelem Nobis dilectum, Franciſcum Euſebium, Comitem a Pœttingen obtulimus. Et cum pro illa, quam cum in æquanimitate & moderatione Serenitatis Suæ, tum conteſtato ſæpius pacis ſtudio repoſitam habemus, fiducia, omnino ſperemus, Eam huic conſilio optimæque intentioni noſtræ minime repugnaturam eſſe, quippe qua nihil aliud quærimus, quam ut extincta feralis omniaque devorantis belli flamma, æqua & tam uni quam alteri parti non pœnitenda inſtituta pace ulterior

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani ſanguinis effuſio ſiſtatur, majoraque pericula, niſi aqua affundatur, non in Regna modo Provinciasque Noſtras hæreditarias, aliasque finitimas ditiones, ſed in univerſum orbem Chriſtianum eruptura, vitentur; adeoque ſpem firmam foveamus, ſupremam Divinitatem, in cujus nomine totum hoc negotium ſuſcipimus, id ita felicitaturam eſſe, ne exoptato careat exitu; tum etiam Nobis non poſſit, nec debeat eſſe dubium, quin Serenitas Veſtra cum inclyto Regno Poloniæ, pro eo, quod ſemper præ ſe tulit ſtudio, hanc eandem pacis curam Noſtram ſit approbatura, officiumque prælibatæ oblationis Noſtræ grato animo acceptura, benevole eidem cum per hasce Noſtras, tum per expreſſum etiam Ablegatum Noſtrum, Comitem de Kueffſtein, de eo ſignificare voluimus, expectaturi ſimul per eundem reſponſum optatum Serenitatis Veſtræ, quo & Nos, quæ ad id negotii inchoandum promovendumque pertinent, mature diſponere & apparare poſſimus. Qui de cætero Serenitati Veſtræ benevolentiam Noſtram Cæſaream amice conſervantes, eandem divinæ tutelæ ex animo commendamus. Viennæ, 16. Novembris, 1655.

CCXII.

Literæ CAROLI GUSTAVI, Suecorum Regis, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ei faciem fœderis inter ſemet pangendi, irritosque ab utraque parte conatus repræſentat, eumq; ut oblatas fœderis conditiones tandem amplectatur, amice monet, 1655.

Digitized by Google

Nos Carolus Guſtavus, Dei Gratia Sueco-rum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, &c. &c. Sereniſſimo & Celſiſſimo Principi, Conſanguineo & Amico Noſtro Chariſſimo, Domino Friderico Wilhelmo, eadem gratia Marchioni Brandenburgenſi, Sacri Rom. Imperii Archi-Camerario ac Principi Electori &c. &c. Salutem!

Sereniſſime & Celſiſſime Princeps, Conſanguinee & Amice Chariſſime.

AD nullam unquam expeditionem invito magis animo, quam nunc in Celſitudinis Veſtræ Electoralis Ducatum acceſſimus; non quod non jamdiu juſtas indignationis & belli cauſas habeamus; ſed quod amicitiæ Noſtræ fundamenta, jura & commoda, ut & innocentia ſubditorum, ſacris iisdem Nobiscum gaudentium, mitiora omnia ſuadeant, cumprimis ut Celſitudini Veſtræ Electorali ſpatium cogitandi indulgeamus, & interea militem quoad fieri poteſt, a violentiis cohibeamus. In eum finem die 3. hujus menſis literas noſtras cum Celſitudinis Veſtræ Electoralis Legato & Conſiliario Freyſtadio expedivimus. Et quia heri demum reſponſum nobis de die 9. & 19. hujus menſis Regiomonti ſcriptum deſuper eſt relatum, coacti ſumus, hac interpoſita mora arma noſtra in viſcera Ducalis Boruſſiæ proferre, ut hic tanto propius Celſitudinis Veſtræ Electoralis ultimam reſolutionem cognoſcamus. Conatur Celſitudo Veſtra Electoralis in ſupradictis ſuis literis culpam turbatæ

tæ amicitiæ a ſe amoliri & eam in nos conferre, inter alia allegans, primum quod noſtri Miniſtri & quidem publica apud Celſitudinem Veſtram Electoralem Legatione fungentes, ſibi indicarint, quæ nos in animo haberemus de portubus Pillavienſi & Memelenſi, nobis adeo neceſſariis, deinde quod Stetini ſub initium Tractatuum a nobis præſentibus, non modo prædicti portus, ſed & in illis Teloniorum participatio & Commerciorum directio, aliaque duriſſima flagitata ſint; & quod nos non modo ab indigitatis non potuerimus dimoveri, ſed novis etiam exiſtimationem & ſecuritatem Celſitud. Veſtr. Electoral. expoſuerimus periculis: Acceſſerunt Campi-Mareſchalli noſtri Comitis Wittenbergii literæ, quibus Celſitudinis Veſtræ Electoralis Generalibus ſcripſerat, ſe copias, quas Celſitud. Veſtræ Electoralis nomine in Boruſſiam eſſent ducturi, pro hoſtibus habiturum & excepturum: Imo Nos Legatis Celſitudinis Veſtræ Elect. apud nos ſubſiſtentibus ſæpius indicaſſe, nos cum Celſitudine Veſtra Elect. in Boruſſia non aliter atque cum hoſte atque alio Poloniæ Statu acturos. Hæc & alia, quæ in nos ibi cumulantur, niſi quodque eorum ad tempora ſua & in iis nata conſilia, expendantur, facile imperitos rerum utrinque geſtarum in ſinſtras de nobis cogitationes conjicere poſſent. Itaque brevibus faciem rei Celſitudini Veſtræ Elect. ob oculos ponemus, ut vel ipſa actionum ſuarum meminiſſe poſſit, vel ſi injuſſu ejus quædam geſta ſunt, de iis ulteriorem rationem ineat. Perpendentibus nobis, mutuæ amicitiæ vincula, ſanguinis ſcilicet

Digitized by Google

propinquitatem, ditionum utriusque vicinitatem, jurium etiam & rationum communionem, adeoque noſtras utrinque benefaciendi opportunitates, facile perſuaſum fuit Celſitudinis Veſtræ Elect. conteſtationes non in labris, ſed imis ſinceri animi penetralibus eſſe natas. Neque alienos nos a mutua propenſione oſtendimus, qui mox poſt ſuſcepta Regni Noſtri ſceptra priores Celſitudinem Veſtram Elect. per Miniſtrum Noſtrum inviſimus & omnibus deinde occaſionibus pignora ſinceri animi Celſitudini Veſtræ Elect. exhibuimus. Nihil equidem dicto Noſtro miniſtro in mandatis dedimus, quo reus posſit peragi indicationis alicujus de portubus Pillavienſi & Memelenſi. Et neſcimus, quis alius ex noſtra mente ſecretum tale, quod animum Noſtrum nunquam occupavit, evulgaſſet. Excutiantur omnes diſcurſus, & cognoſcetur ex nimia & intempeſtiva ſollicitudine natam eſſe hanc ſuſpicionem. Tantum vero abeſt, ut dictos portus quærere ex nobis ipſis intenderimus, ut decreto contra Poloniam bello, parati fuerimus aſſecurare Celſ. Veſtr. Elect. nihil exinde damni in Celſitud. Veſtram Elect. proventum iri, modo Celſitudo Veſtra Elect. intra ſuos terminos ſe contineret, & nobis in nullo officeret. Verum Celſit. Veſtra Elect. arctiori adhuc unionis vinculo nobiscum vinciri cupiens ultro primum per Principalem ſuum miniſtrum, & deinde ipſa propria perſona Reſidenti Noſtro ad Aulam ſuam ſignificavit, ſibi & anteceſſoribus ſuis Ducibus Borusſiæ jamdiu tot a Regibus & Republ. Poloniæ ingeſta eſſe gravamina, & quia nullum juſtis querelis

reme-

remedium ſit inventum, aliam viam iis excutiendis eſſe quærendam & dudum quæſitam fuiſſe: ſi ergo placeret nobis adſciſcere Celſ. Veſtram Elect. in belli ſocium, & in compenſationem & ſatisfactionem onerum belli promittere, eidem non modo Epiſcopatum Warmienſem titulo & jure ſecularis Ducatus, ſed etiam partem Samogitiæ & Lithuaniæ atque adeo dictum Warmienſem Ducatum, & Samogithiæ, Lithuaniæque partes una cum Boruſſia Ducali in plenum & abſolutum dominium eidem confirmare, & in eo tueri tum velle Celſ. Veſtram Elect. usque in finem belli contra Poloniam & alios huic motui ſeſe immiſcentes fideliter nobis adſiſtere. Et ut tanti propoſiti conſilium in ſecreto haberetur & in Poloniam non emanaret, additum eſt, paucos ejus eſſe conſcios, Nobis in tantum hoſtem moturis & non niſi ingenua ab amico Principe expectantibus non diſplicuit Celſit. Veſtræ Elect. intentio & ſocietas armorum, neque conditiones pacis propoſitæ impoſſibiles, ſed immenſæ videbantur. Conſtitutis ergo Commiſſariis, qui Menſe Majo proxime præterito cum Celſ. Veſtræ Elect. miniſtris congrederentur, injunctum a nobis fuit, ut (citra tamen ſcopi principalis læſionem) iſtis duabus attemperandis operam omnem, ſtudiumque impenderent. Quod vero portus iſtos duos Pillavienſem & Memelenſem, participationem teloniorum & commerciorum directionem poſtea prætenderimus, cauſas habuimus & juſtas & neceſſarias. Et ut a poſtremo poſtulatorum Commerciorum directione nunc inchoemus, nos equidem tum novimus, Regibus & Reipu-

blicæ Poloniæ tam ratione Regiæ Borusſiæ, quam directi dominii in Ducalem Borusſiam non exigua competere jura: quæ vero in particulari tum fuerint, non ita in promptu fuit diſcernere. De jure itaque Regis & Reipublicæ Poloniæ conventuris, cautione utique opus erat, dum cuique competentia jura elicerentur. In ejusmodi caſibus pars altera alterius rationes indagat, non ut ſuis, ſi nullo fundamento nitantur, inſiſtat, ſed ut cognitis fundamentis tanto ſecurius paciſcatur. Participatione teloniorum vulgo Licenten vocatorum, quid juſtius a nobis prætendi unquam in tali caſu potuit? Introduxit illa glorioſiſſimæ memoriæ prædeceſſor & avunculus noſter, Rex Guſtavus Magnus jure belli. Et cum vigore pactorum inducialium noviſſimorum deberent tolli, de facto a Celſit. Veſtra Elect. tanto tempore contra pacta continuatur. Licuit itaque nobis, ſive noſtrum reſpectu Sueciæ jus, ſive fœdus cum Celſ. Veſtra Elect. & Regiam Boruſſiam ſpectemus, in hanc quæſtionem venire & continuandi telonii participationem jure optimo nobis aſſerere: idque eo magis, quod merces, a quibus vectigal exigeretur, æque a Regia Boruſſia ac Ducali deſcendant; atque ideo Celſit. Veſtra Elect. non poſſit ſola de jure ſibi ullos proventus arrogare. Quod attinet portuum Pillavienſis & Memelenſis poſtulatum, ſi Celſit. Veſtræ Elect. Miniſtri occaſionem, cauſas & quousque illis potiri voluerimus, mature & ſincere explicuerunt, jam ipſa ex ſe nos illa ſuſpicione liberavit, quaſi loca illa, unde ſalus & ſecuritas Ducalis Boruſſiæ dependere dicitur, obtentu ſolius noſtræ

uti-

utilitatis prætenderimus. Cum in procinctu discedendi e Regno noſtro ſtaremus & deinde præterito menſe Julio in Pomeraniam eſſemus delati, intelleximus Celſ. Veſtram Elect. eodem tempore, quo nos ad commune fœdus contra Poloniam invitat & ſuper eodem nobiscum tractatum init, in præjudicium jurium noſtrorum, & quidem ejusdem contra Poloniam expeditionis ſummum impedimentum, in unito Belgio fœdus moliri. Suaſimus itaque, ut ſi prius, quam noſter tractatus initium ſumſit, alter in Belgio eſſet inchoatus, cœpta tum demum deſiſteret. Sed ubi ſine ulla noſtrorum monitorum conſideratione, Belgicum tractatum urgeri audivimus, utique jure poſtulavimus, ut, ſi Celſ. Veſtra Elect. omnino vellet, Belgicum tractatum perficere & ſerio tamen nobiscum ageret, nobis ideo in finem usque belli duos iſtos portus Pillavienſem & Memelenſem pro ſecuritate noſtra detinendos permitteret. Legatio Celſ. Veſtræ Elect. parum penſi habens circumſtantias hujus juſti noſtri poſtulati, loco adæquatæ reſponſionis, minas acerbas, & neſcimus quas ex barbaris & ipſo orco contra nos arceſſendas ſuppetias jactans, Stetino diſceſſit. Cum ergo Stetini adhuc conſiſtentes illico copias Celſit. Veſtræ Elect. in Electoratu & Pomerania convocari audivimus, non ſine cauſa Campi Mareſchallo noſtro Comiti Wittenbergio in Majori Polonia conſtituto mandavimus, ut talia & loquentibus & agentibus Electoralibus miniſtris, frequentatisque tum correſpondentiis inter Polonicam & Celſitud. Veſtræ Elect. aulam ſibi proſpiceret, admoneretque

Digitized by Google

etiam Celſ. Veſtræ Elect. Generales, ut quamdiu fœdere non eſſemus conjuncti, vel nos melius de Celſ. Veſtræ Elect. intentione certiorati, cum Exercitu Boruſſiam non intrarent, niſi pro hoſtibus haberi vellent. Paulo poſt ipſi e Pomerania movimus, atque in illo itinere die 4. Auguſti ad nos, limites Poloniæ tum ingreſſuros, venit Celſit. Veſtræ Elect. Legatio ad reaſſumendum priorem tractatum. An dici poſſit, nos tum ab indigitatis ſupra poſtulatis nullo modo potuiſſe dimoveri, atque nova ſubinde & exiſtimationem & ſecuritatem Celſit. Veſtræ Elect. afficientia conatibus veſtris oppoſuiſſe, ipſa ex conſcientiæ ſuæ dictamine judicet. Novit Celſ. Veſtra Elect. nos tum condeſcendiſſe in Boruſſiæ Ducalis & Warmienſis Epiſcopatus ſupremum & liberum Regimen, reſervato tantum nobis & noſtris ſucceſſoribus aliquali beneficentiæ jure; novit nos voluiſſe liberare eandem canone illo annuo: novit etiam nos abſtitiſſe prætenſione portuum Pilavienſis & Memelenſis. Quod vero viciſſim participationi teloniorum inhæſerimus, & ſimul poſtulaverimus, ut fœdus in Belgio ictum eatenus ceſſaret, quatenus huic a nobis ineundo præjudicaret, nemo talium rerum æquus æſtimator nobis vitio vertet. Quid præter cætera ſæpe memorata poſtulata in Boruſſiam Ducalem prætenderimus, quia non exprimitur, nos quoque ignoramus: niſi forte qualitatem dependentiæ & inveſtituræ intellectum vult. Deſideravit equidem Celſit. Veſtra Elect. dictorum Ducatuum plenum & abſolutum dominium: ſed poſtmodum noſtræ remonſtrationis intuitu, Legatio

tio ejusdem, exhibito nobis die 9. Auguſti projecto ſuo Rogoſni, agnovit, Celſit. Veſtram Elect. in perpetuum animi devinctiſſimi teſtimonium velle a nobis & Corona Sueciæ ſæpedictos Ducatus Boruſſiæ & Warmienſem in feudum recognoſcere. Ecquid aliud a nobis in ſequentis diei projecto exigitur, quod graviſſimi poſtulati nomine poſſet indigitari? Et quandoquidem Celſit. Veſtra Elect. nunc eſt contenta in Rogoſno oblatis, cur tantopere Rogosniana poſtulata incuſat? Quin imo Celſit. Veſtræ Elect. Legatio abiens viſa nobis eſt obtinuiſſe ſuum ſcopum, niſi quod cauſabatur, ſe ſuper quibusdam non ſatis inſtructam, & propterea velle ulteriora a Celſ. Veſtra Elect. mandata requirere. Nos freti Celſit. Veſtræ Elect. conteſtationibus, firmandi rem ſemel adeo religioſe inchoatam & tractari cœptam, non in Boruſſiam, ſed verſus majorem & minorem Poloniam arma noſtra vertimus. Dum d. 5. Sept. circa Opozno ſubſtitimus, tertia vice ad nos venit ſæpedicta Celſitud. Veſtræ Elect. Legatio afferens nobis literas Celſit. Veſtræ Elect. propria manu ſcriptas, & priſtinum, eumque inſucatum erga nos amorem ſpirantes. Ubi vero dicta Legatio rem præſentem variis conatibus evertere ſtuduit: excogitatæ ſunt rationes, quibus conventarum Conditionum aliæ limitarentur, aliæ exemtionibus enervarentur & totus tractatus in nihilum redigeretur. Interea & dum Celſit. Veſtræ Elect. Legatio ſub velo continuandi tractatum nobis imponere ſtudet, urgetur a Celſ. Veſtra Elect. in Belgio non modo commutatio ratificationum, ſed claſſis etiam mare Balthicum contra nos intra-

rit impoſita. Nunc confectis novis in præjudicium noſtri fœderibus, oretenus traditionem promittit, reapſe vero in perpetuum retinere intendit. Neque enim opus eſt monſtrare, an contra nos directum ſit fœdus, cum quibusdam Borusſiæ Ordinibus initum, quum clara ſint verba & conditiones nobis ſatis injurioſæ & iniquæ. Judicet jam orbis univerſus, imo judicet Deus, unde turbatæ amicitiæ rationes, utrum poſtulatis noſtris Ragosnovianis, quæ Celſ. Veſtra Elect. jam adprobat, & iniquitatis accuſari nequeunt, an vero ab alio aliquo, qui invidia progreſſuum noſtrorum Celſitudinem Veſtram Elect. in nos, nihil tale meritos, animavit, arceſſenda ſint? utrum lædat, qui amicum & ſocium complecti, inque ſuis non modo conſervare, ſed auctiorem etiam reddere cupit, an qui contra obligationem propriam, & conſtantiam veræ amicitiæ in hoſtilia conſilia, nulla juſta de cauſa prolapſus, ultima amico detrimenta parare videtur? Ea tamen eſt animi noſtri erga Celſitud. Veſtram Elect. ejusque inclytam Domum veræ amicitiæ radicibus firmata propenſio, ut ſupradicta omnia, perpetua oblivione ſepelire velimus, ſi modo aliquando videamus ſerium nobiscum tranſigendi propoſitum, nec tempus teri, ut nobis agendi opportunitates decedant, malevolis vero noſtris accreſcant. Præcipuum & immotum eſt noſtrorum poſtulatorum, ut qui hactenus inter Regem Johannem Caſimirum & Rempublicam Poloniæ ab una & Celſit. Veſtram Elect. ab altera, ratione Ducalis Boruſſiæ viguit nexus, poſthac quoque inter nos Regnumque noſtrum, ut & Celſitud. Veſtram

Elect.

Elect. quoque intercedat: Si Celsit. Vestra Electoralis aliquid in reliquis mitigatum cupit, de eo salva nostra securitate amicabili & facili ratione convenietur. Quod ſi vero hæc nostra oblatio nunc non attentatur, fieri potest, ut & Provincia penitus devastetur, & Celsit. Vestra Elect. excidat tractandi occasione & bono, eidem & inclytæ ejus Domui posthac irreparabili. Quibus Celsit. Vestram Elect. divinæ tuitioni serio commendamus. Dabantur in Oppido Borussiæ Ducalis Creutzberg. die 16. Decembr. Anno 1655.

CCXIII.

Litera OLIVERII Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad VENETIARUM DUCEM, a quo, ut navis Principis magni nomine insignita, Mercatoribus Anglis infausto casu erepta, restituatur, obnixe contendit, 1655.

OLIVERIUS Protector Reipublicæ Angliæ Serenissimo Principi, VENETIARUM DUCI.

Sereniſſime Princeps.

CUm rebus Vestris omnibus contra hostem præsertim Christiani nominis prospere gestis lætari semper consuevimus, tum & illo navalis prælii novissimo successu, nequaquam sane dolemus, quamvis id aliquo nostrorum cum detrimento accidisse intelligamus. Ostenderunt enim Nobis per libellum supplicem negotiatores quidam Nostri, Guilielmus & Daniel Guilielmi, nec non Edoardus Bealus, navem suam, cui nomen Princeps

ceps magnus, Conſtantinopolin ab ſe commercii cauſa miſſam nuper fuiſſe; eam navem ab Aulæ Turcicæ miniſtris ad commeatum & milites in Cretam Inſulam deportandos retentam, dum in illa claſſe Turcarum coacta eo navigaret, quæ a Claſſe Venetorum oppugnata in itinere & ſuperata eſt, captam & Venetias abductam ab maritimarum cauſarum judicibus adjudicatam publico fuiſſe. Cum itaque inſcientibus Dominis & nullo modo probantibus navis illa Turcis operam dare invitiſſima coacta ſit, ſeque ex ea pugna explicare militibus referta non potuerit, Serenitatem Veſtram magnopere rogamus, ut ſententiam illam maritimæ curiæ velit noſtræ amicitiæ condonare, navemque illam ſuis Dominis, de veſtra Republica nullo ſuo facto male meritis reſtituendam curare. Qua in re impetranda Nobis præſertim petentibus, cum mercatores ipſos de Veſtra clementia bene ſperare videamus, nos utique de ea dubitare non debemus, qui & præclara Veſtra conſilia remque Venetam terra marique maxime, uti pergat fortunare Deus omnipotens, ex animo optamus.

Serenitatis Veſtræ, Venetæque
Reipublicæ

Weſtmonaſterio die —
Dec. 1655.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector
Reipubl. Angliæ.

CCXIV.

Digitized by Google

CCXIV.

Litera OLIVERII Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus eum, ut mercatoribus Anglis navem, cui unicornu insigne, per naves Gallicas in mari mediterraneo captam, restitui jubeat, impense rogat, 1655.

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenissimo Principi Ludovico, Galliarum Regi.

Serenissime Rex.

MErcatores aliquot Nostrates, quorum nomina sunt, Samuel Mico, Guilielmus Cocainus, Georgius Poynerus, aliique complures per libellum supplicem nobis ostenderunt, se anno 1650. in navem quandam, cui insigne unicornu erat, permagnas rationes suas contulisse: eam navem bombyce, oleo aliisque mercibus onustam, quæ plus minus, triginta quatuor millibus librarum nostrarum ab iisdem æstimata sunt, ab nave prætoria, & propræ toria Majestatis vestræ in mediterraneo mari orientali oppressam atque captam fuisse: nostros autem illa in navi, propterea quod nobis eo tempore cum Gallis illibata Pax erat, cum contra naves regias vi se defendere noluissent, promissis Pauli & Terrerii Navarchorum inductos, qui velle se nostros dimittere ajebant, prolatis onerum libellis, maritimis legibus paruisse: mercatores proinde supradictos procuratorem suum, qui navem illam ac bona restituenda sibi peteret, in Galliam misisse, ibi post triennium eoque amplius consumptum, cum ad sententiam de restitutione perventum

tum jam esset, Cardinalis Mazarini Eminentiam eorum procuratori Hugoni Morello factam Mercatoribus istis injuriam agnovisse, datumque iri satisfactionem, ut primum confirmata pax inter utramque gentem fœdusque, quod tum agitabatur, confectum atque ratum esset, in se recepisse: imo recentius Majestatis vestræ apud Nos Legatum Excellentissimum Dominum de Bourdeaux ex mandato Vestro vestrique concilii, disertis verbis confirmasse, hujus navis atque bonorum peculiari exceptione habitum iri rationem, etiam seorsim ab iis controversiis, de quibus in commune decidendis ex fœdere provisum est: hujus promissi Legatum ipsum, qui nunc percommode negotiorum quorundam suorum causa ad vos transmeavit, testem esse posse locupletem. Quæ cum ita sint, jusque horum mercatorum in repetendis rebus suis tam præclare constet, a Majestate Vestra majorem in modum petimus, ut in eo obtinendo nulla iis mora diutius afferatur, velitque Nostro rogatu has nobis redintegratæ amicitiæ & instaurati recens fœderis esse primitias. Quod & fore confidimus, vobisque fausta omnia Vestroque Regno a Deo Optimo Maximo precamur

Majestatis Vestræ

Westmonasterio die —
Dec. 1655.

Studiosissimus

Oliverius, Protector
Reipubl. Angliæ &c.

CCXV. *Li-*

Digitized by Google

CCXV.

Literæ JOANNIS CASIMIRI, Regis Poloniæ, ad CIVITATEM THORUNIENSEM, quibus se agerrima mente præcipitem deditionem ejus ferre testatur, utque juratæ sibi fidei memor sit, clementer monet, 1656.

Johannes Casimirus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c.

Spectabiles ac Famati fideles nobis dilecti.

ADversa Fidelitatum Vestrarum fortuna non mediocriter Nos afflixit, postquam intelleximus, quod hostis urbem hanc Nostram, præclare servata aliis occasionibus fide, insignem inter suam numeret prædam. Credebamus potius, quod fractis ad ipsorum mœnia suis viribus, pro gloria turpitudinem & audaciæ suæ pœnam erat reportaturus, præsertim cum nihil Fidelitatibus Vestris ad sustinendam longiorem obsidionem defuerit. Sed, quia casum hunc sive necessitas, sive dolus extorsit, fato potius, quam voluntati Fidelitatum Vestrarum imputandum censemus. Mirum tamen, si Fidelitates Vestræ (prout relatum Nobis est) nudæ perfidi cujusdam traductoris insimulationi, non viso, nec habito ullo documento, cesserunt, cum asserere auderet, Prussiam a Nobis hosti esse concessam. Procul omnino ab ista cogitatione distamus, & quamvis hoc prosperum scelus jam omnia spe devoraverit, adest Nobis causa justa & vindex Deus, qui invasorem alieno-

rum juſtioribus terminis circumſcribet. Non deſunt & humana ſubſidia; Jam etenim Regnum Noſtrum feliciter ingreſſi ſumus, Coſaci, qui tot malis hactenus Nos implicaverant, præſtito recenter fidelitatis ſuæ juramento, ad obſequium Noſtrum, ſuadente Tartarorum Principe, redierunt, qui centum millia ſui exercitus in auxilium noſtrum libens adduxit. Stipendiarius miles hoſti infenſus catervatim ad Nos convolat; Præcipui Regni Proceres lateri noſtro adſiſtunt, quos prompta ſequitur Nobilitas. A Sereniſſ. etiam Imperatore auxilia promiſſa expectamus, apud quem per Legatum Noſtrum, Magnificum Palatinum Lancicienſem, Viennæ præſentem, agimus. Quod ſignificandum Fidelitatibus Veſtris ſimulque eas-dem adhortandas eſſe duximus, ut memores juratæ nobis fidei, quod ſubditos decet, cogitare & exequi velint, quo & injuria nobis illata reſarciri, & hujus urbis ſpectatum nomen ad poſteritatem celebre eſſe poſſit. De cætero Fidelitatibus Veſtris gratiam noſtram Regiam offerimus. Dat. Croſnæ 4. Januarii Anno 1656. Regni Noſtri Poloniæ 7. Anno.

Johannes Caſimirus, Rex.

Inſcriptio:

Spectabilibus ac famatis, Burggrabio, Proconſuli, Conſulibus, totique Magiſtratui & Communitati Civitatis Noſtræ Thorunienſis, fidelibus nobis dilectis.

CCXVI. *Li-*

Digitized by Google

CCXVI.

Literæ OLIVERII CROMVELLII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* CIVITATES HELVETIORUM EVANGELICAS, *quibus, res earum non optimo esse loco, acerbe dolet, ac solita ut fortitudine fœderum, libertatis & fidei sanctitatem, læsosque orthodoxæ Religionis sectatores strenue defendant ac vindicent, impense hortatur, 1656.*

Civitatibus Helvetiorum Evangelicis.

EX Vestris ad Nos tam actis publicis per Commissarios nostros Geneva transmissis, quam literis 27. Decembr. Tiguri datis, quo in loco res Vestræ sint, cum non sint optimo, satis superque intelligimus: in quo etsi pacem Vestram tamque diuturnum sociale fœdus ruptum dolemus, tamen, cum id vestra culpa nequaquam accidisse appareat, novum hinc vobis ex adversariorum iniquitate & pertinacia illustrandæ fortitudinis, constantiæque vestræ in Evangelica fide jam olim cognitæ parari rursus materiem confidimus. Nam Svitenses, qui religionem nostram si quis amplectatur, capitale censent, quid moliantur, quibus hortatoribus tam hostiles spiritus in orthodoxam religionem susceperint, latere neminem potest, cui modo indignissima illa fratrum nostrorum in Pedemontio facta strages animo nondum excidit. Quapropter dilectissimi Amici, quod soletis esse, aspirante Deo, fortes estote; jura Vestra atque fœdera, immo conscientiæ libertatem, religionemque ipsam idolorum cultoribus obculcandam conce-

dere nolite; voſque ita parate, ut non propriæ duntaxat Libertatis atque ſalutis propagatores eſſe videamini, ſed ut fratribus quoque vicinis, Pedemontanis præſertim illis ærumnoſiſſimis, quibus poteſtis rebus, opitulari atque adeſſe poſſitis; hoc certo perſvaſi per illorum corpora ac neces ad veſtra latera illum nuper aditum fuiſſe patefactum. De me ſcitote, incolumitatem Veſtram resque proſperas non minus mihi curæ ac ſolicitudini eſſe, quam ſi in hac noſtra Rep. coortum hoc incendium, quam ſi in noſtras cervices expeditæ Svitenſium ſecures illæ (ſicuti revera ſunt in omnes Reformatos) ſtrictique enſes eſſent. Ut primum itaque a Vobis de ſtatu rerum Veſtrarum, & obſtinato hoſtium animo certiores facti ſumus, adhibitis in conſilium viris quibusdam honeſtiſſimis & Eccleſiæ aliquot miniſtris pietate ſpectatiſſimis, de ſubſidio Vobis mittendo, quantum quidem rationes noſtræ in præſentia ferre poſſunt, ea decrevimus, quæ Commiſſarius Noſter Pellus vobiscum communicabit. De cætero Veſtra omnia conſilia, cauſamque imprimis hanc Veſtram juſtiſſimam ſive pace ſive bello tuendam, Deo Optimo Maximo fautori commendare non deſinimus.

Veſtrarum Amplitudinum ac
Dignitatum

Weſtmonaſterio Menſe
Jan. 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protect. Reip.
Angliæ, &c.

CCXVII. *Li-*

Digitized by Google

CCXVII.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ &c. ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, de filiolo Principe recens nato gratulatoriæ, 1656.

OLIVERIUS Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenisſimo Principi CAROLO GUSTAVO, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ &c.

Serenisſime Rex,

CUm amicorum inter ſe mutua omnia, tam adverſa quam proſpera, atque communia debere eſſe nemo non intelligat, quod jucundisſimam amicitiæ partem Majeſtas veſtra, gaudium nempe ſuum impertitum nobis per ſuas literas voluerit, non poteſt id quidem nobis non eſſe longe gratisſimum, quandoquidem & hoc ſingularis indicium humanitatis vereque regiæ eſt, ut nec vivere, ita ne: gaudere ſibi ſoli velle, niſi amicos quoque & fœderatos eadem, qua ſe lætitia affectos eſſe ſentiat. Itaque Regi tam præſtanti & natum eſſe filium Principem, quem paternæ virtutis atque gloriæ ſperemus hæredem, merito gaudemus, & idem, quod Regi olim fortisſimo, Philippo Macedoni ſive felicitatis ſive decoris, domi ſimul & foris, contigiſſe, gratulamur: Cui eodem tempore & natus Alexander filius, & Illyricorum gens potentisſima ſubacta memoratur. Nam & Poloniæ regnum Veſtris armis ab Imperio Papano quaſi cornu quod-

Digitized by Google

dam avulſum & cum Duce Brandenburgico pax piorum votis omnium exoptata, frendentibus licet adverſariis, facta, quin ad eccleſiæ pacem atque fructum per magnum ſit momentum habitura non dubitamus. Det modo finem Deus tam præclaris initiis dignum, det modo filium, virtute, pietate, rebusque geſtis patri ſimilem: id quod & auguramur ſane & a Deo Optimo Maximo tam Veſtris rebus jam ante propitio, ex animo precamur.

Majeſtatis Veſtræ

Weſtmonaſterii, Die
13. Febr. 1656.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

CCXIIX.

Litera JOHANNIS MATTHIÆ, Epiſcopi Strengnenſis, ad CAROLUM GUSTAVUM, Sveciæ Regem, quarum vigore ab eo, ut quibus valeret autoritate & poteſtate a Deo ſibi conceſſis, Religionis inter Proteſtantes concordiam aſſequi ſtrenue annitatur, ſubmiſſe contendit, 1656.

Serenisſime ac Potentisſime Rex, Domine Clementiſſime.

IN ea nos, Te Rege, ſummus ille rerum humanarum Arbiter & Moderator Deus, ſingulari ſua gratia & favore, poſt acerbiora nonnulla fata & minus ſperatas rerum viciſſitudines, ſervavit tempora, ut incertus hæream, ſitne felicitati noſtræ domeſticæ vel externæ potius gratulandum. Quippe

pe domi natus eſt Filius Regius, Princeps hæreditarius primogenitus, ſpes Regni, fulcrum Domus & familiæ, Te Patre, extra Regnum, intra horriſonos belli clangores, triumphante, in quorum duorum ſalute & incolumitate univerſæ patriæ noſtræ ſalus conquieſcit; foris vero ſub juſtis & victricibus tuis armis, per immenſam Dei bonitatem, mirabili & inuſitato rerum ſucceſſu, hoſtes terrore ſunt perculſi, & validæ gentes ac Nationes ſine ulla fere ſanguinis humani effuſione ſub imperium & obſequium tuum redactæ. Tot & tanta ſunt hæc, tamque inaudita & glorioſa, quæ Deus optimus Maximus paucorum menſium decurſu in Te & orbem hunc ſeptentrionalem contulit beneficia, ut neminem adeo vecordem & ingratum ſuſpicari posſim, qui non exultet, & totus gaudio non perfundatur. Ego certe, pro ingenuitate mea, ex tot tantisque DEI in Te miſericordiæ teſtimoniis, nihil aliud colligere mihi videor, quam Te ad majora adhuc natum & ad altiora a Deo deſtinatum eſſe. Videris enim mihi rebus præclare geſtis, non ad unius populi duntaxat, ſed Orbis Univerſi ſalutem temporalem & æternam collimare, atque anguſta rerum mente circumverſare, qua ratione, quove pietatis pignore, cœlum ipſum Tibi obligare debeas. Factum eſt divina providentia, Rex Potentiſſime, ut multi populi Imperio Tuo jam ſubſint, quorum integræ provinciæ virulentis controverſiarum clamoribus & ſtomachoſis opinionum conflictibus, incolarum animis in diverſis de ſacris ſenſus diſtractis ita reſonant, ut ferreus plane ſit, qui tot rupturis non ingemiſcat, & tantis malis non indo-

leat. Nam plerumque evenire ſolet inter tot ſententiarum divortia & mutua omnium odia, ut illi, qui Chriſtianorum optimi ſunt, angantur maxime animis, qui imbecilliores ad deſperationem fere adigantur, & ſicubi eminus qualemcunque unitatis vel ſtricturam vident, ad eam per errores etiam ac præcipitia tendant, qui diſtinctiores ingenio & vita ſunt, male de Religione ſentire incipiant, tandemque in Atheiſmum prolabantur, extremum, quod in hominem cadere poteſt in hac vita, maximeque omnium horrendum & exitiale malum. Quin etiam ipſa experientia docuit, quam contra vim alienam invalidum fuerit illud Regnum, jam tua virtute bellica occupatum, quod domi tot ſacris diſſidiis & civilibus contentionibus ſatis diu fuit attritum. Omne Regnum, inquit Dominus Dominantium, omnis urbs in ſe diviſa devaſtabitur. Diverſæ quidem in Religione ſententiæ tolerari poſſunt, dum quietæ, turbarum fugientes & ſic ſine noxa ſint Reipublicæ. Interim tamen ut nunc ſunt comparata ingenia humana, neſcio quo deterrimo Chriſtianorum more fatoque, ex diverſitate Doctrinæ facile in diffidentiam mutuam nulla etiam Jurisjurandi Religione ſecuram, in odia internecina, in convitia injuriasque, in ſeditiones denique & bella publica eaque inteſtina plerumque, bellorum omnium maxime abominanda degenerant. De quo dubitare non ſinunt cum hiſtoriæ veteres & novæ, tum ipſa totius Europæ Regna, quæ ut bellis immaniſimis non ita pridem arſerunt omnia, ita primam mali flammam ex ſacris diſſidiis concepere: unde liquido conſtare poteſt,

quam

quam res ſit periculi plena, habere imperium in populum, qui in diverſa ſtudia trahitur & in discordantes circa Religionem opiniones ſcinditur. Quietem enim Politicam ſine pace Eccleſiaſtica raro bonam, nunquam certe tutam, nunquam ſecuram eſſe teſtantur annales, multi viri eruditi & magni terrarum Domini loquuntur. Hæc omnia pia mente mecum perpendens, ClementisſimeRex, non potui pro debito meo in Tuam Majeſtatem obſequio & ſincero affectu, nec non devoto in promovenda veritate & pace Eccleſiaſtica ſtudio (quod novit ipſe, qui ſcrutatur renes & corda) intermittere, quin has ad Tuam Majeſtatem literas, ea, qua par eſt ac decet, omni animi ſubmiſſione darem, quibus hoc unice intendo, quod Deo gratum, Eccleſiæ ſalutare & Reipublicæ omnino utile eſſe videtur; ſcilicet, ut ſacra Tua Majeſtas pro autoritate, quam Deo in terris ſecundam habes, pias aliquas cogitationes ſuſcipere digneris, de ſanandis Eccleſiæ Chriſtianæ vulneribus, & reſarcienda inter diſſentientes concordia Eccleſiaſtica, prout decet verè Chriſtianum Principem optare, & in eam curam incumbere, ut ſepoſitis omnibus erroribus fundamentalibus efflореſcat aliquando Eccleſiæ ſtatus, & Regnum Domini ſub toto cœlo ampliętur. Cum vero ſciam, rem eſſe difficilem, imo impoſſibilem, omnes omnino diverſas in ſacris ſententias conciliare, donec abſurdum illum affectum, quem nonnulli intendunt, omittant: videlicet, non ut coaleſcat Eccleſia in unam ſimplicem veritatem, ſublatis ab omni parte erroribus, ſcandalis & abuſibus, qui in illam irrepſerunt, ſed ut pars

Digitized by Google

altera cedat, transeatque in alteram tota: quod nunquam fieri poteſt, præſertim cum partem Eccleſiæ Reformatæ ad non Reformatam tranſire velint, licet non ignorent cauſam, propter quam ab illis feceſſum eſt, fuiſſe deſideratæ orbi tot abominabilium abuſuum Reformationis defectum. Idcirco de concordia Chriſtiana inter Evangelicos ineunda pium & maturum conſilium a Tua Majeſtate clementer capeſſendum eſſe exiſtimo, quo feliciter formato, ad reliquam partem conciliandam facilior ratio pateſcet. Inter Proteſtantes autem pacem & concordiam Eccleſiaſticam redintegrandi viam noſtro quidem ſeculo non adeo difficilem & arduam eſſe arbitrantur omnes tam Theologi quam Politici, quicunque rem absque præjudicio, ſaniore mente, contuentur. Nec deſunt illi ſuo officio in promovendo & ſtabiliendo, quantum in ipſis eſt, negotio tam pio, tam pulchro, & Reipublicæ Chriſtianæ tam ſalutari & neceſſario. Nam & Principes Illuſtriſſimi, & Præſules Vigilantiſſimi, & Doctores piiſſimi, verbis & factis vehementiam iſtam nimiam nonnullorum hominum in diſputationibus & contentionibus de rebus dubiis & abſtruſis, ac minus neceſſariis, averſantur, & quantum poſſunt, retundunt, & Pacem Eccleſiaſticam, pacis Politicæ matrem, pacis æternæ anteambulonem, multis modis reſtaurare ſatagunt. Et ne longius procedam, habes in Polonia, Rex Sereniſſime, in Boruſſia & vicinis Provinciis Viros Evangelicos quam plurimos, moderatione inſignes & eruditione probatos, qui ſcriptis & vocibus pacificis amice & ſincere compellare

ſolent

ſolent zelotas alios & intemperatiores, eosque ad pacis, charitatis, benevolentiæ & amoris leges dandas & accipiendas deſcendere, per viſcera atque miſerationes Domini noſtri Jeſu Chriſti orare & obteſtari. Imo ſpirat jam univerſus prope orbis Evangelicus Sacrarum litium pertæſus, diſſidiorum Eccleſiaſticorum, turpiſſime per Europam tot annis Eccleſiam DEI vexantium compoſitionem. Nec unquam ſanior pars Mundi ab hoc opere victa deſiſtet, donec turbæ Eccleſiaſticæ & litigia in rebus ſacris aut prorſus conſileſcant, aut ad Evangelii curſum, ad florentem Eccleſiæ conditionem, ad DEI gloriam & totius orbis bonum, ringentibus fruſtra ingeniis rixoſis, pacatiora, quod Deus clementer concedat, evadant omnia. In Te autem, Rex clementiſſime, omnium oculi hoc noſtro ævo ſunt converſi: Te Caput & velut Angelum cæterorum Principum aſpicit jam & veneratur univerſa Proteſtantium cohors: Tuum conſilium, patrocinium & auxilium implorat: Te primum & ultimum, ſanandis ſuis vulneribus in tempore nunc opportuno a Deo datum eſſe, certo ſibi perſuadet. TibiqueDivinam providentiam tot provincias ceſſiſſe & tot populos Religionibus inter ſe diſcordes eſſe credit, ut ſub Tuo Celſiſſimo auſpicio, cura & prudentia, per veritatis & pacis vinculum in unum gregem aliquando coaleſcant. Agnoſcit quidem vulnera ſua Eccleſia Orthodoxa: Agnoſcit & dolet diſtractiones ſuas in partes; ſed tamen agnoſcit hæc omnia ſanabilia eſſe, ſi modo ſub Tuo Auguſtiſſimo Imperio conveniens adhibeatur medicina, convocatis in principio, loco com-

commodo, paucis numero Theologis, eruditione juſta, eloquentia pia, prudentiaque ſimplici conſpicuis, & moderatione ingenii ac honeſtate vitæ inſignibus, qui ad normam Verbi Divini amicis, placidisque inter ſe collationibus negotium illud pacificatorium in timore Domini aggrediantur, & ſeclusis ac ſepoſitis dubiarum & inutilium quæſtionum ſpinis, quibus nullum non Religionis caput hodie a nonnullis gravatur (quas tamen priora & meliora ſecula aut ignorant, aut ſapienti conſilio devitarunt) absque rixis & litibus veritatem eam, quæ ſecundum pietatem eſt, pia & ſincera mente quærant, & unanimi conſenſu approbent. De ſucceſſu operis & optato eventu dubitare non ſinunt ſeveriſſima Dei præcepta de charitate Chriſtiana inter omnes colenda, ejusdemque divina vaticinia de felici, tranquilla & glorioſa Eccleſiæ conditione ſub ultimis his temporibus mundi, ubique in Sacris Literis obvia. Hoc autem commodi exinde in Eccleſiam redundabit, ut cum illi, qui a Religione Evangelica alieni ſunt, quibus nunc per noſtras diſcordias opprobrio exponitur, ne de illa diſcenda, recipiendaque vel cogitationem ſuſcipiant (quis enim ſibi perſuaderi patitur, ut ad eos accedat, quos inter ſe in factione videt eſſe diviſos?) cum gaudio & exultatione ex variis mundi plagis ad unitatem & veritatem accurrerint; Tum & ipſi Judæi, qui jam horrent ad veritatem Novi Teſtamenti accedere, quamprimum intellexerint nobis inter nos de doctrina inde deprompta convenire, absque ulla tergiverſatione, juxta prophetias de iſto populo factas, nobiſcum convenient. In

ſta-

Digitized by Google

ſtatum vero Civilem quam multiplices provenient fructus, ſi extinguatur incendium illud Religionis Evangelicum, utrique jam parti pernicioſum, longum eſſet recenſere. Ita enim Proteſtantes mutuo veritatis & charitatis vinculo juncti, junctis quoque viribus & armis, feliciore contra hoſtes communes ſucceſſu pugnabunt, juxta vetus illud: Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Docet ipſa experientia, quam pernicioſum & exitiale ſit malum, in ipſis Rebuspublicis civium, adeoque nec magis tolerandum, quam membrorum in corpore humano inter ſe diſſidium. Certe non fert Dux belli ſuos milites, nec navis Gubernator nautas, nec Dominus ſervos animis & operis diſcordes: niſi enim Capiti ſuo ſe præbeant morigeros, & conjunctis viribus alii aliis ſubſervi-ant, nunquam quæ ſuſcipiunt, probe ſuccedent, aut ad optatum finem perducentur. Et, quemadmodum navis, cujus latera, prora, puppisque; & domus, cujus fundamenta, parietes, trabes, tectum & cæteræ partes, minus firmas & fixas habent juncturas, quavis tempeſtate & procella concutiuntur, percelluntur & tandem ruunt; ita jure nos exiſtimare oportet politiam noſtram infirmari, ſubrui & funditus ſubverti, ſi ſingula membra inferiora non ſe regenda & dirigenda ſubmittant capiti; ſi non ſuo quæque loco ſociorum & conſervorum commodis ſeſe applicent, & mutuo ſubordinato conſenſu auxilia ſua efficiant firmiora; ſicut enim non eſt ferendum membrorum cum capite diſſidium, ſic nec membrorum inter ſe diſtractio; Quid multis? Deus pacis, nunquam ſecum diſconveniens, vult,

Digitized by Google

vult, ut nobis inter nos conveniat, ut unum ſentiamus omnes, ut unum loquamur. Te igitur iterum atque iterum propter DEI gloriam & communem Evangelicarum Eccleſiarum ſalutem temporalem & æternam, omni animi ſubjectione oro & obteſtor, Rex maxime & felicisſime, ut non dedigneris conſilia hæc irenica a pia mente fidelisſimi Tui ſervitoris profecta clementer acceptare, & cum confœderatis Monarchis & Principibus Evangelicis, deliberationibus mature habitis, Evangelium pacis apud omnes ita promovere, ne gaudium, quod ſub Tuis auſpiciis ex Belli Civilis felicisſimo progreſſu Eccleſia cepit, infelici ſchiſmatis Eccleſiaſtici continuatione cum dolore & triſtitia piorum omnium diutius ſufflaminetur. Sic fiet, Serenisſime Rex, ut Respublica Chriſtiana glorioſa & tuta ſub DEI alis & Tua protectione ſubſiſtat; & mutuis conſiliis & auxiliis magis firmetur & invaleſcat, nec non arctius unita, ſolido veritatis & pacis coagulo, hoſtium injuriis minus pateat. Sic fiet, ut cætera omnia non modo ad vitam degendam neceſſaria, ſed & omnia, ut tempore Davidis & Salomonis ad ornatum facientia, Deus affatim ſuppeditet. Sic fiet, ut Dominus exercituum perturbet in æſtu iræ ſuæ omnes inimicos Tuos, & orthodoxæ Religionis oppugnatores, & virga ferrea, omnes contra Jehovam & Chriſtum ejus conſultantes & machinantes, contundat, & ut vas figulinum confringat. Sic fiet, ut cæteri quoque Terrarum Domini & Principes orthodoxi ad unanimitatem faciles concurrant, & ſopitis inter ſe controverſiis, juncta

opera

Digitized by Google

opera cum Tua Majeſtate, indeſinenter operam impendant, ut omnes & cæteræ Nationes credant, Jeſum eſſe Chriſtum illum Filium Dei: & credentes per ejus nomen vitam æternam habeant. Deus pacis ſancta pacificorum omnium conſilia ex alto proſperet, ac illis benedicat, qui præcipuis ac primis votis atque conamine, & præ reliqua hujus mundi gloria & potentia, Chriſti regnum promovere ſtudent, ac tuam imprimis Majeſtatem Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ bono ſalvam & incolumem diutiſſime ſervet, atque tandem in ſeculo futuro æternæ pacis & felicitatis corona frui concedat. Hoc ex animo ſubmiſſius vovet & impenſius precatur

Sacræ Tuæ Majeſtatis

Streng. die 7. Martii
1656.

Subjectiſſimus & Humillimus
Servus

Joannes Matthiæ, Epiſcopus
Strengnenſis.

CCXIX.

Litera OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus eos, ut navem variis bonis onuſtam, Mercatoribus Anglis Fliſſingæ injuſte abjudicatam, reſtitui legitimis poſſeſſoribus jubeant, amice rogat, 1656.

Olive-

OliveriusProtectorReipublicæ Angliæ &c. Excelsis & Præporentibus Fœderati Belgii Ordinibus, S. D.

Excelsi & Præpotentes Domini, Amici charissimi.

OStendunt nobis mercatores quidam, cives nostri Thomas Busselus, Richardus Bearus aliique socii, navem quandam suam Edmundi & Johannis nomine insignitam, dum ab ora Brasiliana Olysiponem contenderet, ab navi quadam prædatoria Flisingensi, cui nomen Ruber Leo, Magister Lambertus Bartelsonus, oppugnatam se dedidisse; verum ea lege & pacto (id quod ipsum Lamberti chirographum obsignatum testabitur) ut navis, & quæcunque in illa fuissent Anglorum bona, Flisingæ restituerentur: eo cum appulsum est, navem quidem & nauticorum pecnlia reddita, mercatorum Anglicorum bona adempta eorumque auctionem statim esse factam: se mercatores nempe, quibus hoc damni datum est, cum in foro Flisingensium suas res repeterent, iniquisima sententia lata, litem cum grandibus impensis post quinquennium perdidisse, ab iis nimirum judicibus abjudicatam, quorum nonnulli cum in illa navi prædatoria suas rationes collatas habuissent: & judices & adversarii & rei simul erant: nihil jam sibi superesse spei, nisi in vestra æquitate & incorrupta fide, ad quam nunc demum confugiunt: eam sibi fore propensiorem existimarunt, si nostra commendatio accessisset. Et hominibus istis condonandum hoc sane est, si in tanta hac fortunarum suarum dimi-

Digitized by Google

dimicatione omnia timentibus, quid ab ſumma auctoritate atque potentia veſtra ſibi metuendum, quam quid apud integros præſertim judices de ſua cauſa ſit bene ſperandum, ſæpius in mentem veniat; nos quin religione, juſtitia, integritate Veſtra potius, quam rogatu Noſtro adducti, quod æquum, quod juſtum, quod vobis denique dignum eſt, judicaturi ſitis, non dubitamus: Deus Vos, Veſtramque Rempublicam ad gloriam ſuam, ſuæque Eccleſiæ præſidium conſervet.

Weſtmonaſterio Die
1. April. 1656.

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ, &c.

CCXX.

Litera MATTHIÆ BIOERENKLAVII, Secretarii & Conſiliarii Suecici, ad HIERONYMUM RADZIOWSKIUM, Regni Poloniæ Vice-Cancellarium, cui ſtatum exercitus Suecici, & quo in loco res Suecorum in Poloniæ ſint, candide exponit, 1656.

Vir Excellentiſſime.

NUbes illa, quæ oculis noſtris nuper ſeſe infudit, nunc diſcuſſa eſt, & clare patefactum, quam incerto rumore multa tam de Sacræ Regiæ Majeſtatis Sueciæ & exercitu ejusdem ad Sandomiriam conſiſtente, quam de pugna ad arcem Czirskovienſem commiſſa, hic Warſaviæ fuerint ſparſa. Non eſt, quod Excellentiæ Veſtræ referam circumſtantias conflictus Czirskovienſis, quum

præsens hic audiverit, quam mature Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ, & per literas & internuncium Colonellum Weyherum monuerit Dominum Marchionem Badensem de hostium appropinquatione, & receptu ad loca tutiora: quodque ipse Marchio Badensis, equitatus Polonici celeritate deprehensus, & necessitate ad pugnandum adstrictus, egregii strenuique Ducis officio functus sit. Novit etiam Excellentia Vestra, ipso pugnæ Czirskovienſis die & insequente nocte, circiter quingentos equites, (peditatus nullus copiis illis interfuit) Warsaviam rediisse, & postea in hunc usque diem plures e sylvis & paludibus emersérunt. In arcem quoque Czirskovienſem integra turma Dragonum Finnonicorum, centum & octo militibus constans se recepit. Ipse quoque Lubomirschius Equitum Svecicorum Magistrum Postium sub fide publica huc remisit, ut de captivorum commutatione ratio iniretur. Ipsius Postii indicio compertum est, ducentos & sexaginta Suecicorum militum captos fuisse in prælio. Exinde de cæsorum numero facilis erit computatio. Nam Excellentiæ Vestræ constat, Suecicas copias non excessisse numerum 1500. equitum Dragonumque: in quibus maxima pars nuper militiæ nomen dederat, & tyrocinium non expleverat, nisi excipi mereantur armatissimæ Dragonum Finnonicorum aliquot Compagniæ. Poloni vero habebant robur Quartianæ militiæ, tredecim militum millia, & adhuc ex nobilitate varias cohortes. Hinc Czerniskius Suecis captis dicitur exprobrasse, quod tantilla manus ausa fuerit gladios stringere, nedum tanto tempo-

re

re & adeo obſtinate multitudini Polonorum reſiſtere. Pugnatum enim utrinque eſt acriter, cadente hinc & inde magno militum numero: neque Suecici prius terga verterunt, quam pugnando eſſent fatigati & hoſtium cōpiis circumfuſi. Ipſi Marchioni Badenſi, ejus fratri, Comiti Schlippenbachio, Colonellis Pens & Weyher, ut & Secretario Regio Philipſonio, una cum integra Compagnia Dragonum arx Czirsko receptum dedit. Lubomirſchius, poſtquam ſemel iterumque eodem die præſidium dictæ arcis ad deditionem invitaſſet, nihilque niſi fecem aliquot Polonorum arci appropinquāntium importaſſet, quietem tandem ſuis, itinere & pugna feſſis, indulſit. Circa medium noctis nuncius illis advenit; quid vero attuliſſet novi non pro certo dici potuit; Veriſimile tamen viſum eſt, ipſis tum innotuiſſe, Sacram Regiam Majeſtatem parta prius victoria duplici, tranſiiſſe Sanum. Nam die 29. Martii hora nona matutina uno omnes impetu & quam celerrime verſus oppidum Warka contendunt. Reverſus Warſaviam, 3. Martii ipſe Marchio Badenſis, una cum reliquis in dicta arce obſeſſis, & de inſperato hoc Polonici exercitus regreſſu referens, variam conjectandi anſam multis præbuit. Suecici Miniſtri, qui cum Colonello Weyhero literas Sac. Reg. Maj. datas die 24. Martii in caſtris ad Sanum & ſimul certitudinem de ponte in Sano jam ſtrato & de altera ripa a Colonello Radeke occupata, ut & de ſeria Sac. Reg. Maj. intentione trajiciendi fluvium Sanum & iter verſus fluvium Wieptz dirigendi acceperunt, ſibi præfigurabant Sanum jam eſſe ſuperatum, & id-

eo Polonicum exercitum avocatum, ut reliquo itineri ſeſe objiceret. Verum nec omnium animos potuit occupare hæc ſpes: Nam Poloni, Regi Caſimiro addicti, & in his Jeſuitæ conſtanter aſſerebant, pontes quidem in Viſtula & Sano fuiſſe inchoatos, ſed illum jam plane deſtructum, & ripam Sandomirienſem a magna Quartiani exercitus parte inſideri; hunc vero non pertingere ad Orientalem Sani ripam, propterea, quod Suecicus Colonellus in illa feſtinatione inædificaſſet illum cuidam inſulæ, ita, ut adhuc ſuperandum eſſet alterum Sani brachium, quod Palatinus Vitebſenſis Sapieha, ducta inſuper ad latus dicti brachii foſſa, ſeptem militum militibus & multitudine ruſticæ plebis tutaretur: quin imo aſſeverabant, Colonellum Suecicum pulſum, conſtructa munitione, & pontem eſſe diſruptum, ita, ut Sacræ Regiæ Majeſtati nullus, niſi Cracoviam, pateret regreſſus: iſtic vero obſtare multos & rapidos amnes, impeditas ſylvas, paludes & montes: omnes pontes eſſe avulſos, & nobilitatem, plebemque tranſitus ubique præcluſiſſe, &, quod omnium maximum judicabatur, addebant, Czerniſchium magna militum, nobilitatis & plebis manu Suecicorum exercitui a tergo imminere, & præcipuam ejus partem jam detriviſſe; poſſe nunc Sac. Reg. Maj. capi, & totum exercitum ad incitas redigi. Erant, qui conjiciebant, Sac. Reg. Maj. transjeciſſe Viſtulam inter Sandomiriam & oppidum Paronow, jam verſus fluvium Pilezam progredi: quod Præfectus etiam arcis Czirskovienſis confirmabat, dicendo, ſe vidiſſe ſpeciem incenſi alicujus oppidi verſus Pilezam, &

præ-

Digitized by Google

præterea audiviſſe majorum tormentorum ſonos; indeque incolas divinare, utrumque exercitum Polonicum in hac ripa, Svecicum vero in altera conſiſtere ad oppidum Warka, inde dictum oppidum in cineres redactum. Nobis in re dubia ſollicitis advenit 31. Martii miſſus a Sac. Reg. Maj. Nobilis Saxonicus Borſtel cum Literis Regiis, die 30. datis ad ripam fluvii Wieptz, ex quibus & internuntii relatione tandem comperimus, Sac. Reg. Majeſtatem decoratam victoriis fluvios Sanum & Wieptz felicisſime transiiſſe. Exponam autem omnia, prout relata ſunt, ſed nude & breviter, ut veritas noſcatur & Excellentiæ Veſtræ deſiderio ſatisfiat. Sac. Reg. Majeſtas deprehendens Jaroslaviæ, hoſtem nullibi juſtam pugnandi copiam facere, inde 12. Martii movit, & 14. fluvium Wislokam trajecit, iter ſuum Sandomiriam dirigens. Polonici exercitus ductores ſuſpicati, Sac. Reg. Majeſtatem velle vel Viſtulam vel Sanum trajicere, exercitum ita ſunt partiti, ut Lubomirskius & Czerneskius Viſtulam ad Baronowam oppidum tranſierint, prohibituri Sac. Reg. Majeſtatem trajectu Viſtulæ; Palatinus vero Witebſcenſis Sapieha tranſitu Sani. Poloni, quia ad Baronowam tranſierunt, ope Jeſuitarum mox Sandomiria potiuntur. Et cum præfectus Svecicus in arcem ſe reciperet, & Poloni vicinas arci ædes incenderent, ignis primo turrim collegii Jeſuitici, deinde totam urbem corripit, & in cineres redigit. Quod cum conſpexit Sac. Reg. Majeſtas e regione conſiſtens, Præfecto arcis Sandomirienſis imperat, ut arce relicta in caſtra ſe reciperet. Et quandoquidem pulverem tormen-

tarium ſecum vehere non potuit, reliquum ejus conclavi ita appoſite & arcte concluſit, ut qui ſerum & alia aſpiciebant, crederent iſthic theſaurum reconditum: addidit vero pulveri funem igne accenſum, ea circiter longitudine, ut exacto dimidiæ horæ ſpatio pulverem poſſet attingere; poſtea arce excedit & Viſtulam trajicit. Poloni triumphabundi arcem ingrediuntur, & nulla non lætitiæ ſigna edunt: ex feneſtris vexilla vibrantur & turbarum ſonitus audiuntur. In medio vero lætitiæ funis igne accenſus pulverem attingit, totamque arcem & omnes Polonos triumphantes ad aſtra extulit. Qui in caſtris Sac. Reg. Majeſt. rem conſpexerunt, arbitrati ſunt, ſe extremi judicii ſpeciem videre: adeo tremendum viſum eſt hoc incendium, quo cum mille ducentis circiter Polonis aliquot Suecorum cadavera ſepulta ſunt: Nam funus cumprimis Olai Wallenſtedt, Secretarii Regii, aliorumque quod arcis templo illatum, in illa feſtinatione una in naves referri non potuit, ruinis illis eſt involutum. Quamprimum ergo Sac. Reg. Maj. intellexit, Polonicum exercitum ad Sandomiriam conſiſtere, illico Colonellum Weyher ad Marchionem Badenſem expedivit, monuitque, ut ſibi proſpiceret. Et licet tota Viſtulæ ripa a Sandomiria Caſimiriam usque obſeſſa eſſet ruſtica plebe, fluvius vero Viſtula infinitis navibus & cymbis in dicti Weyheri, aut cujuscunque Svecici nuncii perniciem paratis; per medios tamen hoſtes navigio ſuo & ope ſedecim ſclopetariorum incolumis transiit, & die 25. Dn. Marchionem Badenſem ad oppidum Janovitz, e regione Caſimiriæ ſitum, inve-

Digitized by Google

invenit. Ipſa vero Sac. Reg. Majeſt. ponti in Sano fluvio ſtruendo allaborans, cognovit 14. Martii, Colonellum Sapieham, transfugarum Quartianorum ultimum, cum 14. cohortibus ad Baronowam conſiſtere, illuc cum ſuorum ſelectis contendit, & poſt levem velitationem omnes in fugam convertit, acceptis quatuor vexillis & trecentis trucidatis, multis vero in Viſtulam præcipitatis, in caſtra reverſa, & pugna cum Palatino Vitebſcenſi intenta, invenit pontem in altera Sani ripa non continenti, ſed inſulæ innexum, alterumque Sani brachium foſſa circumdatum, difficilem ſibi tranſitum reddere, potisſimum, cum Palatinus Vitebſcenſis, militari laude conſpicuus, tanto militum numero adverſam ripam tutaretur. Nocte ergo ingruente, Colonello Guſtavo Kruſio imperat, ut adſcitis ſibi 300. ſclopetariis, paulo infra pontem, ubi alter Sani alveolus majori ſe jungeret, Sanum trajiceret, foſſamque a militibus Vitepſcianis obſeſſam occuparet, ſucceſſit res adeo proſpere, ut ante medium noctis non modo hoſtis ejectus eſſet foſſa & munitione ſua, ſed Sani quoque alteri brachio pons impoſitus. Confeſtim ergo & ante diluculum fit tranſitus, & mox promiſcua plebis cædes interque milites utriusque partis pugna, in qua, Palatinus Vitepſcenſis fuga ſibi conſulens, primo Lublinum, deinde, cum ibi non intromitteretur, Zamoyſcium petiit, trucidatis a Sueco milite, hoſtem inſequente, quadringentis Pololonis, captisque Sarcinis Vetipſcianis. Hac ergo ſibi aperta via, Sac. Reg. Majeſtas peditatum ſuum & impedimenta 24. navibus impoſuit, &

ſecundo Viſtulæ fluvio ad Wiprum deduxit, iisdemque navibus conſtructo ibidem ponte Wiprum transiit, & ſuos Verſaviam uſque deduxit. Pulcherrima viſu res, claſſem tot navibus, tantoque peditatus numero, & convenienti ordine, panſisque vexillis, ſecundo Viſtulæ curſu, cum tympanorum ſonitu ferri; equitatum vero terreſtri itinere, paribus quaſi paſſibus incedere. Sac. Reg. Majeſt. aliquot milliaribus obviam proceſſerunt Suæ Majeſt. frater, Dn. Generaliſſimus, Marchiones Badenſes & Dux de Croy; Copiis vero, ad Excellentiæ Veſtræ oppidum Pragam conſiſtentibus, præfuerunt, Campi Mareſchallus Dn. Comes Wrangelius & Dn. Princeps Solisbacenſis. Ingreſſam Sacr. Reg. Majeſt. die 3. Aprilis, paulo ante totius exercitus adventum, caſtra dictarum copiarum applauſu omnium tormentorum ex arce & vicinis munitionibus ſalutarunt. Ædes Excellentiæ Veſtræ Pragenſes Sac. Reg. Majeſtatem hoſpitem exceperunt, ibique 4. Aprilis, in omnium hic præſentium Principum, Senatorum & Generalium præſentia, auditus eſt Cæſareus Ablegatus & Vice-Cancellarius Bohemiæ, Dn. Comes a Pöttingen. Propoſito erat conformis his adjunctis Imperialibus literis, quibus Sacr. Cæſ. Majeſt. ut antea Regi Johanni Caſimiro per Comitem Kuffſteyn, ita nunc Sac. Reg. Majeſt. Sveciæ hac legatione interpoſitionem ſuam ad ſopiendum hoc bellum offert. Nunc exercitus per novum pontem transductus in caſtris ad arcem Jasdowa, Principem Bogislaum Radzwilium, cum tribus militum

litum millibus, & imperium Sac. Reg. Majeſtatis expectat: Varſavienſes, dementati falſis Jeſuitarum rumoribus, non ante credebant Sacr. Reg. Majeſt. Sveciæ vivere, & aliquid Svecicarum copiarum in Polonia adhuc ſupereſſe, quam eum hiſce diebus Svecicæ Majeſtatis perſonam & exercitum florentiſſimum integro quatriduo per pontem transduci viderent. Quocunque tendunt Quartianorum copiæ, eo falſa illa fama penitus deleti exercitus Svecici una circumfertur, & in longinqua etiam ſpargitur, ut ita Nobilitas in Palatinatibus, Sacræ Regiæ Majeſtatis fide & obſequio devinctis, ad rebellionem & armorum ſocietatem concitetur. Nemini vero magis nocebunt talium autores, quam patriæ ſuæ, & cumprimis Nobilitati: quæ ſi hoc modo a fide Sac. Reg. Majeſtati data ſe abduci patietur, variis periculis ſe objiciet. Craſtina die hinc movebimus verſus Bloniam. Quicquid in hac expeditione evenerit, Excell. veſtræ datis occaſionibus exponam, maneboque ſemper

Excell. Veſtræ

Varſaviæ die 6. 16. April.
Anno 1656.

Dicatiſſimus Servitor

Matthias Biörenklau.

Digitized by Google

CCXXI.

Litera recredentiales Petro Julio Coicto, Legato Suecico, ab OLIVERIO, Anglicanæ Reipubl. Protectore, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, traditæ, 1656.

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Sereniſſimo Principi, Carolo Guſtavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Ingriæ, Wismariæ, nec non Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Duci &c.

Sereniſſime Princeps.

PErfunctus legatione ſua apud nos Petrus Julius Coictus, atque ita perfunctus, ut ſua debita laude non inornatus a nobis dimittendus ſit, ad Majeſtatem Veſtram revertitur. Fuit enim cum veſtro præcipue nomine, quod jure apud Nos plurimi eſſe debet, nobis gratiſſimus, tum ſuo etiam merito, ſuo nempe munere diligentiſſime obito, haud parum acceptus. Quam igitur commendationem Veſtram de eo accepimus, eam (ſi quid ad eam accedere teſtimonio ullo poteſt) & ab ipſo impletam, & a vobis meritiſſime datam, libentes utique teſtamur: Quemadmodum & is poterit noſtrum erga Majeſtatem Veſtram ſingulare ſtudium & obſervantiam, eadem fide atque integritate ad Vos referre, veriſſimeque exponere. Extremum illud eſt, ut Majeſtati Veſtræ felicitatem omnem

Digitized by Google

omnem victoriarumque cursum contra omnes hostes Ecclesiæ perpetuum a Deo Optimo Maximoque optemus.

Majestatis Vestræ

Westmonasterio die
17. April. 1656.

Studiosissimus

Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ &c.

CCXXII.

Literæ Intercessionales ab OLIVERIO, *Anglicanæ Reipublicæ Protectore, ad* LUDOVICUM XIV. *Galliæ Regem datæ, quibus Mercatoribus quibusdam Anglis navem per prædatorem Anglum ereptam & Dunkerckam abductam, reddi petit, 1656.*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Serenissimo & Potentissimo Principi,
Ludovico, Galliæ Regi,
S. D.

Serenissime Princeps.

ADierunt ad Nos per libellum supplicem, Johannes Dethic, urbis Londini in hunc annum Præfectus, & Guilielmus Wakefield mercator, conquesti, se anno 1649. Calendas circiter Octobr. navem quandam, cui nomen Jonæ Londinensis, Jona quoque cognomento Lighthaghe Magistro, suis mercibus, quæ Ostendam mitterentur, onerasse:

Digitized by Google

ſe: eam navem a prædone quodam Barckingenſi, cui nomen White (is filii Regis Caroli defuncti nomine piraticam faciebat) in ipſo Thameſis oſtio oppreſſam, atque inde Dunkirkam, quæ eo tempore in ditione Gallorum erat, fuiſſe abductam; cum autem edicto Majeſtatis Veſtræ anno 1647. & anno rurſus 1649. aliquot etiam conſilii Regii decretis, in gratiam Parlamenti Anglicani, cautum eſſe intelligerent; ne naves ullæ aut merces, illius belli tempore, quoquo obtentu Anglis ereptæ, in Majeſtatis Veſtræ portus quoscunque aſportarentur, venalesve eſſent, miſiſſe ſe ſtatim Dunkirkam procuratorem ſuum Hugonem Morellum negotiatorem, qui a Domino Leſtrado illius oppidi per id tempus Præfecto, reddi ſibi ſuam navem cum mercibus poſtularot, cum eas præſertim magna ex parte adhuc integras, neque dum permutatas aut divenditas, in ipſo oppido deprehendiſſet, reſpondit præfectus, ſe Regis Galliæ dono, ob navatam Reipublicæ operam, præfecturam eam accepiſſe; curaturum proinde, uti ea ſibi pretium operæ ſit. Hoc reſponſo fruſtratus, poſt magnum cum temporis, tum pecuniæ diſpendium, procurator domum revertitur. Petitores, quæ reſtat ſibi ſpes, eam in ſola veſtra clementia atque juſtitia repoſitam eſſe vident; ad quam per Noſtras literas faciliorem ſibi aditum fore crediderunt: ea ne deſit hominibus contra jus omne & repetita Veſtra interdicta ſpoliatis, rogamus. Quod tamen, ſi impetrabimus, quandoquidem hoc ſane æquiſſimum videtur, ab inſi-

ta

Digitized by Google

ta æquitate Veſtra potius, quam rogatu Noſtro, impetratum id eſſe ſtatuemus.

Majeſtatis Veſtræ

Weſtmonaſterio die - - Maji,
1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCXXIII.

Literæ, quibus OLIVERIUS, *Protector Reipublicæ Angliæ, apud* GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, *pro Londinenſibus quibusdam mercatoribus, a Belgis nonnullis mercatoribus, de reparatione damnorum iſtis illatorum in ſextum jam annum dilationibus iniquis eluſis, intercedit, 1656.*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Excelſis & præpotentibus Dominis Fœderati Belgii Ordinibus, S. D.

Excelſi & præpotentes Domini, Amici Chariſſimi.

DEmonſtrarunt Nobis per libellum ſupplicem Johannes Brunus, Nicolaus Guilielmus, aliique Londinenſes, ſe, cum in navem, cui Bonæ Spei Londinenſis nomen inditum erat, in Orientalem Indiam navigaturam, ſortem quisque ſuam contuliſſet, procuratori ſuo negotium dediſſe Februario menſe 1644. ut bis mille quadringentas libras Bel-

Digitized by Google

Belgicas ad illius navis periculum præſtandum Amſtelodami curaret: Ea navis cum in itinere ad oram ipſam Indiæ ab Hollandica quadam, quæ ex navibus Orientalis illius ſocietatis erat, capta eſſet, qui præſtando periculo ſe obligaverant, pactam pecuniam numerare recuſaſſe; & ſextum jam annum paſſim Noſtros, qui ſumma cum aſſiduitate maximisque impenſis jus ſuum perſecuti ſunt, dilationibus variis eludere. Quod cum petitoribus grave admodum atque iniquum videatur, & nonnulli ex iis, qui ſe obligarunt, vel jam diem obierint, vel ſolvendo non ſint, ne quid forte ad priora damna ſummi diſcriminis accedat, magnopere a Vobis petimus, ut per tot annos in foro jactatis ac prope naufragis iſtis Veſtram æquitatem portum eſſe atque perfugium velitis; utque de cauſa ſua, quam illi juſtiſſimam eſſe confidunt, primo quoque tempore judicium fiat. Vobis interim omnia ad Dei gloriam eccleſiæque præſidium fauſte atque feliciter evenire volumus.

Excelſarum & præpotentium Dominationum Veſtrarum

Weſtmonaſterio die - - Maji,
1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCXXIV.

Literæ CAROLI GUSTAVI, Regis Sueciæ, ad FERDINANDUM III. Romanorum Impera-

Digitized by Google

peratorem, quibus eum, Regem Poloniæ, injurias injuriis cumulando Suecisque tot irritis ſua culpa tractatibus ludibrio expoſitis anſam cruentiſſimo bello dediſſe, & adhuc dum a ſerio pacis ſtudio alieniſſimum eſſe, docet, 1656.

Serenisſime & Potentisſime Imperator, Domine Frater, & Conſanguinee Charisſime.

PErcepimus ex iis, quæ Majeſtas Veſtra cum per expreſſi ſui Ablegati, Generoſi Nobis ſincere dilecti, Franciſci Euſebii Comitis a Pœttingen, Majeſtatis Veſt. Conſiliarii, Camerarii & Germanici Vice-Cancellarii in Regno Bohemiæ, vivam vocem, tum etiam in literis ſcriptis Viennæ die 16. Novembris Anno proxime præterito, Nobis vero Pragæ ad Warſaviam die 5. & 15. April. nuper elapſi traditis amice ad nos perlata voluit, placuiſſe Majeſtati Veſtræ repræſentare Nobis non modo quod antehac de die 24. Auguſti ſuperioris anni erga Nos conteſtata ſit, ſcilicet nihil magis optare neque Reipublicæ Chriſtianæ quicquam magis neceſſarium judicare, quam ut exortæ inter Nos & Regem Johannem Caſimirum differentiæ quantocyus amicabili ratione ſopiantur, ſed etiam, quod eadem illa pacis reſtaurandæ cura vel ideo apud Majeſtatem Veſtram poſtea aucta ſit, quod concurſum & ſtrepitum tot tamque variorum armorum in vicinia non niſi graviter ſentire poſſit: Speraſſe propterea Majeſtatem Veſtram, fore, ut tractatus amicabilis communi conſenſu Stockholmiam & poſtea Stetinum indicti ad effectum perducerentur, perque eos periculum

Rom.

Rom. Imperio & finitimis ejusdem Provinciis ex illo bello imminens averteretur: nunc vero dolere, quod vel primus exardescontis belli impetus, vel alie fortæ causæ tractationi illi locum non dederint; Censere tamen Majestatem Vestram, quod licet per successus nostros belli facies alterata sit, animum tamen Nostrum a pacis consiliis non esse aversum, cum & talia semper contestati simus, & nos non fugiat, quanti totius Christiani Orbis interfit, ne Regnum Poloniæ, post tot aliunde perpessa incommoda jam ad extremos debilitatis terminos reducatur & enervetur: Maj. itaque Vestr. ejus intuitu atque etiam pro eo munere, quod in Republica Christiana inter Reges & Principes ejusdem suprema Divinitas Majestati Vestræ summum imposuit, aliter non potuisse, quin utrique parti operam suæ interpositionis ad animos conciliandos amice offerret: prout etiam super hoc negotio desiderat non modo Nostrum Responsum, sed etiam expressionem, quo loco & tempore existimaremus id negotii quam opportunissime posse suscipi. Commune Nobis Antecessoribusq; Nostris Regibus Sueciæ cum multis aliis Principibus & Rebuspublicis votum, desiderium & studium fuit jam diu, ut illa inter dictos Antecessores Nostros Sueciæ & Poloniæ Reges exorta, & una cum Sceptro Sueciæ in Nos derivata, posteaque inter Nos & Regem Johannem Casimirum variis modis exasperata dissidia quantocyus amicabili ratione terminarentur. Licet enim una injuriarum, quibus Rex Johannes Casimirus Nos lacessivit, Nobis vindictæ causam justissi-

ſtiſſimam potuiſſet præbere, nedum addita plurium continuata ſeries & nexus earum directus in Regiæ Noſtræ Dignitatis derogationem, Regnique detrimentum: pacis tamen ſpe & amore ſivimus, ut Noſtri Regnique Noſtri Senatores in tempore monerent, Regni Poloniæ Senatum de arripienda anſa maturandæ compoſitionis. Nihil vero minus reſpexerunt, quam ſalutare & pene neceſſarium illud conſilium: quippe quod tamdiu impedimentis involutum deprehendimus, dum præterita æſtate ulciſcendis talibus injuriis exercitum Noſtrum Poloniæ imminere, Nosque altero velle inſequi intelligerent. Nam Legatio Polonica ad Nos in Sueciam ſuperioris anni vere miſſa tum demum Stockholmiam venit, cum Noſter Regnique Noſtri Senator & Campi-Mareſchallus, Comes Wittenbergius jamdiu accepiſſet mandata aggrediendi Poloniam, & Nos in procinctu eſſemus trajiciendi in Pomeraniam: adeo ut Nobis tum fuerit nec facultas revocandi dictum Mareſchallum, neque tum conſultum ſubſiſtendi domi, neque etiam rationi conſentaneum ſuſpendere ſemel decretum bellum, quando in prioribus induciis nulla fuiſſet ſecuritas, & Polonia binis antea tractatibus Lubecenſibus Sueciam eluſiſſet. Utriusque ergo partis conſenſu tractatio amicabilis Stetinum eſt indicta. Diſcedimus ergo Nos in Pomeraniam & Legati Polonici in Boruſſiam. Noſtro etiam nomine bini Commiſſarii cum plena poteſtate & ſufficientibus mandatis agendi & concludendi Stetini relinquuntur. Verum ex quo nos in Poloniam movimus, primarius Commiſſariorum Polonicorum, Pa-

latinus Lencicienſis Comes Leſinius, ſcriptis ad Noſtrum Regnique Noſtri Cancellarium Comitem Oxenſtierna literis monuit, dictum Tractatum Stetino deſtinatum non poſſe ibi commode inſtitui. Quinimo ipſe Rex Johannes Caſimirus ſuperiori æſtate petiit, & in caſtris noſtris ad Sobotha ſtatim obtinuit Salvum conductum pro ſuis Commiſſariis, ut tractationi in Polonia ſe accingerent. Venerunt iidem, qui in Suecia fuere Noſtro Salvo Conductu muniti Menſe Septembri Warſaviam: ſed reipſa neglecta receſſere iterum, alter in Lithuaniam, alter vero Cracoviam ad Nos, unde poſtea in Sileſiam ad ſuum Regem conceſſit. Poſt menſes aliquot iterum pro Polonicis Commiſſariis petuntur literæ ſecuri commeatus: & dantur etiam a Nobis; verum dicti Polonici Commiſſarii non comparuerunt, neque a Rege Johanne Caſimiro ulla jam longo tempore audita eſt certa mentio aſſumendorum tractatuum, ita, ut in alte memoratum Regem vix videatur poſſe quadrare, quod in Majeſt. Veſtræ literis Viennæ die 16. Novembris Anni proxime elapſi, etiam in hac materia ad eundem Regem ſcriptis extat, ſcilicet, quod quemadmodum Rex Caſimirus nunquam antea, ita nec nunc quidem inchoato hoc bello ab amicabili compoſitione abhorruerit. Nam ut Commiſſariis Polonicis, qui Anno 1651. Lubecenſi congreſſui interfuerunt, per literas (quod Nobis ex certis rerum documentis nunc conſtat) die 11. Auguſti ſupra dicti anni ex caſtris ad Beretſtesko allatas injunctum erat, ut penetratis Suecicorum Commiſſariorum animis & prætenſionibus, con-

congreſſum Lubecenſem dextre diſſolverent, idque etiam eodem ac repetito ibidem tractatu non ſine Sueciæ & Mediatorum ludibrio ſunt executi: Ita Rex Johannes Caſimirus toto Noſtri Regiminis tempore, etiam in mediis belli flammis pacem quidem in lingua promptam, bellum vero in pectore meditatum habuit: ut de illo optime (de Nobis vero neſcimus quo fundamento conjiciatur) dici poſſit, animum videlicet ejus non ad aſſumendum tractatum compoſitionis, ſed bellum perſequendum & fuiſſe, & adhuc eſſe propenſiorem, atque ideo dolendum merito eſſe, quod vel primus exardeſcentis belli impetus, vel aliæ forte cauſæ, imprimis vero imaginaria ejus in Noſtrum Regnum prætenſio, ut prioribus ante duobus Lubecenſibus Tractatibus, ita etiam nunc illis toties a Nobis oblatis tranſigendi occaſionibus locum non dederint. Commovet merito Mentem Noſtram, quod pertinacia pravorum Conſiliorum cauſam dederit cum aliis, tam vicinis, quam Poloniæ ſubditis, tum etiam Nobis infeſtandi Poloniam & eam enervandi. Regna & Status alii, atque adeo ſocietates inter diverſos Principes Populosque ſtant & firmantur cumprimis cultu & obſervantia fidei & conſtantiæ dictorum factorumque. Quando ergo Polonici ſive Rex, ſive Proceres una cum Rege cenſuere tractatus pacis cauſa, & communi tam partium, quam Mediatorum conſenſu, decretos, & bona fide a parte Sueciæ bis Lubecæ inſtitutos dextre, h. e. per fraudem eſſe diſſolvendos: Quando fidem & juramenti pactorumque conventorum religionem inſuper ha-

bere, & eam pro ratione temporum & ob utilitatem propriam ſine ullo ſacroſanctarum transactionum reſpectu ſurſum deorſum verſare: Quando nunc vicinos invicem ad diffidentiam, nunc vicinorum ſubditos ad defectionem concitare pro nihilo ducere: Quando moniti tam Rex, quam Senatores de mediis tanto malo adhibendis omnia juſta & æqua contemnere decrevere: ſimul quoque expendere debuerunt, malas artes & prava conſilia autoribus & conſultoribus ut plurimum eſſe exitioſa; quodque Polonia propterea ſibi, non vero aliis imputare debeat præſentem ſuam eamque deplorandam faciem. Eſt tamen in ejus adhuc poteſtate, ut ex his malis emergere poſſit, modo bonis conſiliis, tractationibus & ipſi fidei locus debite relinquatur. Quod vero concurſum & ſtrepitum armorum in Majeſtatis Veſtræ vicinia concernit, ſi Majeſtati Veſtræ placet memoria repetere tempus, quo hæ Maj. Veſtræ literæ ad nos ſcriptæ ſunt, deprehendet, Majorem & Minorem Poloniam aliasque Provincias, ut & integram militiam Quartianam partim ſpontanea deditione, partim armis, partim etiam pactis conventis Noſtræ Protectioni & Imperio jam tum ſe ſubjeciſſe. Magnus quo que Moſchoviæ Dux paci tam religioſe Nobiscum inhæſit: & Zaporoviana gens eodem tempore pro Nobis ſtetit; adeo ut quieſcentibus Nobis illisque omnibus, non poſſimus percipere, ubi & quis fuerit ille tot tamque variorum armorum concurſus & ſtrepitus, quem Majeſtas Veſtra in ſua vicinia non niſi graviter ſentire potuerit. Si Rex Johannes Caſimirus & Proce-

res,

Digitized by Google

res, Nobilesque e Polonia profugi, vel non inveniſſent ſedes in Sileſia, vel ab iis nihil incommodi Noſtro Statui Bellico in Polonia illatum fuiſſet, jamdiu nullus armorum conflictus in Veſtræ Maj. vicinia eſſet. Et illa etiam de cauſa potiti cum aliis provinciis, tum etiam utraque Polonia tam per literas de die 12. Octobr. Anno proxime præterito Caſimiriæ ad Cracoviam exaratas, quam viva Miniſtri Noſtri ad aulam Maj. Veſtræ Reſidentis voce Majeſtati Veſtræ amice de prædicto rerum Noſtrarum in Polonia ſtatu ſignificavimus & ſimul innuimus, Nos fretos non modo pactis Osnabrugenſibus, ſed recentibus etiam & mutuis officiorum plenis conteſtationibus, in talium rerum conſtitutione velle & ipſos religioſe colere, & a Majeſtate Veſtra expectare fidam, ſinceram & innoxiam vicinitatem. Nam ſpretis a Rege Johanne Caſimiro aliis componendi viis, illa fuiſſet expeditiſſima ratio & ſedandi armorum conflictum in Polonia, & avertendi a Romano Imperio finitimisque provinciis pericula. Et Nobis quoque eſt relatum, Majeſtatem Veſtram ſevere prohibuiſſe, ne ullæ e Sileſia in Poloniam contrà Nos a profugis Polonis fierent excurſiones: inde tamen poſtea, quorundam forte miniſtrorum conniventia, contra Nos prodierunt & viciſſim in alia loca receptum habuerunt integra armatorum agmina: Atque tota pene officina machinationum nuper contra Nos erumpentium apud Regem Caſimirum & reliquos Polonos in Sileſia degentes, originem habuit, ut non ſit mirum, ſi nunc ad Sileſiæ fines infeſta arma concurrant & ſtre-

Digitized by Google

pant. Quemadmodum vero Majeſtas Veſtra laudatiſſimo inſtituto Polonos intra ſua territoria cohibere voluit & juſſit, Nos etiam, ut hoc fieret, æquanimitatem Majeſtatis Veſtræ imploravimus: Ita nunc nulli dubitamus, quin Majeſtas Veſtra intellecta ex hisce literis ulteriori & amica Noſtra requiſitione curet non modo, ut ejusmodi turbatores quietis poſthac condigne reprimantur, ſed Noſtris etiam per Majeſtatis Veſtræ provincias iter facientibus, liber & noxius pateat tranſitus. Principe Chriſtiano dignum & munere, quod in Romano Imperio & Majeſt. Veſtræ Regnis Deus Ter Optimus Maximus eidem ſummum impoſuit, conveniens eſt, quod ut antehac Rex Chriſtianiſſimus & nonnullæ aliæ poteſtates ſummæ diſſidiis Sueciam inter & Poloniam componendis inſudarunt, ita nunc quoque Majeſt. Veſtra præter peculiarem Imperii & Regnorum ſuorum curam, etiam ad vicinorum Principum Chriſtianorum diſcordiam & cumprimis hoc bellum ſedandum operam & ſtudium ultro offerre voluerit. Si Majeſt. Veſtra, pro ſumma ſua prudentia & procul affectibus, tempora priora & cumprimis negotia, quæ circa hanc Sueco-Polonicam controverſiam ſopiendam ventilata ſunt, velit excutere, deprehendet non per Sueciam ſtetiſſe, quo minus pax dudum inter Sueciam & Poloniam ſit facta, ſed Reges Poloniæ Sigismundum & ejus filios vel propria animorum obſtinatione, vel inſtigatione aliorum, & quidem eorum, quorum interfuit, diſſidium hoc ali, & Sueciam eodem diſtineri, in culpa eſſe, quod media pacis æquiſſimæ toties ſint rejecta

cta & cauſæ diſſidiorum magis magisque cumulatæ, totusque noviſſimæ compoſitionis apparatus in ardentiſſimum hoc bellum converſus ſit. Audet Suecia in ſinceræ ſuæ intentionis & actionum probe inſtitutarum teſtimonium provocare non modo ad mediatorum conſcientiam, ſed etiam ad Scriptores Polonicos Senatorii ordinis, imo ad ipſa acta & Comitialia Congreſſuum Lubecenſium a Polonis conſignata. Itaque poſt infeliciter tentatos Lubecenſes tractatus & binis illis vicibus inani opera fatigatos Mediatores, utrinque placuit inſtitutio tractatuum ſine arbitris, cui etiam propoſito adhuc inhæremus, non quod diffidamus vel cauſæ noſtræ, vel compertæ Mediatorum æquanimitati, ſed quod horum numerus fuerit antehac major, quam hoſtiles animi in pacem per ſe propenſi opus habere videantur, quodque exemplo tractatus Osnabrugenſis didicerimus, maximas & difficillimas controverſias, remotis arbitris, inter ſolas partes belligerantes, in pacem tamen utrinque pronas, poſſe componi. Quandoquidem ergo Majeſtas Veſtra adeo ſancte conteſtatur, ſe & verbis & opere ipſo velle promovere hujus diſſidii & belli optatum exitum, & ipſa ex ſe facile judicare poſſet, quod ſi poſt utrinque approbatum tractatum ſine Mediatoribus, iterum aliorum & quidem Majeſt. Veſtræ nova interpoſitio ſit admittenda, priores Mediatores ſint aſciſcendi; quodque exinde ſuſpicio poſſit oriri, quaſi vel ex intervallo locorum, unde requirendi eſſent omnes Mediatores, ambages & moras tractatui objiciamus, vel ex numero arbitrorum auctо augere velimus

Digitized by Google

impedimenta & ipſius rei inter hoſtes expediendæ, & modorum inter tot mediatores procedendi: Ideo ſperamus fore, ut Majeſtas Veſtra, conſideratis omnibus ſupra indigitatis circumſtantiis, hanc Noſtram excuſationem æquiſſimo animo ferat, idque eo magis, quod eluſa a Rege Johanne Caſimiro priorum Mediatorum ſolenni diligentique cura & poſtea utrinque approbare tractatu ſine arbitris, difficillimum Nobis nunc ſit, vel priſtinos Mediatores ad rem incertam accerſere, vel illis præteritis novos acceptare. Cæterum, ſicuti Nobis is, quem Majeſtas Veſtra erga Nos tam per literas, quam ablegatum ſuum Comitem de Pœttingen conteſtata eſt amicitiæ & benevolentiæ ſincerum affectum, gratiſſimus accidit; ita eandem nunc benevole & amice de reciproco & candido Noſtro animo, in ſtudium, cultum & obſervantiam pacis propenſo certiorem reddere voluimus, commendantes ex animo Majeſtatem Veſtram divinæ protectioni in multos, eosque proſperos annos. Dabantur Strasburgi Boruſſorum, die 24. Junii, Anno 1656.

Majeſtatis Veſtræ

Bonus Frater, & Conſanguineus

Carolus Guſtavus.

CCXXV.

Literæ FRIDERICI WILHELMI, Electoris Brandenburgici, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem, cui ſe neceſſitate coactum fœdus cum Suecorum Rege arctiſſimum iniiſſe,

Digitized by Google

se, neque tamen & sic honesta pacis abstemium esse, nuntiat, 1656.

Serenissime & Potentissime Rex, Domine Cognate & Affinis, uti & Frater observantissime.

ALiam sæpe precati fuimus sortem, & ut mitiora fata obtingerent Provinciis: sed demonstrarunt hactenus rerum exitus, iratum Numen & nondum expiatam satis causam horum malorum. Fecimus interim ea, quæ in potestate Nostra posita esse videbantur; nec intermisimus quicquam, quod ad pacem & sistenda cruentissima arma conferre aliquid posse existimavimus, sed & hoc frustra fuit. Nihilominus tamen bellum ipsum & cum ipso periculum indies augmenta capiebant: nihil tuti circa Nos & Provincias Nostras erat: Ducatus Noster Prussiæ quasi obsessus, & imminebant Nobis quasi ultima, nisi ea in tempore firmo tandem consilio averteremus. Equidem avocavimus semper animum a bellis, & adhuc abhorret mens Nostra a sanguine humano: ac præter pacem ac securitatem nihil desideramus magis, & vellemus, ut hæc omnia sine armis comparari & conservari possint. Sed si in causas ipsas & publicum rerum statum intuemur penitius, & quod præcipuum est, Nostræ & subditorum Nostrorum salutis rationem habemus, undiquaque Nos circumstant pericula maxima, & nulla alia turbulentissimo & incerto hoc rerum statu, comparandæ pacis Nobis oblata via est, quam, si non modo pacta cum Serenissimo Regiæ Sueciæ, quæ ex necessitate & a Regia Vestra Majestate deser-

ti, ab ipſis vero Polonis impugnati inivimus, conſtanter conſervaremus, ſed & Ejusdem Regiæ Dignitati (imprimis dum non conſtans tantum fama, ſed & ipſa Majeſtatis Veſtræ mandata Generali ſuo Czarneckio in ſcriptis data, ut & aliæ a Noſtris interceptæ Literæ Nobis & provinciis Noſtris vim & hoſtilitatem annuntiarent) arctius conjungeremur. Quod ipſum quoque nunc factum eſt, quodque hiſce ipſis Veſtræ Regiæ Majeſtati ſignificandum duximus. Securam de cætero eſſe jubentes, de ſerio Noſtro pacem promovendi ſtudio, quodque nihil prætermiſſuri ſimus unquam, quo hoc deſideratiſſimum bonum reduci iterum poſſit, modo & Veſtra Majeſtas re ipſa teſtetur, idem ſibi magis curæ cordique eſſe, quam incerta & dubia arma, quæ experiri alias & impoſterum neceſſe habebit. Quam de cætero bene valere cupimus

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Datæ Regiomonti
1. Julii 1656.

Cognatus & Affinis, uti & Frater obſervantiſſimus

Fridericus Wilhelmus Elector.

CCXXVI.

Reſponſoria JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad præcedentes FRIDERICI WILHELMI, Brandenburgici Electoris, Literas, 1656.

Johannes Caſimirus, Dei gratia Rex, Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Serenisſimo Prncipi, Friderico Wilhelmo, Marchioni Brandenburgico,

co, Sacri Romani Imperii Archicamerario & Electori, Prusſiæ &c. &c. Duci, Cognato & Affini, uti Fratri Noſtro charisſimo ſalutem & omnis felicitatis incrementum.

MOderationis & recte cuſtoditi vinculi, quo Reipublicæ Poloniæ, Ducalis Prusſia ſancte firmiterque cohæret, nemo equidem probus gnarusve laudem Nobis negaverit, quo magis admiratio dolorque Nos tenet, Serenitatem Veſtram nulla prorſus cauſa ex Vaſallo fidoque Principe in hoſtem Noſtrum & Regni Noſtri degeneraſſe, ſtetimus hucusque adverſus populi voces, neque deſumus aperta licet injuria, honeſtæ tamen & meliori de Serenitate Veſtra opinioni acquieſcere. Inde qua literis, qua internunciis frequenter misſis omnia pertentavimus, ut pacta juratagque Nobis regnoque Noſtro fides, quam utilitas forte aliqua vel ſpes incerta Serenitati Veſtræ potior eſſet, neve antiquus Prusſiæ ſtatus indecora animi mobilitate & fluxis conſiliis concuteretur; ſed inveniri modus & ratio nulla potuit, quæ obſeratas bonis monitionibus aures recluderet, adeo ut tres Ablegati Noſtri nullo literario Reſponſo dimitterentur; quartus tandem vix credentiales obtinuerit. Ab his gradibus eo deventum, ut Serenitas Veſtra data poſtremum Epiſtola Regiomonte die 1ma Julii ſocium & amicum hoſtis Noſtri palam ſe dixerit, bellumque Nobis ac Regno Noſtro indixerit verbis deinceps, factum ne deeſſet, nuperrime Eandem, fruſtra obnitente, fidemque juratam ac fas acclamante Internuntio Noſtro, die 19. Julii lectum exercitum ſeque

Digitized by Google

que una caſtris Suecorum admoverit. In tam enormi juris divini humanique læſione, quid indignemur magis, aut quid remedii ultra quæramus, niſi ut primum Deum & Orbem violatæ fidei teſtem & judicem invocemus, nullius vel minimæ cauſæ conſcii Nobis, quam Serenitas Veſtra contra Nos & Rempublicam Polonam ſpecioſe obtendit? Exercitus Polonus, cui detrimenta præteritæ hyemis aſsignare videtur, in fatali illa rerum perturbatione minime Noſter fuit: Nos profecto jura non Principis tantum, ſed Patris plane implevimus officia, ſuaſimus, disſimulavimus, obteſtati ſumus. De Epiſtola Noſtra ad Generoſum Czarneckium, Caſtellanum Kyovienſem alicubi intercepta, Orbis ita habeat, privatam fuiſſe, nec hoſtile quicquam illa contineri, qui nimis procurenti Czarneckio, jamque vicino continere manus, & exercitum a Pruſſia ſupremi juris Noſtri Regnique Poloniæ Provincia deflectere imperavimus. Irratum Nobis fuiſſe Numen, & nondum ſatis expiatam malorum cauſam, quod Epiſtola Serenitatis Veſtræ objectat, neque Nos ipſi pro reverentia Divinæ Majeſtatis diffitemur. Hæccine tamen juſta cauſa, quæ Serenitatem Veſtram in Suecorum partem detruſit, tandemque adverſum Nos ſupremum Dominum Regnumque Poloniæ rebellioni accinxit? Modum profecto talem conatumque arma cruentiſima, ut præfata ejus epiſtola loquitur, ſiſtendi, reducendæque Pacis, nemo rerum æquus arbiter affirmet. Non eſt profecto quod Serenitas Veſtra ambitioſo nomine pacis, armatus ludat; coërceri debuit intra Pruſſiam exercitus, ſi pa-

ſi pacis ſtudium quam belli magis placuiſſet. Irrumpenti in Regnum adverſus ſupremum Dominum ſuum, & poſtquam arctius hoſti conjungi gloriatus eſt, perſonam denique ſuam eidem pignoranti, quo pacto deſiderium curamve pacis tribuemus? Incerta enim & dubia arma Serenitas Veſtra Nobis minatur, ſed neque hoſtis Martem totum omnino poſſidet amplexuque tam arcto tenet, ut labi & aliquando elabi fortunam non ſit neceſſe. Cum vero publici rerum ſtatus & ſubditorum propriæque imprimis ſalutis cauſam Epiſtola prætendat, facilis via & ratio erit, ſi monſtrantibus Nobis rem penitius Serenitas Veſtra intueatur, qua ſe periculo eximat, incertoque hoc & turbulentiſſimo rerum ſtatu Ducatui Pruſſiæ conſulat, ſtare conſtanter pro Nobis, pro juſtitia, pro jurata fide, vel ſi rebus id forte Serenitatis Veſtræ incommodet abire retro, Pruſſiæque intra fines exercitum ſecure ſpectare. Hoc ſaluberrimo modo Serenitas Veſtra ſtatum optime defenderit. Abrumpere fidem Nobis non poteſt, ut non & vincula ſimul omnia rumpat, ſtatumque evertat. Porro qua fiducia Serenitas Veſtra arctam cum Suecis conjunctionem Nobis ſignificandam duxit, eadem Nos, jure tamen & legitime diſceſſionem intra triduum Regno Noſtro cum exercitu omni Serenitati Veſtræ intimamus. Quod ſi ultra præfixos tres dies hoſtium in partibus egerit, Nos ſolutos poſthac vinculo omni eſſe ac fore, eidem declaramus, & qua licentia Serenitas Veſtra arma in viſcera Regni Noſtri promovit, exemplum Nobis

vel

vel maxime nolentibus erit hoſtilia pariter in ditionibus Ei ſubjectis audendi patrandique. Judicabit præſens poſteraque ætas, malorum omnium initia & progreſſus a Serenitate Veſtra fluxiſſe. Cui de cætero meliora conſilia & bonam valetudinem a Deo precamur. Datæ Warſaviæ die 23. Menſis Julii, Anno 1656.

CXXVII.

Literæ Interceſſionales OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* JOHANNEM IV. *Luſitaniæ Regem, quibus mercatoribus quibusdam Anglis pecuniam, a Societate Braſilienſi, Vecturæ commorationisque nomine a nonnullis mercatoribus Luſitanis, cum quinquennali fœnore debitam, dari petit, 1656.*

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c. Sereniſſimo Principi Joanni, Luſitaniæ Regi.

Sereniſſime Rex.

CUm mercatoribus quibusdam Anglis a nonnullis mercatoribus Luſitanis ex ſocietate Braſilienſi vecturæ commorationisque nomine Anno 1649. & 1650. grandis pecunia debeatur, quæ pecunia a ſupra dicta ſocietate, juſſu Majeſtatis Veſtræ, retinetur, expectabant quidem dicti mercatores, uti ea pecunia ex conditionibus proximi fœderis jam pridem ſibi numerata eſſet. Verum ne amputetur ſibi ſpes omnis ac ratio recuperandi ſua debita, verentur, ex quo intelligunt, ſtatuiſſe Majeſtatem Veſtram, ut quam pecuniam Braſilienſis ipſis

Digitized by Google

ipſis ſocietas debuiſſet, in ærarium Veſtrum inferretur, utque portorii dimidia pars ſolvendis iis debitis impenderetur, atque hoc pacto mercatores legitimum duntaxat lucrum, ſive fœnus pecuniæ ſuæ accepturi eſſent; ipſa ſorte interim funditus intereunte. Quod Nos nobiscum reputantes quam durum ſit, eorumque juſtiſſimis precibus victi, has noſtras ad Majeſtatem Veſtram literas conceſſimus: hoc potiſſimum a vobis poſtulantes, uti præſtandum curetis, ut ſupradicta Societas Braſilienſis hujus Reipublicæ Mercatoribus quam primum ſatisfaciat, tam de ſumma pecuniæ, cuique eorum debita, quam de fœnore quinquennali: cum hoc & per ſe juſtum ſit & fœderi nuper vobiscum inito conſentaneum: quod & Nos eorum nomine a Majeſtate Veſtra peramice petimus.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterii die — Julii 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCXXVIII.

Literæ recredentiales ab OLIVERIO, *Reipublicæ Anglicanæ Protectore, Domino Chriſtierno Bondo, Legato Suecico, ad* CAROLUM GUSTAVUM, *Suecia Regem, redditæ, 1656.*

Olive-

Digitized by Google

Oliverius Protector Reipubl. Angliæ &c. Serenisſimo Principi Carolo Guſtavo, Sueco-rum, Gothorum, Vandalorumque Regi &c.

Sereniſſime Rex.

CUm amicitiam Majeſtatis Veſtræ tanti Principis, rebusque geſtis tam clari, merito plurimi faciamus, tum is, cujus opera fœdus inter Nos arctisſimum ſancitum eſt, Illuſtrisſimus Dominus Chriſtiernus Bondus, Legatus Veſter extraordinarius neceſſe eſt, gratus Nobis & commendabilis hoc nomine imprimis fuerit. Hunc itaque hac legatione laudatisſime perfunctum non ſine ſumma cæterarum etiam virtutum egregiarum laude ad Vos dimittendum cenſuimus: ut qui antea in pretio atque honore apud vos fuit, nunc uberiores aſſiduitatis atque prudentiæ ſuæ fructus ex hac Noſtra commendatione percepiſſe ſe ſentiat. Quæ reliqua tranſigenda ſunt, de iis Legationem brevi mittendam ad Majeſtatem Veſtram decrevimus: quam interim Deus incolumem defendendæ Eccleſiæ ſuæ reique Sueciæ columen conſervet.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterii, die — Julii Anno Domini 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCXXIX.

CCXXIX.

Litera JOHANNIS CASIMIRI, Regis Poloniarum, ad CIVITATEM GEDANENSEM, cui Verſaviam hoſti armata manu ereptam, ſeque proxime ejus liberandæ cauſa in Boruſſiam cum exercitu moturum nuntiat, 1656.

Johannes Caſimirus Dei gratia Rex Poloniæ &c.

Spectabiles & Fama rerum clari, Fideles, nobis Dilecti.

AUſpicato ſane conſilio ad Urbem Warſavienſem ſubſtiteramus, cum jam ea heſterno die recepta, Veſtræ liberandæ incumbere liceat. Atque ſola hujus ſucceſſus fama hoſtis avocati ab urbis infeſtatione poſſet: ſed & Nos, mox moturi Pruſſiam verſus, ad ſui defenſionem eum revocaturi ſumus. Nec de viribus ejus, quas magnifice extollunt, quicquam credimus; ubi urbem tanti momenti, iisque quas mittimus, conditionibus dedi permiſit, admoto quidem in viciniam exercitu, ſed nec prælium, hec cætera, quæ ſolvendæ interturbandæque obſidioni erant, auſo, adeo ut ſpectatum hæ copiæ veniſſe videantur, quam inſtabile ſit, quicquid in furia obtinetur. Nec plus virium illis contra Veſt. Fidelitates erit, cum non ſit plus juris: brevique cum exercitu affuturi monſtrabimus, quantum ſimus de Fidelitatum Veſtr. ſecuritate ſolliciti, & quam grato animo promti, conſtantiam, integramque Fidelitatum Veſt. fidem in præſens compenſare, recolere in perpetuum. Bonam interim Valetudinem a Deo Fidelitatibus Veſt.

ex animo precamur. Datum Warſaviæ, 12. Julii 1656. Regnorum Noſtrorum, Poloniæ octavo, Sueciæ vero nono.

CCXXX.

Literæ REGNI DANIAE SENATORUM, ad REGNI SUECIAE SENATORES, quibus eos amice monent, ut Regi ſuo, obſidionem, qua Gedanum cingere conaretur, diſſuaderent, 1656.

Prævia benevola noſtra ſalute, & quicquid præterea grati & boni præſtare poſſumus!

Illuſtres admodum, & Nobiliſſimi Sveciæ Regni Senatores, boni Domini vicini, & ſingulares Amici.

CAuſæ, ob quas diutius intermittere non potuimus, quin Vobis bonis Dominis, benevolentibus hisce literis negotium faceſſeremus, ſunt magnæ inconvenientiæ, quas ſanguinolentum & ingens bellum hoc inter Regiam Suam Majeſtatem Suedicam & Majeſtatem Polonicam excitat; Dum non ſolum Provinciæ ad Regnum Poloniæ pertinentes bello ejusque incommoditatibus infeſtantur, verum etiam Orientalis Oceanus & quæ in eo vigent mercaturæ, & in quem majus Regiæ Noſtræ, quam Majeſtati Suæ Polonicæ, jus competit, ob id impedimenta & pericula ſuſtinere debent. Exiſtimaveramus quidem fore, ut quemadmodum Regia Sua Majeſtas Suedica, ante quam e Suedia proficiſceretur, Regiæ Suæ Majeſtati, Domino noſtro clementiſſimo amice ſignificandum curaverat, arma ejus contra neminem, niſi Poloniam eſſe directa,

Digitized by Google

cta, cum omnibus aliis vicinis ejus amicitiam & familiaritatem interim ſe conſervaturam. Bellum id autem, ab eo, quo incepit, tempore, ut accenſus lateq; ſerpens ignis, mala ſua non ſolum in Poloniam, aut Orientalis Oceani accolas, effudit, verum etiam in alios longe diſitos, qui adhuc liberi & tuti eſſe nequeunt. Anno præterito publico in Oceano vectigal ſumebatur, & ſine diſcrimine ii, qui in eo velificabantur, iſtic locorum tributarii fiebant, eo quod vis plus quam jus valeret. Id quidem diu non duravit, periculoſum tamen eſt, tali fortunæ ſe credere & ſubjectum eſſe: Hoc anno bellum contra Gedanenſes utrobique & hic, & apud Dominos Status Generales ſignificatum eſt cum Denunciatione, mercaturas & negotiationes cum iisdem non poſſe tolerari. Aliquantiſper bona ſpe freti eramus, tractatus illos, quos Regia Majeſtas Suedica, per ſuum hic Reſidentem anno præterito, pro majori conjunctione & confidentia incipi curaverat, & diverſis colloquiis non leves progreſſus fecerant, adeo felices futuros fuiſſe, ut omnibus incommoditatibus, quas exulcerata hæc tempora ſecum vehunt, obſiſtere potuiſſent. Cum vero, qui huc venerant, Dominorum Statuum Generalium Extraordinarii Legati flagitarent, ad hosce Tractatus ut admitterentur, & Regiæ Majeſt. Suedicæ conſenſus, ut æquum eſt, peteretur, & requireretur ad hoc, nempe pro iis, qui utrique Coronæ Confœderati eſſent, admittendis. Res, proh dolor! protractionibus & ambagibus eo redacta eſt, ut interea magnæ inconvenientiæ & mutationes inciderint. Domini Status Generales

magnum multorum ſumptuum decreverunt bellum, ingentem navium claſſem in Regiæ Suæ Majeſt. fluvios miſerunt, & pro tutanda mercatura ſua tranſitum in Oceanum Orientalem flagitaverunt; Fuit id quidem Regiæ Suæ Maj. admodum ingratum, talem nempe exteram manum in Oceanum Orientalem adducendam eſſe: unde Regia Sua Majeſtas Dominus Noſter Clementisſimus, merito hujus non eſt accuſanda, neque culpa illius conjicienda in eam, verum in inſuetos illos agendi modos, in vectigalibus marinis imponendis, prohibendaque mercatura cum Gedanenſibus. Quæ a Regia Sua Majeſtate extorſerunt, ut ſtatueret, iis ſe non opponere, qui putabant, juſtam ſibi eſſe cauſam mercaturæ liberum curſum tuendi. Cum igitur maxima pars Mercaturæ in Libertate, qua Civitas Gedanenſis fruita eſt dudum, conſiſtat, ideoque Regia Sua Maj. tanto magis ſe teneri animadvertat curæ ſibi habendam urbis hujus conſervationem, cum ea in pacto Bromſebroico, pro mercaturæ ſuæ Libertate expreſſe incluſa ſit, & Regiæ Suæ Majeſt. ſubditorumque ejus ſumma utilitas in hoc verſetur, ut ea civitas in priſtina ſua libertate conſervetur, mercatura non turbetur, nec gravetur: Hinc neceſſarium maxime duximus, Vos bonos Dominos, quam poſſumus, amicisſime & diligentisſime admonere, ut Regiæ Majeſtati, Clementisſimo Regi Veſtro ac Domino, id perſuadeatis, ne Civitatem Gedanenſem ulterius infeſtet, verum eandem antiqua ſua libertate gaudere ſinat, ut & mercaturam eo in ſtatu relinquat, ne mercaturam faciens juſtam de eo conquerendi anſam habe-

habeat. Prudentiæ Veſtræ id committimus perpendendum, qua cenſura a poſteris noſtris notandi ſimus, ſi Regiæ ſuæ Majeſtati Clementiſſimo Domino Noſtro ſuaderemus, ut tacite ſinat opprimi urbem hanc, quæ libertatem ſuam pactis terra marique ſecuram reddidit, quam Regiæ Suæ Majeſt. Majores ſemper ſtuduerunt cum honore conſervare, a qua tanta mercatura dependet, & Regiæ Suæ Majeſtatis ſubditis tantum emolumenti ac lucri quotidie accedit. Uti ergo non dubitamus, vos bonos Dominos ad omnia, per quæ confidentia, pacta, amicitia, & vicinitas conſervari queant, inclinatos; Sic petimus a vobis bonis Dominis, eam & de Nobis opinionem ut habeatis, nihil Nobis gratius fore, niſi, quod malæ intelligentiæ vitium gignere, aliaque perplexa, & ad rem non pertinentia in animis generare poſſit, ut id amoveatur, vera autem & integra amicitia, bona vicinitas & quies conſervetur. Dab. Hafniæ, 15. Julii, 1656.

Subſcriptæ fuerunt a præſentibus Regni Daniæ Senatoribus.

CCXXXI.

Reſponſoria SENATORUM REGNI SUECIÆ, *ad præinſertas* SENATORUM REGNI DANIÆ *literas, 1656.*

PRævia benevola ſalute noſtra, & ſi quid præterea grati ac boni poſſumus, Illuſtriſſimi, Nobiliſſimi Daniæ Regni Senatores, boni Domini vicini, & ſingulares Amici. Veſtras a Vobis bo-

nis Dominis transmissas benevolas literas Hafniæ 15. elapsi mensis datas accepimus, in quibus Vos boni Domini putatis, exortum inter Regiam Suam Majestatem, Clementissimum Dominum ac Regem Nostrum, Regemque Poloniæ bellum magnas inconvenientias & incommoda Orientali mari & mercaturæ allaturum, imprimis mercaturæ cum Gedanensibus, eo quod civitas illa infestetur, eaque de causa Regiam Suam Majestatem Daniæ juxta Vestras boni Domini literas, coactam fuisse, ad concedendum transitum, in Orientalem Oceanum, instructæ Dominorum Statuum Generalium Classi navali. Et admonetis nos amice, Vos boni Domini, ut Regiæ Suæ Majestati, Domino Nostro Clementissimo, id persuadeamus, ne civitatem ulterius infestet, verum eandem in antiqua sua libertate, & mercaturam in statu suo, absque ulla molestia, permanere sinat; aliaque plura, quæ in Vestris, boni Domini, literis ad longum memorantur. Cum ergo hæc magni momenti negotia sint, & primum Regiæ Suæ Majestati, Domino Nostro & Regi Clementissimo, a Nobis cum submissione proponenda sint, antequam ad ea copiosius respondere valeamus: Adhæc cum multi Regni Senatores, Collegæ Nostri, partim apud Regiam Suam Majestatem, partim aliis, longe disitis in locis, hinc disjuncti sint; Nos quoque ita accurate scire nequeamus, quid in bellicis hisce tumultibus in Polonia semper contingat, aut mutetur: Hinc Regiæ S. Majestati Regi Nostro Clementissimo, quoad Nostras personas, quæ hic præsentes sumus, commodissime contenta Literarum

rum Veſtrarum transſcribemus, non dubitantes fore, ut Regia Sua Majeſtas ad illa reſpondeat, & ordinet id, quod maximæ & ſingulari Amicitiæ utriusque Regiæ Majeſtatis & horum Regnorum pactis & Recesſibus conſentaneum eſt ac conveniens. Veſtrum interim, boni Domini, a Vobis ad Nos miſſum nuntium remiſimus, ea benevolentiſſima amicitia freti, ut, quemadmodum vos, partim in ſiteris, partim per ipſum oretenus & honorifice benevolentiam Veſtram & affectionem, omnem confidentiam & amicitiam Vos conſervaturos, conteſtati eſtis: Ita quoque Vobis, boni Domini, hoc de nobis promittatis, Nos ex parte Noſtra non intermiſſuros, quo conſtans amicitia, concordia & bona confidentia inter alte memoratas Regias Majeſtates & Septentrionalia hæc Regna confirmetur & conſervetur, ſemperque id exhibeatur, quod Vobis bonis Dominis omnibus placere & honori eſſe poteſt: Vos bonos Dominos tutelæ divinæ commendantes. Datæ Holmiæ 1. Auguſti, 1656.

Petrus Bralie, Comes in Wiſſingsbourg.
Thuro Sparre.
Seved Booth.
Hermannus Flemming.
Guſtavus Bannier.
Guſtavus Bonde.
Arfuidus Forbus.
Gabriel Oxenſtirn.
Kanutus Poſſe.
Ericus Guldenſtern.
Achatius Hanſonius.
Olaus Sparre.
Carolus Morner.
Georgius Payckul.
Axelius Sparre.

CCXXXII.

Literæ OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* LUDOVICUM XIV. *Galliæ Regem, quibus ab eo, ut mercatoribus quibusdam Londinensibus damna per navem ab Ægidii de la Roche navibus in conspectu Palmæ Insulæ prædatorium in modum occupatam illata, a dicto de la Roche resarciri illumque audacia & perfidiæ suæ debitas dare pœnas jubeat, obnixe contendit, 1656.*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c. Sereniſſimo Principi Ludovico Galliæ Regi S. D.

Sereniſſime Rex, Amice ac Fœderate Charisſime.

DEtulerunt ad Nos per libellum ſupplicem mercatores quidam Londinenſes Richardus Backer ejusque ſocii, navem quandam Anglicanam ab ſe conductam, cui nomen vernaculum The Endeavour, Magiſter Guilielmus Joppus, trecentis atque tredecim vini optimi culeis ex Tenariffa Inſula Londinum advehendis onuſtam, dum inter Palmam & ſupra dictam Inſulam curſum teneret, a quatuor navibus Gallicis, in ſpeciem quidem onerariis, ſed prædatorium in modum armatis, quibus Ægidius de la Roche navarchus erat, primo ac vigeſimo Novembris die Anno Domini 1655. occupatam fuiſſe, atque in orientalem Indiam, quo is iter ſibi eſſe prædicabat, cum omni onere ac plerisque nautarum abductam, reliquis quatuor

Digitized by Google

tuordecim ad Guineam Nigritarum in littus quoddam expoſitis. Quod eo conſilio Ægidius feciſſe ſe dictabat, ne quis eorum ex terra tam longinqua & inhumana forte elapſus teſtimonio læderet. Fatebatur enim, ſe neque mandatis inſtructum, ut Anglorum naves caperet, neque alias, quas poterat, antea cepiſſe, ut propterea, inter Gallos Noſtramque Rempublicam per eos ipſos dies conveniſſe pacem, non ignoraret: Sed cum in Portugallia conſtitutum ſibi eſſet commeatus accipere, & ab adverſis ventis rejectus attingere ea loca non potuiſſet, coactum ſe ad ſupplendum, quæ opus ſibi eſſent, iis uti, quæ in iſta nave reperiſſet; credere ſe proinde, illarum navium Dominos de damno ſatisfacturos. Damnum autem conſtat ſupra ſedecim mille Libras Anglicanas, id quod ex juratis teſtibus facile apparebit, mercatoribus Noſtris datum. Verum ſi tam levibus de cauſis temerare acta Principum religioſisſima & quaſi ludibrio habere negotiatoribus quibusvis ob ſua commoda licuerit, concidet profecto omnis poſthac fœderum ſanctitas, omnis Principum fides atque autoritas obſoleſcet, proque nihilo habebitur. Quapropter non rogamus tantum, ſed Majeſtatis Veſtræ quam maxime intereſſe arbitramur, ut qui Regis ſui fœdus jusque jurandum ſanctisſimum primi omnium tam facile violare ſunt auſi, quam primum dent pœnas tantæ perfidiæ atque audaciæ debitas, utque illarum interea navium Domini de damno, etiam ipſo ſuorum præjudicio, mercatoribus Noſtris ſummam per injuriam illato, ſatisfaciant.

Digitized by Google

Deus Majeſtatem Veſtram diutiſſime conſervet, remque Gallicam contra communem utriusque hoſtem tueatur atque ſuſtineat.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro
Weſtmonaſterii die —
Auguſti Anno Domini
1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ.

CCXXXIII.

Literæ ejusdem cum proxime præcedentibus argumenti, ab OLIVERIO, Anglicanæ Reipublicæ Protectore, ad JULIUM MAZARINUM, Cardinalem, & Regiminis Gallici Moderatorem exaratæ, 1656.

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ, Eminentiſſimo Domino CARDINALI MAZARINO.

Eminentiſſime Domine.

CUm dandæ mihi literæ ad Regem eſſent, eandem quoque ad Eminentiam Veſtram ſcribendi occaſionem arbitrabar mihi oblatam: cujus enim unius viri prudentia ſingularis Gallorum res maximas, ſummaque Regni negotia pari fide, conſilio ac vigilantia moderatur, eum celari, qua de re ſcriberem, non convenire exiſtimabam. Fœdus

dus enim a Vobis, quod dubitare nefas eſſet, ſanctiſſime percuſſum, eodem pene die ſpretum ac violatum a Gallo quodam Ægidio quatuor navium præfecto ejusque Sociis nequaquam inſcientibus, querimur: quemadmodum & ex literis Noſtris ad Regem datis, & ex ipſis mercatorum noſtrorum poſtulatis facile poterit cognoſcere Eminentia Veſtra, quam præter cæteros non fugit, quanti non magiſtratuum duntaxat, verum etiam ipſius Regiæ Majeſtatis interſit violatores fœderum primos eo ſeverius puniri. Verum illi fortaſſe, quo tendebant, in Orientalem Indiam jam nunc appulſi, noſtrorum bona contra jus omne atque fidem in recentiſſimo fœdere erepta, veluti prædam ab hoſtibus captam ſibi habent. Illud eſt interea quod Eminentiam Veſtram rogamus, ut quæ ab navium præfecto, tanquam itineri ſuo neceſſaria, noſtris ablata ſunt, ea ab illarum navium Dominis, id quod ipſi prædatores æquum eſſe cenſebant, reſtituantur: qua in re Veſtram Eminentiam, qua valet autoritate, plurimum poſſe intelligimus.

Eminentiæ Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterii, die — Auguſti
Anno Domini 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCXXXIV.

Digitized by Google

CCXXXIV.

Litera OLIVERII CROMVELLII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, *quibus eos, ut gliſcentes inter ſe & Regem Sueciæ animorum motus non augere, ſed pro conſueto ſibi Religionis orthodoxæ & veræ pietatis amore removere potius, ſolidæque ac unquam non interrumpendæ amicitiæ operam dare ſtudeant, gnaviter hortatur, 1656.*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c. Excelſis & Præpotentibus Fœderati Belgii Ordinibus, S. D.

Excelſi & Præpotentes Domini, Amici & Fœderati Chariſſimi.

NOn dubitamus nos quidem, quin omnes teſtimonium hoc nobis perhibituri ſint, nullas in contrahendis externis amicitiis rationes defendendæ religionis veritate potiores unquam nobis fuiſſe, nec conjungendis eorum armis, qui Proteſtantium vel amici ac defenſores, vel ſaltem non hoſtes eſſent, antiquius nos quidquam habuiſſe. Quo graviore animi dolore commovemur, quoties annunciatum eſt, Proteſtantium Principes ac Civitates, quæ ſibi mutuo amiciſſimæ, ſummeque concordes eſſe deberent, ſuſpectas inter ſe eſſe, & non optime animatas. Vos præſertim Regemque Sueciæ, quibus fortiores orthodoxa fides defenſores non habet, neque ſocios noſtra Respubli-

ca

ca conjunctiores, videri non æque ac consueviſtis, vobis invicem confidere, imo indicia quædam vel naſcentis inter vos diſſidii vel vacillantis amicitiæ, haud obſcura apparere. Cauſæ, quæ fuerunt utrinque, & usquequo progreſſa animorum alienatio ſit, ignotum eſſe nobis profitemur. Veruntamen haud potuimus, quin gravi hanc moleſtiam animo caperemus ex ipſis initiis vel minimæ diſſenſionis inter fratres coortæ, ex qua tantum creari Proteſtantium rebus diſcrimen neceſſe ſit, quæque ſi ingraveſceret, (quod Deus ne ſiverit) quantum indè Reformatis Eccleſiis periculum impenderet; quanta triumphandi materies inimicis noſtris & Hiſpanis potiſſimum daretur, latere Veſtram prudentiam uſu rerum ſolertiſſimam, non poteſt. Hiſpano certe tantum hinc fiduciæ, tantum ſpiritus accesſit, ut non dubitaverit per Legatum Suum apud Vos commorantem, ſua Vobis conſilia, idque de ſumma Reipublicæ Veſtræ, audaciſſimo obtrudere, & partim injecto renovandi belli metu terrere, partim oſtentata utilitatis falſa ſpecie ſollicitare veſtros animos eſt auſus, ut relictis, ejus hortatu, amicis vetuſtis ac fidelisſimis, Gallo, Anglo ac Sueco arctisſimam cum hoſte ac Tyranno quondam veſtro, pacato nunc ſcilicet, & quod maxime metuendum eſt, blandiente coire ſocietatem velletis. Sane qui ex hoſte inveteratisſimo, arrepta tam levi occaſione, pro Conſiliario repente veſtro ſe gerit, quid eſt, quod iſte ſibi non ſumeret, quo non audaciæ progrederetur, ſi cernere id ſemel oculis poſſet, quod nunc animo duntaxat

taxat concipit atque molitur, diſcordiam nempe inter Proteſtantes, ac bellum inteſtinum? Neſcii non ſumus, Vos pro Veſtra Sapientia, qui ſit Europæ univerſæ ſtatus, quæ Proteſtantium præſertim conditio, ſæpius tum animis veſtris cogitare; Helvetiorum pagos orthodoxam fidem ſequentes, novorum motuum a popularibus ſuis, fidem Papæ ſequentibus, jamjamque ciendorum expectatione ſuſpenſos teneri: ex eo vix tum bello emerſos, quod religionis plane cauſa ab Hiſpano, qui hoſtibus eorum & Duces dederat, & pecuniam ſuppeditaverat, conflatum eſt atque accenſum: Vallium Alpinarum incolis conſilia Hiſpanorum eandem rurſus machinari cædem atque perniciem, quam ſuperiori anno crudeliſſime intulerunt: Proteſtantes Germanos ſub ditione Cæſaris graviſſime vexari, ſedesque patrias ægre retinere: Regem Sueciæ, quem Deus, uti ſperamus, fortiſſimum orthodoxæ Religionis propugnatorem excitavit, cum potentiſſimis Reformatæ fidei hoſtibus bellum anceps, & aſperrimum totis regni viribus gerere: Veſtris Provinciis infeſta vicinorum Papiſtarum, quorum Princeps Hiſpanus eſt, nuper icta fœdera minitari: Nos denique indicto Hiſpanorum Regi bello eſſe occupatos. In hac rerum inclinatione, ſi quæ inter Vos, Regemque Sueciæ diſcordia exiſteret, Reformatarum totius Europæ Eccleſiarum quam miſeranda conditio eſſet, quæ hoſtium crudelitati ac furori penitus objicerentur. Hæc nos cura haud leviter tangit, eundemque Veſtrum eſſe ſenſum confidimus, proque

que Veſtro in communi Proteſtantium cauſa, præclaro ſemper ſtudio, ut pax inter fratres eandem fidem, eandem ſpem ſequentes, intemerata ſervetur; Vos Veſtra conſilia ad has rationes eſſe accommodaturos, quæ cæteris quibuscunque anteponendæ ſunt, nec quod paci inter Vos Regemque Sueciæ ſtabiliendæ posſit conducere, quicquam eſſe omiſſuros. Qua in re, ſi nos uſui ulli eſſe poſſumus, quantum apud utrosque vel autoritate vel gratia valemus, noſtram Vobis operam libentiſſime profitemur: Sueciæ quoque Regi eandem deferre paratiſſimi, ad quem etiam legationem quamprimum mittere in animo habemus, quæ hac de re, quid noſtra ſententia ſit, exponat: Deumque veſtros animos ad moderata conſilia flexurum eſſe ſperamus, Vosque cohibiturum, ne quid ab alterutra parte fiat, quod irritare posſit, remque ad extrema deducere: Sed ut contra pars utraque removere velit, quicquid alterutri offenſum aut ſuſpicioſum eſſe queat. Id ſi feceritis, & hoſtes fruſtrabimini & amicis ſolatio eritis, & Veſtræ denique ſaluti Reique Publicæ quam optime proſpicietis. Hoc etiam uti perſuaſiſſimum Vobis ſit rogamus, daturos nos eſſe operam, quoties facultas oblata fuerit, uti noſtrum erga fœderatas Belgii Provincias ſummum ſtudium, benevolentiaque appareat. Deum proinde aſſiduis precibus obteſtamur, ut Veſtram Rempublicam pace, opibus, libertate, atque imprimis Chriſtiano fidei amore ac vero cultu florentiſſimam conſer-

Digitized by Google

ſervare perpetuo velit. Ex Palatio noſtro Weſtmonaſterii, d. 21. Auguſti, 1656.

Veſtrarum Celſitudinum
potentium

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCXXXV.

Reſponſoria GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM, ad præinſertas OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Anglicanæ Literas, 1656.

Sereniſſime.

NIhil Nobis Celſitudinis Veſtræ literis, datis Weſtmonaſterii viceſimo primo Auguſti proxime præteriti, hodie Nobis redditis, gratius accidit, quippe cum ex iis magis magisque confirmemur (uti manifeſtis indiciis ac teſtimoniis antehac edocti ſumus) Celſitudinem Veſtram in laudabili iſto & vere Chriſtiano propoſito perſeverare ac ſedulò operam dare, ut vera & ſine ullo fuco pax inter Principes ac Civitates, quæ orthodoxam fidem ſequuntur, colatur, ideoque Eam non parum commoveri, quoties admoneatur, eosdem Principes ac Civitates non optime inter ſe animatos eſſe, præcipue ubi inaudierit, quædam vel naſcentis diſſidii vel vacillantis amicitiæ non obſcura indicia inter Regem Sueciæ & nos apparere; quæ

cum

cum certo nobis persuadeamus, si revera ita se haberent, non parvam molestiam Celsitudini Vestræ, propenso & proclivi in omnes Protestantes & peculiariter in Serenissimum Regem Sueciæ & nos animo creatura fuisse, quippe qui inter Regem & Rempublicam sibi conjunctissimos dissidia cerneret, non potuimus non Celsitudini Vestræ pro tam propenso in nos amore, & tam pia ac fraterna pro utriusque salutis cura & sollicitudine gratias agere eademque opera ipsi indicare, tantum abesse, quod nos quidem sciamus, ut dissidia inter Regem Sueciæ & nos metuenda sint, ut etiam Legatos nostros extra ordinem ad eundem Regem missos, jam fœdus cum illo feciſſe, formulasque fœderis, una cum Regiis ministris subscripsisse confidamus; cujus fœderis exemplum, statim a receptatione ad Legatum nostrum Neopostium missuri sumus, ut ejus Copiam Celsitudini Vestræ faciat, eademque opera secundum pacta conventa deliberare possit, num illo comprehendi cupiat. Itaque etiam isthoc nomine Celsitudini Vestræ gratias agimus, quod tam præclaro studio, mediationem suam componendis, si quæ essent, inter Regem Sueciæ & Nos dissidiis, offerre voluerit. Quod superest, Serenissime, Deum Opt. Max. precamur, ut Celsitudinem Vestram diu communi Reipublicæ Christianæ & Orthodoxæ fidei bono servet incolumem. Hagæ 22. Sept. 1656.

CCXXXVI.

Literæ OLIVERII CROMVELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM GU-

STAVUM, Svecorum Regem, quibus eum, ut ad confirmandam priſtinam cum fœderati Belgii Ordinibus amicitiam propenſum atque benignum animum afferre velit, ſedulo hortatur, eique ſtudia ſua, ſi qua in re uſui eſſe poſſint, defert, 1656.

Oliverius Protector Reipubl. Angliæ &c.

Serenisſimo Principi, Carolo Guſtavo, Sueco-rum, Gothorum, Vandalorumque Regi &c.

Serenisſime Rex, Amice ac fœderate charisſime.

CUm eundem Nobiscum animum, idem conſilium in Majeſtate Veſtra ineſſe animadvertam, Proteſtantium fidei defendendæ contra hoſtes ejus, hoc tempore, ſi unquam alias, infeſtisſimos, unde eſt, quod tam proſperis ſucceſsibus Veſtris victoriarumque nuntiis pene quotidie lætemur, tum illud ſane vehementer doleo, quod unum lætitiam hanc noſtram turbat atque corrumpit, perferri ad Nos inter læta cætera, Veſtram cum fœderatis Belgii Provinciis amicitiam priſtinam non ſatis conſtare, remque eo deductam inter Vos, in mari, præſertim Baltico, ut ad diſcordiam ſpectare videatur. Cujus cauſas quidem ignorare me fateor; eventum certe (niſi Deus avertat) Proteſtantium ſummæ rei periculoſisſimum fore facile perſpicio. Quapropter pro illa arctiſſima neceſſitudine, quæ cum utrisque Veſtrum Nobis intercedit, proque eo quo duci omnes imprimis debemus, Religionis Reformatæ ſtudio atque amore Noſtrum eſſe cenſuimus, quemadmodum fœderatos Belgii Ordi-

Digitized by Google

Ordines ad pacem & æquanimitatem magnopere hortati ſumus, ita nunc Majeſtatem Veſtram hortari. Satis ſuperque hoſtium Proteſtantibus ubique eſt: nunquam acrioribus odiis inflammati conſpiraſſe in exitium Noſtrum undique videntur. Teſtes Alpinæ valles haud ita pridem miſerorum cæde ac ſanguine redundantes; teſtis Auſtria, edictis nuper & proſcriptionibus Cæſareis concuſſa; teſtis Helvetia; quid enim attinet pluribus verbis tot calamitatum recentium memoriam luctumque revocare? Hæc omnia loca quis neſcit Hiſpanorum & Romani Pontificis conſilia incendiis, cladibus, vexationibus orthodoxorum per hoc biennium miſcuiſſe? Si adhæc tot mala Proteſtantium fratrum inter ſe diſſenſio acceſſerit, inter Vos præſertim, quorum in virtute, opibus conſtantia præſidium Eccleſiis Reformatis conſtitutum eſt maximum, quantum humanæ opis eſt, periclitari Religionem ipſam Reformatam, atque in ſummo diſcrimine verſari neceſſe erit. Quod contra, ſi univerſum Proteſtantium nomen ea, qua decet, inter ſe fraterna conſenſione perpetuam pacem coluerit, nihil omnino erit, quod pertimeſcamus, quid hoſtium vel artes, vel vires incommodare Nobis poſſint; quos ſola Noſtra concordia vel propulſabit vel fruſtrabitur. Quapropter Majeſtatem Veſtram majorem in modum oro atque obſecro, ut ad confirmandam cum fœderatis Provinciis amicitiam priſtinam, ſi qua in parte collapſa eſt aut imminuta, propenſum atque benignum animum afferre velit. Si quid eſt, in quo mea opera, fides, diligentia ad compoſitionem uſui eſſe poſſit, eam

Digitized by Google

omnem Vobis profiteor atque defero: Deus modo aſpiret fauſtumque eſſe jubeat, quod cum ſumma felicitate curſuque perpetuo rerum proſperarum Majeſtati Veſtræ exopto.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterii, die — Aug. 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector
Reipubl. Angliæ.

CCXXXVII.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad JOHANNEM IV. Luſitaniæ Regem, quibus gaudium de pace firmiſſima inter utramque gentem ſancita conceptum teſtatur, ac ea, quæ corrigenda reſtarent, peculiari transactione quantocyus emendatum iri promittit, 1656.

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c. Sereniſſimo Principi Joanni Luſitaniæ Regi, S. D.

Sereniſſime Rex.

Die undecimo Julii proximi, ſtylo veteri, ſanctionem pacis a Majeſtate Veſtra jam ratæ, a Legato veſtro extraordinario Londini transactæ, nec non arcanorum & præliminarium articulorum per Thomam Maynardum accepimus: perque Literas a Philippo Meadow noſtro Olyſſippi Internuncio eodem tempore datas, noſtram etiam dictæ

pacis

pacis & articulorum ſanctionem, pro iis mandatis, quæ a nobis ea de re acceperat, Majeſtati Veſtræ ab ipſo redditam intelligimus: cum ſupradicta ſanctionis inſtrumenta ineunte Junio proximo vicissim data acceptaque fuiſſent adeo ut nunc inter utramque gentem pax firmiſſima ſancita ſit. Qua ex pace nos quidem voluptatem haud mediocrem percepimus; propterea quod eam & communi utriusque gentis utilitati fore arbitramur, hoſtiumque communium haud levi detrimento, qui ut prioris fœderis turbandi rationem aliquam primo invenerunt, ita nunc, ne idem inſtaurari fœdus poſſet, intentatum nihil reliquerunt. Neque dubium Nobis eſt, quin ſuſpicionum utrinque offenſionumque inter Nos materiam creandi occaſionem nullam prætermiſſuri ſint. Quas Nos quidem, quantum in Nobis eſt, quam longiſſime amovere animo Noſtro ita conſtanter decrevimus, imo ut majorem indies mutuam fiduciam hæc noſtra pariat neceſſitudo, tam vehementer cupimus, ut eos pro hoſtibus habituri ſimus, qui ullis artibus amicitiam Noſtram imminuere conabuntur inter Nos Noſtrosque populos hac pace ſtabilitam; eundemque eſſe Majeſtatis Veſtræ animum ac voluntatem facile Nobis perſuademus: Cumque placuerit Majeſtati Veſtræ ſuis in literis ad Nos quarto & vigeſimo Junii, ſtylo novo, datis & diebus aliquot poſt inſtrumentum confirmatæ pacis datum atque acceptum Noſtro internuntio traditis, clauſularum quarundam hujus fœderis mentionem facere, quas aliquantum immutatas velit, ut quæ huic Reipu-

Digitized by Google

blicæ, quemadmodum Majeſtas Veſtra cenſet, levis admodum ſint momenti, Portugalliæ Regno maximi, peculiari tractatione agere iis de rebus, quæ a Majeſtate Veſtra proponuntur, & ſi quid præterea fœderi ſtabiliendo vel etiam arctius obſtringendo conducere alterutri parti videbitur, parati erimus: in qua Majeſtatis Veſtræ, ſuique populi haud ſecus atque Noſtri, ut utrisque æque ſatisfiat, rationem habebimus: atque hæc omnia Olyſſippi an Londini agitanda ac tranſigenda ſint, Veſtra optio erit. Verum hoc fœdere jam rato ſignisque gentis utriusque rite obſignato, dato denique vicisſim atque accepto, immutare partem ejus ullam idem eſſet atque totum reſcindere; quod Majeſtatem Veſtram minime velle pro certo habemus. Majeſtati Veſtræ fauſta omnia ac proſpera exoptamus.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterii, die — Aug. 1656.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCXXXVIII.

Litera OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* JOHANNEM IV. *Luſitaniæ Regem, quem ut ab autoribus ſociisque cædis, Philippo Meadowes, Internuntio in Aula Luſitanica Anglicano, intentatæ, ſupplicium ſcelere iſto dignum repeti jubeat, impenſe rogat, 1656.*

Olive-

Digitized by

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c. Serenisſimo Principi Joanni, Luſitaniæ Regi, S. D.

Sereniſſime Princeps.

PErlatum ad Nos eſt facinus illud inhumanum ac nefarium, quo cædes Philippi Meadowes Internuncii apud Vos Noſtri, tranſigendæ pacis cauſa a Nobis miſſi, attentata eſt: cujus atrocitas tanta fuit, ut Divino plane Numini atque tutelæ ejus conſervatio attribuenda ſit. Nosque ex literis Majeſtatis Veſtræ ſexto & vigeſimo Maji proximi ad nos datis, perque Thomam Maynardum Nobis redditis, permotam facti indignitate Majeſtatem Veſtram, de autoribus juſſiſſe quæri intelligimus, ut ſupplicium de iis, pro eo, ac meriti ſunt, ſumatur. Verum comprehenſos eſſe ullos ex iis, aut juſſa Veſtra hac in parte quicquam effeciſſe, nondum accepimus. Quapropter Noſtrum eſſe duximus palam ſignificare, tentatum illud facinus barbarum, & partim commiſſum, quam indigne feramus; atque adeo a Majeſtate Veſtra poſtulamus, ut ab illius facinoris autoribus, ſociis, adminiſtris ſupplicium debitum repetatur: Et quo hoc maturius fiat, ut honeſtiſſimi integerrimique viri quique gentis utriusque paci quam maxime ſtudent, huic quæſtioni præficiantur, quo res penitus inveſtigari, tamque in autores ſceleris, quam in miniſtros ſeverius animadverti poſſit. Id niſi fiat, neque Majeſtatis Veſtræ juſtitia, neque Noſtra hujusque Reipublicæ exiſtimatio vindicari, neque conſervandæ inter utramque gentem amici-

Digitized by Google

tiæ ulla ratio firma esse poterit. Majestati Vestræ felicia faustaque omnia precamur.

Majestatis Vestræ

Ex Palatio Nostro Westmonasterii die — Augusti. 1656.

Studiosissimus

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCXXXIX.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad ORDINES HOLLANDIÆ, quibus eos, ut Guilielmo Coopero, pactum socero suo, ob parvi sigilli inventum, industriæ præmium annua pensione solvendum curarent, blande compellat, 1656.

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

ORDINIBUS HOLLANDIÆ.

Excelsi & præpotentes Domini, Amici charissimi.

DEmonstratum est Nobis a Guilielmo Coopero Pastore Londinensi, Civeque Nostro, Joannem le Maire Amsterodamensem, socerum suum, ante annos circiter triginta tres rationem quandam excogitasse, qua Reipublicæ Vestræ reditus, sine ullo populi onere, multo auctiores fierent, factaque cum Joanne van den Brook societate

tate partiendi inter ſe præmii, quod ex illo inventō ſuo reportaſſent, id autem erat parvi ſigilli in Provinciis conſtitutio, ob hoc Celſitudines Veſtras præpotentes ſupradicto van der Brook ejusque poſteris tria millia Geldricorum (quæ trecentas libras valent) in ſingulos annos penſitanda ſpoſpondiſſe: jam vero, etſi inventa illa parvi ſigilli ratio facilis admodum & expedita reperta eſt, magnisque ex eo tempore reditus Celſitudinibus præpotentibus Veſtris, nonnullisque Veſtris Provinciis retulit, tamen ad hodiernam usque diem, quamvis multa ſollicitatione petitum, illius pacti præmii nihil dum adnumeratum eſſe: unde poſtquam ſupra dictis van den Brook & le Maire longarum dilationum pertæſum eſt, actionem illam in ſupra dictum Guilielmum Cooperum civem noſtrum jure eſſe translatam: qui cum fructum induſtriæ ſoceri ſui percipere cupiat, ad Nos per libellum ſupplicem ſe contulit, ut hanc ejus poſtulationem Celſitudinibus Veſtris præpotentibus commendare vellemus, quod ei non eſſe denegandum cenſuimus. Quapropter Celſitudines Veſtras præpotentes amice rogamus, uti petitionem ſupradicti Guilielmi Cooperi ea de re benigne audire velitis, pactumque induſtriæ præmium atque ſtipendium tam juſtum, & pro numero tot annorum præteritorum & annua deinceps penſione ſolvendum curare. Quod cum non dubitemus, quin Celſitudines Veſtræ præpotentes libenter facturæ ſint, utpote & juſtum & munificentia Veſtra dignum, parati & Nos viciſſim erimus, Veſtris

quoque popularibus in postulatis suis, quoties Nobis edentur, æque propenso animo favere.

Vestrarum Celsitudinum
præpotentium

Ex Palatio Nostro Westmonasterii, die — Sept. Anno Domini 1656.

Studiosissimus

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCXL.

Litera OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus Roberto Bruno, mercatori Londinensi, pecuniam pro coriis debitam Diepæ injuste retineri queritur, ac ut illam iniquissima lite extricari legitimoque possessori restitui jubeat, amanter eum requirit, 1656.

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Serenissimo Principi Ludovico Galliæ Regi.

Serenissime Rex, Amice ac Fœderate charissime.

INviti facimus, ut Majestatem Vestram de suorum injuriis post pacem instauratam toties interpellemus: verum & Vos factas nolle confidimus, & Nos Nostrorum querimoniis deesse non possumus. Navem Antonium Diepensem ante fœdus

fœdus jure captam, ex Judicum ſententia Curiæ Noſtræ maritimæ præſidentium facile conſtat. Ejus prædæ partem quatuor millia plus minus coriorum Robertus Brunus Mercator Londinenſis ab iis, quæ auctioni præfuerunt, quod & ipſi teſtantur, coëmit: ex iis circiter ducenta cum Diepam advecta poſt ratam pacem coriario cuidam Diepenſi vendidiſſet pecuniamque redegiſſet, ea pecunia in manibus procuratoris ſui occupata atque retenta, litem ſibi impingi ſuumque Jus illo in foro ſe obtinere non poſſe, queritur. Quocirca Majeſtatem Veſtram rogandam cenſuimus, ut ad conſilium ſuum de re tota referri velit, pecuniamque illam iniquiſſima lite extricari. Etenim ſi ante pacem facta & judicata poſt pacem rurſus in controverſiam atque judicium vocabuntur, quis ſit fructus fœderum futurus, non videmus. Verum hujusmodi querelarum nullus finis erit, niſi in fœdifragos hosce tam frequentes exemplum aliquod ſeveritatis mature ſtatuatur: id quod Majeſtati Veſtræ quamprimum curæ fore ſperamus. Quam Deus interim tutela ſua ſanctiſſima dignetur.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterii, die — Sept. 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

CCXLI. *Li-*

Digitized by Google

CCXLI.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reip gliæ, ad JOHANNEM IV. Lu gem, quibus ei Thomam Maynardum bus Lusitaniæ negotiatorio Consulis m turum commendat, 1656.

Oliverius Protector Reipublicæ A
Serenissimo Principi Joanni, Lu
Regi.

Serenisime Rex.

TRansacta jam feliciter inter hanc I cam Lusitaniæque Regnum pace, n commercium quod attinet recte atque cautum atque sancitum cum sit, neces duximus, Thomam Maynardum, a quo perferuntur, ad Majestatem Vestram mi Consulis munere negotiatorio Vestra i ad mercatorum res rationesque ordinan tur. Cum autem hoc sæpius usu venire abeundi Majestatem Vestram fieri sibi cop nunquam postulet, tam de commercio, de rebus, quæ nostra hujusque Reipublic possint, a Majestate Vestra petimus, ut illi audito opus sit, benignum velitis aditum rem præbere; id Vestræ erga Nos ben pro argumento singulari atque indicio hal

Interim Majeſtati Veſtræ Deum Optimum Maximum fortunare omnia volumus.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Aula Noſtra Weſtmonaſterii
die - Octobris, Anno Domini 1656.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ, &c.

CCXLII.

Litera OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, quibus ei Guilielmum Vavaſorem, ſub Suecicis ſignis jam diu merentem commendat, ac ut præterita ſtipendia ipſi exſolvi curet, amice injungit, 1656.

OliveriusProtectorReipublicæ Angliæ &c.
Serenisſimo Principi CAROLO GUSTAVO, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi.

SerenisſimePotentisſimeque Rex.

TAmetſi ea eſt ſolita Majeſtatis Veſtræ & ſpontanea in viros benemeritos benevolentia, ut omnis eorum commendatio ſupervacanea poſſit videri, tamen nobilem hunc virum, Guilielmum Vavaſorem Equitem auratum, Majeſtatis Veſtræ ſub ſignis merentem, & ad Vos jam proficiſcentem noluimus ſine noſtris ad Majeſtatem Veſtram literis dimittere. Quod eo libentius fecimus, poſteaquam

Digitized by Google

eaquam ſignificatum Nobis eſt, jam pridem eum Majeſtatis Veſtræ auſpicia ſecutum, multis in præliis Veſtra cauſa ſuum ſanguinem profudiſſe: adeo ut Suecorum Reges proximi ob militarem ejus peritiam operamque ſæpe in bello ſtrenue navatam, eum agro & annuis penſionibus veluti virtutis præmio remuneraverint. Neque vero dubitamus, quin Majeſtati Veſtræ in hodiernis bellis permagno ſit uſui futurus, cum ſit fide ac bellicarum rerum ſcientia jam diu ſpectata. Eum itaque Majeſtati Veſtræ, pro eo ac meritus eſt, commendatum cupimus; ſimulque rogamus, ut quæ illi præterita ſtipendia proceſſerint, ſolvantur. Hoc Nobis erit gratiſſimum, nec gratificari viciſſim Majeſtati Veſtræ, quoties facultas erit, gravabimur, cui fauſta omnia ac proſpera exoptamus.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterii,
die - Octobr. An. Domini 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protect. Reip.
Angliæ, &c.

CCXLIII.

Literæ Interceſſionales ab OLIVERIO, Protectore Reipublicæ Angliæ, ad JOANNEM IV. Luſitaniæ Regem, pro Thoma Evans, Nauclero, debitos ſibi a ſocietate Braſilienſi nummos exacturo, exaratæ, 1656.

Olive-

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenisſimo Principi Joanni, Luſitaniæ Regi, S. D.

Serenisſime Rex, amice ac fœderate charisſime.

EXhibuit Nobis libellum ſupplicem Thomas Evans Nauclerus, civis noſter, in quo oſtendit, ſe Anno 1649. & 1650. cum navi ſua, cui nomen Scipionis, quadringentarum amphorarum, & cui ipſe præfuit, Societati Braſilienſi operam navaſſe; eam navem cum onere toto & apparatu, Majeſtatis Veſtræ juſſu ereptam ſibi eſſe: unde damnum homini factum, præter amiſſum ex tanta ſorte ſexennii lucrum, Commiſſarii ex fœdere ad decidendas controverſias utrinque dati plus ſeptem millibus librarum noſtrarum, ſive bis totidem Milreis Luſitanicis æſtimarunt; quemadmodum & ad Nos retulerunt. Quod detrimentum tam grave cum ſupra dictum Thomam vehementer afflixerit, coactus ad repetendas ex fœdere res ſuas, Olyſſiponem navigare, petiit ſuppliciter a Nobis, ut literas Noſtras hac de re ad Majeſtatem Veſtram ſibi daremus: Nos tametſi in communi cauſa mercatorum, quibus a Societate Braſilienſi debebatur, ſuperiore anno ſcripſimus, tamen ne cui Noſtram opem petenti defuiſſe videamur, Majeſtatem Veſtram pro amicitia rogamus, ut hujus nominatim ratio habeatur; utque velit Majeſtas Veſtra ſuis omnibus ita præcipere, ut ne quid obſtare poſſit, quo minus is in ea urbe, quod ſibi a Societate Braſilienſi vel aliunde debetur, ſine ullo impedimento exi-

exigere & ſine mora poſſit recuper
Majeſtatem Veſtram perpetua felici
noſtramque amicitiam faxit quam diu

Majeſtatis Veſtræ

Ex Palatio Noſtro Weſtmo-
naſterii, die - Octobr. 1656.

Stu

Oliverius, Prote
publicæ Angli

CCXLIV.

*Literæ OLIVERII, Protectoris Re
gliæ, ad CIVITATIS HAM
SIS SENATUM, quibus eum
ſuam, qua Jacobo & Patricio Hays
rum adjuditata eſt hæreditas, ut ra
eſſe velit, ſerio hortatur, 1656.*

Oliverius, Protector Reipublicæ
Illuſtri & Magnifico Civitatis Ha
ſis Senatui S. D.

*Ampliſſimi, Magnifici & Specta
Amici chariſſimi.*

GRavem detulerunt ad Nos queri
cobus & Patricius Hays cives huj
cæ, ſe, ſuique fratris Alexandri, qui int
obiit, hæredes legitimi cum ſint, atqu
Curiæ Veſtræ ſententia ante annos d
cundum ſe lata contra fratris viduam
fuiſſent, bonaque defuncti fratris cur
excepta ſolum Viduæ dote, adjudicat
judicio eſſent, non potuiſſe tamen hac

pro ſuo Jure, neque literis Caroli olim Regis eadem de re ſcriptis ullum laborum ſuorum ac ſumptuum ex ea ſententia fructum conſequi: Obeſſe ſibi ſcilicet potentiam atque opes Alberti van Eizen, Decurionis apud Vos primarii, apud quem bonorum pars maxima depoſita eſt, eum agere omnia, ne ea bona hæredibus reſtituantur. Eluſi ac dilationibus confecti, ſummam denique ad inopiam redacti ſupplicant Nobis, ne ſe negligamus tantis injuriis fœderata in Civitate oppreſſos. Quod Nos cum officii imprimis Noſtri intelligamus eſſe, ut ne quis civis Noſter præſidium ſuis rebus atque ſuſceptum Patrocinium in Nobis requirat, petimus, quod a Civitate Veſtra videamur facile impetrare poſſe, ut ſententiam ipſimet Veſtram hiſce fratribus ratam eſſe velitis; neque per cauſam provocationis ad Spirenſem Cameram, vel primo ſimulatæ vel nunc irritæ, moram juſtitiæ fieri patiamini. Nam de ſumma illius cauſæ jurisperitorum noſtrorum ſententias requiſivimus, unaque deſcriptas obſignatasque ad vos miſimus. Quod ſi rogando nihil proficitur, erit neceſſario, idque ex conſveto jure Gentium, quod tamen minime vellemus, ad reciproca deveniendum: id ne accidat, vos pro Veſtra prudentia proviſuros eſſe confidimus.

Amplitudinum Veſtrarum

Ex Palatio Noſtro Weſtmonaſterienſi die 16. Octobris Anno Domini 1656.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ.

CCXLV.

Litera OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad LUDOVICUM XIV. Galliæ Regem, quibus navem Jonæ vocabulo insignitam, ad quosdam mercatores Londinenses spectantem, a prædone Caroli Regis tunc exulis auspiciis piraticam faciente abreptam, & Dunkirkam abductam, ibique a Domino Lestrado, dictæ Urbis Præfecto, injuste retineri, graviter conqueritur, eamque legitimis possessoribus confestim restitui petit, 1656.

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi, Ludovico, Galliæ Regi, S. D.

Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate charissime.

PErveniſſe ad Majeſtatem Veſtram literas Noſtras arbitramur, Maji quarto decimo ſuperioris anni datas: in quibus Johannem Dethicum, eodem anno Londini Urbis Præfectum, & Guilielmum Wakeſeild mercatorem per libellum ſupplicem Nobis oſtendiſſe ſcripſimus, navem Jonam ſuis mercibus onuſtam, quæ Oſtendam veherentur, Dunkirkam, quæ tum temporis in Gallica ditione erat, a prædone quodam Caroli Stuarti filii auſpiciis piraticam faciente ex ipſo Thameſis oſtio fuiſſe abreptam: ſe, cum ex edictis Veſtris, Veſtrique Conſilii decretis, quibus erat cautum, ne qua navis Anglorum ab hoſtibus Parlamenti capta veſtris portubus reciperetur, venalisve eſſet, a Domino Leſtrado illius oppidi Præfecto poſtulaſſent, ut reddi ſibi navem ſuam atque bona juberet, reſponſum

ſum ab eo tuliſſe, ſane neque Viro primario dignum, neque eo, qui Regi ſuo ſatis dicto audiens videretur, ſe ſcilicet a Rege Galliæ ob navatam in bello operam hanc præfecturam præmio accepiſſe, curaturum proinde, uti ea quam maxime quæſtui ſibi ſit: per fas videlicet ac nefas; id enim minime laborare videbatur. Quaſi vero hanc Præfecturam atque Provinciam Majeſtatis Veſtræ dono accepiſſet, ut ſocios juxta ſpoliaret, Veſtraque edicta in eorum gratiam promulgata pro nihilo haberet. Quod enim Rex Galliæ, ſi maxime ab hoſtibus factum contra Nos voluiſſet, facti tamen participes ſuos eſſe vetuit, id Regius Præfectus contra Regium interdictum, non modo fieri eſt paſſus, ut Nos Veſtris in portubus diriperemur, prædæque eſſemus, verum etiam ipſe diripuit, ipſe prædæ habuit, ſeque facti autorem palam profeſſus eſt. Hoc itaque reſponſo mercatores infecto negotio irriti atque eluſi diſceſſere: Nosque hæc itidem ſuperiori anno Majeſtati Veſtræ per literas ſignificavimus ſucceſſu licet haud multo meliore; nihil dum enim reſponſi ad eas literas habuimus. Quod non habuerimus accidiſſe id credimus, propterea, quod eo tempore Præfectus ille apud exercitum in Flandria fuit, nunc in urbe ipſa Pariſiorum degit, vel potius per urbem perque aulam Noſtrorum ſpoliis locupletatus impune volitat: a Majeſtate igitur Veſtra nunc denuo id petimus, quod ipſius Majeſtatis Veſtræ intereſt imprimis providere, ne quis ad ſociorum injurias edictorum Regiorum contemptionem audeat adjungere: ſed neque ad Legatos ſive Commiſſarios de controverſiis com-

munibus utrinque dandos rejici pr
ſa poterit; quandoquidem hic non
duntaxat, ſed auctoritas ipſa Veſtra
nis reverentia agitur. Illud enim
mercatores damna ſua moleſtius q
Veſtra autoritatis ſuæ ferat imminut
ſi non ferat, eadem opera ſimul perf
amiciſſimorum de Republica Noſt
pœnituiſſe, neque in ſuorum injur
neque Noſtræ poſtulationi non tribu
ſit, videatur.

Majeſtati Veſtræ

Ex Palatio Weſtmonaſterii,
die - Novembr. An. 1656.

Voluntate, amic
devinctiſſi

Oliverius, Protector
Angliæ &c.

CCXLVI.

Literæ OLIVERII, Protectoris R
gliæ, ad FRIDERICUM III.
cui, ut pacem cum Rege Sueciæ, nul
bus ſiniſtris interrumpendam, ſanct
cite ſuadet, 1656.

Oliverius Protector Reipublicæ
Sereniſſimo Potentiſſimoque Princ
co III. Daniæ, Norwegiæ, Vandalo
rumque Regi: Duci Sleſvici, Holſa
riæ & Dithmarſiæ; Comiti in Ol
Delmenhorſt &c. S. D.

Serenisſime, Potentisſimeque Rex, Amice & Fœderate charisſime,

LIteras Majeſtatis Veſtræ ſexto decimo Februarii Hafnia datas, ab ornatisſimo viro, Simone de Petkum, Oratore apud Nos Veſtro, accepimus. Iis perlectis, & voluntatis erga Nos Veſtræ præclara ſignificatio, & ipſius rei, de qua ſcriptum erat, pondus uſque eo Nos permovit, ut ſtatim ad Majeſtatem Veſtram mittere, qui mandatis Noſtris inſtructus Noſtra conſilia Vobis hac de re plenisſime exponeret, in animo haberemus. Et quanquam idem Nobis etiamnum animus manet, hactenus tamen idoneum aliquem cum iis mandatis dimittere, quæ gravisſimum hujuſmodi negotium poſtularet, non potuimus; quemadmodum jam brevi facturos Nos eſſe ſperamus. Interea non omittendum diutius exiſtimavimus Majeſtatem Veſtram certiorem facere, præſentem rerum in Europa ſtatum haud mediocri Nos cura ac cogitatione ſollicitos tenuiſſe: cum ab aliquot jam annis ſummo cum dolore videamus Proteſtantium Principes ac Civitatum Primores (quos ex communi religionis atque ſalutis vinculo omnem ſeſe mutuo confirmandi ac defendendi inire rationem oporteret) inter ſe indies magis magisque infirme animatos, quid quisque moliatur, quidve ſtruat, ſuſpectum habere; metum amicis, ſpem hoſtibus præbentes, inimicitias atque diſſidia potius hac rerum inclinatione portendi, quam firmum invicem animorum conſenſum ad præſidium mutuum ac defenſionem. Atque hæc quidem ſollicitudo eo altius animo No-

ſtro inſedit, quo magis in Majeſtate Veſ
que Sveciæ adhuc aliquid reſidere mutu
nis videtur; vel ſaltem non eam exiſter
tum conjunctionem, quam communis
omnium in orthodoxam Religionem ar
dium flagitaret; dum Majeſtati Veſtræ i
te aliqua ſuſpicio eſt, fore ut ab Rege S
trimentum aliquod ditionis Veſtræ com
feratur; ſuſpicante vicisſim Svecorum
per Vos & bellum, quod nunc gerit, di
contrahendarum ſocietatum ratio imp
reddatur. Non præterit Majeſtatem V
ea ſumma prudentia, quam adhibere ſu
in rebus ſolet, quantum diſcriminis Pro
ſummæ rei impendeat, ſi iſtiusmodi ſuſp
ter Vos diu verſentur; quanto magis,
avertat, ſi quod hoſtilitatis indicium
Utcunque hæc ſe habeant, Nos, quem
& Svecorum Regem & fœderati Belgii
pacem & moderata conſilia magnop
ſumus, (adeoque redintegrari inter eos
que concordiam vehementer gaudemu
capita quoque illius fœderis a Dominis
transmiſſa ad Nos ſunt) ita Noſtras eſſe
ximus, Noſtræque Amicitiæ quam maxi
nire, ut qui ſenſus Noſter his de rebus
tem Veſtram ne celaremus (præſertim c
faciamus, Majeſtatis Veſtræ literis amic
ſtudioſe invitemur; id quod etiam be
erga Nos veſtræ pro argumento ſingula
bemus atque amplectimur) veſtræqu
ante oculos poneremus, quantam Nobi

Digitized by Google

tem, qui Proteſtantium Religionem ſequimur, divina providentia impoſuerit colendi inter Nos pacem, idque nunc maxime, cum hoſtes noſtri acerrime, ſi unquam alias, rem gerere, & conjuraſſe undique in perniciem noſtram videntur. Valles Alpinas miſerorum nuper incolarum cæde ac ſanguine madentes commemorare nihil attinet, nec conquaſſatam per eosdem dies Cæſareis proſcriptionibus atque edictis Auſtriam, nec denique contra Helvetios Proteſtantes Helvetiorum Papiſtarum infeſtos impetus. Quis neſcit Hiſpanorum dolos ac machinationes per hoſce aliquot annos hæc loca omnia incendiis, ruinis, cladibus Proteſtantium permiſcuiſſe? Si ad hæc mala Reformatorum fratrum inter ſe diſſenſio velut cumulus accedat, inter Vos præſertim, qui Noſtrarum virium tanta pars eſtis, & in quibus tantum præſidii ac roboris Proteſtantium dubiis temporibus comparatum atque repoſitum eſt; quod ad opem humanam attinet, peſſum ire Proteſtantium res, & in extremo diſcrimine atque occaſu verſari neceſſe erit. Quod contra, ſi pax conſtet inter Vos vicinos, cæterosque orthodoxos Principes, ſi concordiæ fraternæ omni ex parte ſtudeatur, non erit, cur, Deo bene juvante, vel vim vel verſutiam noſtrorum hoſtium pertimeſcamus, quorum conatus noſtra vel ſola conſenſio vel diſſipabit vel fruſtrabitur. Neque vero dubitamus, quin Majeſtas Veſtra ad hanc pacem beatam impertiri ſuam operam, quam poteſt maximam & libens velit, & velle deſitura non ſit. Qua in re ipſe etiam communicare conſilia cum Majeſtate Veſtra atque conjungere paratiſſimus

tibus Veſtris probe cognitos & perſpectos non dubitamus, adeo enim uberes atque ampli ſunt, ut bonus eorum odor longe ſe lateque diffuderit & ad longinquas etiam remotasque regiones jam olim pervenerit. Nos quorum humilitatem ſupremus ille Paterfamilias ac Dominus, ſuæ domus cuſtodiæ & agri ſui culturæ præpoſuit, ſollicitudinis noſtræ debitam ac præcipuam curam eſſe putamus utiles adeo ſervos ac traditis a Domino talentis augendis imprimis opportunos & ubique & apud eos præſertim eſſe, quos peculiari charitate complectimur, quibus ſalutarem ac fructuoſam eorum induſtriam atque operam fore prævidemus: quem amorem cum erga Nobiliſſimam iſtam Rempublicam in viſceribus geramus, non inferiorem ſingulari ejus in Deum religione, in ſanctam vero hanc ſedem obſervantia, moleſte admodum ferimus Eam jamdiu his religioſis, nobis perquam charis probatisque carere: Unde procul dubio magnæ ad vos civesque veſtros univerſos utilitates eſſent perventuræ. Novit Prudentia Sapientiaque Veſtra, quanti interſit maxime lubricam incertamque adoleſcentum ætatem bonarum artium ac pietatis ſtudiis innutriri, usque adeo refert a primis annis optimis inſtitutis aſſueſcere, cum nempe ad ea quæ traduntur accipienda aptiſſimi ſint adoleſcentum animi, firmiterque deinde, quæ ſunt tradita, in omni vita retineant: In illa vero ætate gubernanda ſanctiſſimisque præceptis confirmanda jure nullis iis religioſis peritiores aut magis idonei eſſe exiſtimantur, qui hac in re non exiguam vitæ partem ponere ſolent, callentque longo uſu atque exercitatione facilli-

Digitized by Google

cillimas quasque atque utilisſimas docendi præcipiendique vias, quodque maximi fieri debet non minori cura pietatem Deique timorem, unde vere omnis ſapientiæ ac ſcientiæ initium ducitur, quam literas diſciplinasque edocere ſatagunt. Teſtatur hoc pium illorum ſtudium, religionis propagandæ ardor, templorum cultus, frequens Sacramentorum ac Dei verbi adminiſtratio, ipſum denique eorum inſtitutum, quod unam divini nominis gloriam propoſitam habent, pro qua augenda, amplificandaque in omni doctrina, atque omni opere bono fideliter collaborant: Dignam itaque Prudentia Veſtra, dignam pietate, dignam perpetua in Nos obſervantia, ac maximopere ad divinum auxilium impetrandum opportunam rem facietis, eos quamprimum in nobilisſimam iſtam civitatem omnemque veſtram ditionem recipiendo. Certe ſi quantopere beneficiorum ſuorum memoriam DEUS requirat, quantaque ſint reputabitis, quæ hoc tempore largita vobis eſt immenſa ejus bonitas, clementiaque, inter cæteras hanc quoque ipſi gratiam referre debetis, ex qua ingens ejus gloriæ ac laudis incrementum extiturum perſpicietis, multum etiam id valebit ad Sanctiſſimi Viri Ignatii tutelam conciliandam, cui devotos non minus Vos eſſe decet, quam Veſtri Majores fuerunt. Ille ſiquidem cum hujus Societatis fundamenta jaceret, diutius in amplisſima illa urbe eſt commoratus, ac præclara paſſim in ea ſanctitatis exempla edidit, & quamplurima monumenta reliquit. Nam quod ad nos attinet, non dubitamus, id in beneficii loco ponere, ex quo maximos atque uberrimos fructus eſtis percepturi,

cepturi, atque in hoc teſtem veluti ac pignus paternam Noſtram charitatem dare non veremur, quam Vos magnam ſemper merito eſſe duxiſtis, nec minorem exiſtimatione Veſtra experti eſtis in ea ſane cauſa, quam a multis annis adverſus Chriſtianæ Religionis infenſiſſimos hoſtes defenditis, quæ præcipue ac pro viribus fovenda quoque eſt: Verum ingens ad hoc efficiendum charitati noſtræ impoſterum pondus imponetis, atque ad hanc voluntatem hoc facto is cumulus accedet, ut multo eam amplius incitaturi ſitis, ad iſtam Rempublicam hoc præcipue tempore omni conatu atque ope, quantum cum Domino poterimus, adjuvandam. Adeo denique id Nobis gratum atque jucundum accidet, ut hoc Vobis certo ſpondeamus nihil a Veſtra in hanc Sanctam ſedem obſervantia reverentiaque fieri poſſe, ex quo majores ſtimulos addi animi noſtri affectui ſenſuri ſimus, & pro quo plura invicem Vobis ſint benevolentiæ Noſtræ ſigna expectanda, quibus eam non mediocriter auctam, erga Vos oſtendemus, uti etiam fuſius exponet Venerabilis Frater F. Carolus Epiſcopus Averſanus, Noſter apud Nobilitates Veſtras Nuntius, cui fidem a Vobis haberi cupimus, quibus a Deo felicitatem precamur, & Apoſtolicam benedictionem impertimur. Datum Romæ 23. Decembr. Anno 1656. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Natalis Rondininus.

CCXLIIX.

Litera CAROLI LUDOVICI, Electoris Palatini, ad Dn. MARIAM SUSANNAM a De-

a Degenfeld, quibus se eam tenere ardenterque amare significat, rursusque amari ab illa cupit.

Generosissimæ Virgini, Dominæ Mariæ Susannæ a Degenfeld, Turnavv & Neuhausen.

SAlutarem te, Maria Susanna, meis scriptis, si quæ mihi salutis copia foret, sed omnis tum vitæ spes ex te dependet, ego te magis, quam me amo, nec puto te latere meum ardorem, læsi pectoris index tibi esse potuit vultus meus, & quæ, te vidente, emisi suspiria. Ter benigne te precor, si me tibi aperio: capit me decus tuum, virtusque tenet eximia & qua omnibus præstas, venustatis gratia. Quis esset amor antehac nescivi, tu me Cupidinis imperio subjecisti, nec mireris me ignorasse hactenus, cum conjugem meam ne unquam ardentius amare potuerim, vicerunt me oculorum tuorum radii, quibus es sole potentior, captivus jam sum Tuus, nec mei amplius compos, te dies noctesque amo, te desidero, te voco, te expecto, de te cogito, te spero, de te me delector, tuus est animus, tecum sum totus, tu sola servare potes solaque perdere; elige horum alterum & quid mentis habeas, rescribe, nec durior erga me verbis esto, quam fuisti oculis, quibus me colligasti, si das quid volo, vivere felix volo, si negas extinguetur cor meum, quod te magis quam me amat. Ego me tibi & tuæ commendo fidei; Vale anima mea, & vitæ subsidium meæ

Tuus solus, Tuus totus

Carolus Ludovicus D. G.
Elect. Palat. Rhen.

CCXLIX. *Li-*

Digitized by Google

CCXLIX.

Literæ CAROLI LUDOVICI, Electoris Palatini, ad MARIAM SUSANNAM, BARONISSAM a DEGENFELD, a qua redamari sollicite desiderat.

Virgini venustissimæ Dominæ Mariæ Susannæ, Baroniſſæ a Degenfeld, dilectæ meæ ad teneras manus.

MAgno mihi gaudio fuit Epistola tua, sed angit me, quod amorem parvi pendas meum. nam etsi plures te ament, nullorum tamen ignis comparandus est meo, at tu hoc non credis, quia ob versutiam Charlottæ loqui nequeo tecum, id si daretur, non ne contemneres? Sed muta sententiam illam, qua laborem meum vanum dixisti futurum. Absit hæc crudelitas, mitior esto, si non amanti, tamen Electori & Benefactori tuo; Si perges sic loqui, fies homicida, nec dubita, facilius tu me interimes, quam quis alius gladio, desino jam plura poscere, ut redames tantum postulo, nihil hoc est, quod objicias; Nemo te potest prohibere, dic te me amare & beatus sum, annulus tuus nunquam ex digito mihi recidet, & illum vice tua crebris osculis reddam madidum, vale delicium meum, & mihi quod poteris, solatium dato,

Tui addictissimus

Carolus Ludovicus, Palat. Rhen.
Elect. Dux. Bavariæ &c.

CCL. *Li-*

Digitized by Google

CCL.

Literæ CAROLI LUDOVICI, E
latini, ad MARIAM SUSANN
RONISSAM a DEGENFEL
quo se desiderii sui tandem facere ce
gnetur, instanter urget.

Virgini nitidissimæ Dominæ M
sannæ, Baroniſſæ a Degenfeld,
lectas manus.

SAlve mea lux, MARIA SUSANNA
tuis literis salvum facis, etsi nonnih
misceas, sed hoc spero, me audito, det
meas in manus epistola tua clausa, & tu
te signata, hanc & legi sæpe, & oscula
pius, si hæ aliud suadent, quam tuus vi
animus, rogas, ut amare desinam, quia
diret tibi, peregrini amoris flammas seq
exempla deceptarum Virginum, & hoc
te culteque scribis, ut mirari magis & a
nium tuum debeam, quam obliviſci.

Quis est ille, qui tunc amare desinat, qu
dentiorem & sapientiorem animadverti
si meum minuere volebas amorem, no
doctrinam tuam ostendere: Nam hoc
censum extinguere, sed ignem maximu
conflare favilla; Age jam tandem mise
toris tui, qui tanquam ad solem nix liqu
me putris, qui te amo, quid illi facies, q
mnum dederit? malum! Ah mea Ma
na, mea salus, meum refrigerium! Susc

gratiam, demum reſcribe, me tibi charum eſſe, nihil aliud volo, vale ſpes mea

Tuus

Carolus Ludovicus Palat. Rhen.
Elect. Dux Bavariæ &c.

CCLI.

Reſponſoria MARIÆ SUSANNÆ, BARONISSAE a DEGENFELD, ad præinſertas CAROLI LUDOVICI, Electoris Palatini, literas.

Serenisſimo Electori Palatino Carolo Ludovico, Duci Bavariæ, dilecto meo.

NOn poſſum tibi, Serenisſime Elector, ultra adverſari nec te amplius amoris mei impotem habere; Viciſti: Jamque tua ſum, me miſeram! quæ tuas ſuſcepi literas; Nimirum multis ſum exponenda periculis, niſi tua me fides & prudentia juvet, vide, ut ſerves, quæ ſcripſiſti. In amorem tuum jam venio, ſi me deſeris, & crudelis & proditor, & omnium peſſimus es; facile eſt fœmellam decipere, ſed quanto facilius eſt, tanto turpius, adhuc res integra eſt, ſi me putas deſerendam, dicito, antequam amor magis ardeat, nec incipiamus, quod poſtmodum incepiſſe pœniteat, omnium rerum inſpiciendus eſt finis, ego, ut fœminarum eſt, parum video, Tu vides, Te mei & tui curam habere oportet, do me jam Tibi, tuamque proſequor fidem, nec

tua

d by Google

tua esse incipio, nisi ut sim Tua perpetuo. Vale meum præsidium

Maria Susanna Baroniſſa a Degenfeld.

CCLII.

Litera COMMISSARIORUM ad tractatus Pacis cum Moscovitis instituendos Vilnam a REGE POLONIÆ MISSORUM, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniarum Regem, cui, quo in loco ipsi tractatus & quæ porro facienda sint, significant, 1657.

Serenisſime & Potentisſime Rex, Domine, Domine Clementisſime.

SCientes quam Regiæ Vestræ Majestatis, ut Regis & Domini Nostri clementissimi, totiusque nostræ Patriæ interſit, ne ea, quæ ad iterata Regiæ Vestræ Majestatis mandata Vilnæ cum Moscovitis primum acta, ac demum conventa sunt, oblivioni tradantur, breviarium Protocolli nostri transmittimus, constituimus ipsi ire Gedanum, ut Regiæ Vestræ Majestati de omnibus sufficientem relationem facere possemus: Verum quia hostis Svecus omnia itinera obsessa tenet, & nos in proposito nostro impedit, Regia quoque Majestas Vestra ex prioribus nostris literis super omnibus, quæ acta sunt, convenientem informationem adepta est, ideo nunc tantum indigitare voluimus, Nos videlicet Armistitium cum Moscovia usque ad Comitia conclusisse, & conjunctionem armorum Polonicorum & Moscoviticorum contra Regiæ Vestræ Majestatis hostes ea conditione cum Moscovia iniviſſe, ut

scili-

ſcilicet nulla pax cum Svecia concludatur ſine præſcitu Czari Moſcorum jam contra eundem hoſtem belligerantis. Hoc autem commemoramus, non quod non optemus pacem cum utroque Moſco & Sveco, quæ utique ſuo modo fieri poteſt, ſed ideo ne violato hoc uno puncto tota cauſa (quæ cum Regiæ Veſtræ Majeſt. & totius Reipublicæ dignitate in futuris Comitiis per Magnos Moſcorum Legatos proponi, & in iisdem Comitiis reaſſumi atque tractari, ut & in Regiæ Veſtræ Majeſt. & commune Reipublicæ bonum decidi, atque, ſi ita Deo placuerit, cum Regiæ Veſtræ Majeſtatis & totius Reipublicæ Satisfactione concludi poterit) turbetur, & ſic citatiſſima aliqua & maxime timenda hoſtilitas Regiæ Veſtræ Majeſtatis ditionibus, & regno reſuſcitetur, quam maxime vero verendum, ne quæ hactenus nobis Moſcovitæ non ſine magno noſtro cordolio exprobrarunt, quaſi parum ſincere cum iis egerimus, non ſervando promiſſa & ſpe vana ſine ullo effectu eos lactando: Illam enim allegant præcipuam cauſam non modo armorum ſuorum contra Poloniam & ruinæ calamitatisque Rempublicam in præſentiarum affligentis, ſed etiam laborum ſuorum, quibus tam ſolide & ſollicite paci futuræ nunc incumbunt, ut inconcuſſa & perpetua maneat, nec mala nobis illata recrudeſcant, & in illorum capita recidant. Neque enim fidunt paci, niſi ſummæ utrinque poteſtates indiſſolubili quaſi vinculo invicem colligentur, & quæ hinc inde hoſtiliter illata ſunt, oblivioni tradantur, prout etiam ipſi Moſcovitæ agnoſcunt, ſe recordatione præteritorum malorum & injuriarum ad hanc

vindictam esse irritatos. Deo ipsi m
mus gratias, quod mediis aliis desper
bis, quasi in manus tradiderit, viamqu
qua rem adhuc salvam & integram R
Majestati & Reipublicæ offerre, & occ
dem præbere possumus, vel admoven
manum huic negotio a nobis inchoat
aliud medium arripiendi, quo ex hisce
gere & eluctari possit. Summe vero
censemus, ut Regiæ Vestræ Majestati p
primum Comitia universalia ordinare
Deputatum suum notificare Czari, ne
tio Comitiorum suspicioni occasione
& Regiæ Vestræ Majestatis hostis præv
cem cum Moscovitis faciat, & eos c
Vestræ Majest. ditiones iterum incite
Regia Vest. Maj. fecerit, eo ipso mag
confirmabuntur exules Magni Ducatu
alias verendum est, ne qui omnibus viv
nunc destituuntur, ad desperationem
Magnum nostrum est infortunium, qu
possumus pertransire ad Regiam Vestr
tem, nec calamo omnia, quæ præsente
semus, nunc sufficienter exprimi quea
mitia (in quibus salus Reipublicæ verti
tuno tempore constituantur, etiam t
rium erit, ut aliquis a Regia Vestra M
putetur, qui Moscorum Czarem justo ter
vitet, ita ut satis temporis habeant Mo
gni Legati, comparendi in dictis Co
tamus nemini magis conveniens & ac

Digitized by Google

ſtræ Majeſtatis & Reipublicæ placitum, reputationemq; geſturum fore officium illius Deputati, quam judicem terræ Oſinianenſis, Dn. Comora, utpote qui toto noſtri tractatus tempore in hoc negotio a nobis adhibitus eſt, & dexterrime & non ſine magnis ſumptibus de Regia Majeſtate Veſtra & Republica bene mereri conatus eſt. Quod ſi vero impoſſibilitas ipſa non permittat, ut Comitia brevi poſſint conſtitui, conſultum tamen nobis videtur, primo quoque tempore ablegare aliquem ad Czarem Moſcorum, qui ipſum de Regiæ Veſtræ Majeſtatis inclinatione ad pacem informet & rationes adducat, cur Comitia tam cito non poſſint haberi. Inter rationes vero allegandas non videtur eſſe poſtrema, videlicet, quod Nobiles, qui nunc expeditione generali in campo contra hoſtem diſtinentur, non poſſunt in diviſis locis, & quidem particularibus conventibus, qui ipſa Comitia præcedere merito debent, tam cito convocari, & propterea Comitia univerſalia nunc neceſſario differri. Quod commodius per Deputatum oretenus exponi, & per illum expediri poteſt, modo de omnibus recte informatus, & neceſſariis ſumptibus munitus ſit. Si DEUS ex Clementia ſua liberum tranſitum ad Regiam Veſtram Majeſtatem nobis largiri & aperire dignabitur, iter noſtrum illuc maturabimus, & tum Eam de omnibus informabimus. Nunc vero Regiæ Veſtræ Majeſtati ſubjectiſſima Noſtra ſervitia recommendantes manus ejusdem cum debita noſtra devotione oſculamur.

lamur. Dab. in Crochowa, die 8. Jan
no 1657.

Regiæ Veſtræ Majeſtatis

Regis & Domini Noſtri Clemen

Fideles Conſiliarii &

Servitores

Joh. Caſimir. Kraſinsky
Plocenſis.

Joh. de Zawisca nominat
patus Vilnenſis Referenda
tarius M. Ducatus Lithuan

Cyprianus Paulus Broſto
ferendarius M. Ducatus Li

CCLIII.

Litera DOMINI LUBOMIERSK
ORGIUM RAGOCZIUM II.
Tranſylvaniæ, cui bellum in Polon
ſerio diſſuadet, 1657.

Celſiſſime Princeps, Domine
Colendiſſime.

QVo animo Celſitudo Veſtra in Re
Noſtram ſit, non ſolum liquet ex
loquuntur univerſales Celſitudinis Veſ
Literæ. Eſt quod mirer & doleam pe
tudini Veſtræ fuiſſe periculoſa & indec
tuta & glorioſa conſilia. Ignoſcat Ce
ſtra meæ ſinceræ dicendi libertati, qu
decet, & inde conſiliorum ſuorum pe
ctus. Specioſus libertatis aſſerendæ p
literis univerſalibus Celſitudinis Veſtræ t

ma vero libertatis conditio, libera electio, armis petitur. Convocatur liber populus, (ſed niſi velit) mancipium futurus, id eſt ferro, igneque puniendus. Promittitur Senatui avita Dignitas, ſed ſtatim confuſo cum omnibus dignitatis titulo eripitur. Illa ipſa avita noſtra, ſancta veraque Religio, (pro qua a Majoribus Noſtris tot fuſum ſanguinis) ad libertatem tantum conſcientiarum, excluſo religionis uſu, exercitioque reſtringitur. Quis tam obeſæ eſt naris, qui hæc non intelligat? quis tam apoplecticus, qui non ſentiat? ſed & violatum in detentione Domini Stanislawski, affinis mei, publicum gentium privatumque amicitiæ jus, quid aliud promittit, niſi publica & privata jura in victimam indebitæ ambitionis deſtinari. Ponderet Celſitudo Veſtra, an nobiles & generoſæ animæ, quæ vitæ, fortunarumque impendio honorem emunt & gloriam, ſervitutis infami pretio, religionis vitæque libertatem vendent: neque tantum in armis reponat ſpei, ut mente excidat. Juſtitiæ armorum ſæpe vinci potentiam, bellaque injuſte cœpta, finiri infauſte ſciat. Illæ vero quæ obtenduntur in nos belli rationes, quam procul a juſtitia, & quam quæſitæ ſint, ipſam Celſitudinis Veſtræ judicem accipio (modo vacua ab omni affectu ſit) prudentiam. Vocatum ſe Celſitudo Veſtra ad Poloniæ ſceptra, & per abruptos Tractatus illuſum conqueritur? Fateor Legatum a Sereniſſimo Rege, Domino meo clementiſſimo, ad Celſitudinem Veſtram miſſum, verum non abrupto, ſed ſuſpenſo tantummodo Tractatu rediiſſe; quia enim religionis ratio primos ab utrinque (uti par eſt) habuit re-

ſpectus, quid mirum, delatum id ad Re
fuiſſe, an Principem diverſæ Religionis, i
aſſumere expediret, an illud ex forma f
Celſitudini Veſtræ petendi regni der
iret, ut Legatos ad Comitia generalia mi
gem enim nonniſi conſenſu omnium
apud nos deſignari: hoc-ne eſt ſcindere
pere tractatus, ſed ſupponat quis abru
qui offert conditionaliter regnum, n
conditionibus bellum meretur? & c
cium præſtare voluerit, ferro igneque g
penditur? Secundum dicitur miſſos
Veſtræ a Principe Saxoniæ, neſcio quib
nariis currus a noſtris vi acceptos, non
aſſequor, quomodo accepti ſint, ſi ex co
venſi, opera domini Tekely, Celſitudin
miſſi. Quidnam illi currus vexerint, &
ne a Svecis Polonica ſpolia fuerint, exa
Zywecenſi Regio Oeconomo, ſcio, ſed
in confiniis nemini præjudicioſa cautela
lia mereatur, non ſatis video. Dicitur
ſitudinis Veſtræ famulos captivos apud
Lublovienſi detineri: hoc vero non ex
tudinis Veſtræ informationi adſcribo.
enim hoc a vero eſt, quam proximum
illos detineri, qui obſidente me Cracov
ſtes Regis, Regnique literas attulerunt,
ſtilitatis plenas, transactionem videl
apud Celſitudinem Veſtram Reſidentis
Celſitudine Veſtra portantes, Generaliq
ſuccurſum pollicentes, hunc tamen pro
in Celſitudinem Veſtram obſervantia,

Digitized by Google

verbis admonitum Celſitudini Veſtræ remiſi. Hæc pro meo affectu & Candore Celſitudini Veſtræ duxi inſinuanda. Tempus docebit, magnifice ſalubria ſuaſerim ego, an Celſitudo Veſtra ſecuta ſit. Solidam enim, diuturnamque felicitatem in juſtitiæ radicatam fundamento, quam nulla cujusquam, nec prætenſio quidem concuteret, quæ ad poſteritatem ſecuro indubioque jure transmitteret, quæ veræ incorruptæque gloriæ fructus adferret ſuaſi, & nunc pro candido affectu ſuadeo. Cæterum quam longiſſimam Celſitudini Veſtræ incolumitatem, proſperosque ſucceſſus, ex animo precor. Dabantur in Caſtris ad Cracoviam, die 27. Januarii, 1657.

CCLIV.

Litera GEORGII RAGOCZII II. Principis Tranſylvaniæ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, cui ſe cum exercitu ſuo Coſaccorum copiis junctio, ad Jaroslaviam usque feliciter penetraſſe, refert, 1657.

Serenisſime & Potentisſime Rex, Domine Colendisſime.

SEcundum promiſſum meum, literis in Decembri datis Majeſtati Veſtræ teſtatum, ingreſſus ſum, Deo auxiliante, Poloniæ fines cum copiis meis in Januario, ſuperatis vix ſuperabilibus difficultatibus. In Strio per aliquod tempus commorandi neceſſitatem mihi impoſuit Kozacorum expectatio, cum quibus tandem, uno ultra Præmisliam milliari unitis viribus huc veni, progredi-

Digitized by Google

arque quantocyus in interiora Polon
ni noſtro bono promovendo unice o
rus. Salutem Cracoviæ, ab hoſtili
ventus mei fama, (quod literæ Domin
li ad illuſtriſſimum Dominum Wirtziu
obſidionem, vehementer gratulor, c
næ bonitatis auxilio, pari ſucceſſu co
cas mihi oppoſitum iri. Cancellarius
gariæ, Nittrenſis Epiſcopus, ab Impe
ſolemnis expeditus legatus, nudius te
nit. Mihi huc usque per Dei grat
hæc expeditio ſuccedit, ſucceſſuramq
cius Veſtræ Majeſtati cooperante ope
bito. Hic Majeſtati Veſtræ proſpe
tudinem, ſucceſſusque ad vota fluen
favori me ejus conſtanti intime comm
tum in Caſtris ad Jaroslaviam, die 2
Anno 1657.

Sereniſſ. Majeſtatis Veſtræ

Servit

Georgius

CCLV.

Litera GEORGII RAGOCZII
pis Tranſylvaniæ, ad FRID
WILHELMUM, Electorem
cum, quibus ipſi amicitiam & ſtu
1657.

Serenisſime Princeps, Elector, Domine Amice Obſervandisſime.

SIlentium noſtrum rumpendi (cujus ſolam temporum iniquitatem locorumque diſtantiam cauſam fuiſſe fidenter ſcribimus) ingreſſus Noſter in Poloniam anſam Nobis præbuit, ſuaſitque, ut Serenitati Veſtræ jam pridem devotum affectum Noſtrum faceremus teſtatum. Quem ut alias ſemper, ita occaſione hujusce conatus Noſtri, qui ad communis cauſæ promotionem a Nobis unice ſuſceptus eſt, Serenitati Veſtræ probare parati ſumus. Atque his valetudinem ſucceſſusque proſperrimos ex animo Serenitati Veſtræ precati, amica Ei ſtudia, addictionemque Noſtram lubenter offerimus. Datum in Caſtris Noſtris ad Jaroslaviam, die 27. Februarii, Anno 1657.

Serenitatis Veſtræ Amicus

ad officia paratus

Georgius Ragoczy.

CCLVI.

Litera GEORGII RAGOCZII II. ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, cui quo in loco ſint res ſuæ, exponit, 1657.

Serenisſime & Potentisſime Rex, Domine Colendisſime,

NOn dubito quidem, Veſtræ Majeſtati jam conſtare de meo in Poloniam adventu, qui fuit die 27. Februarii, ſuperatis ſumma cum difficultate

Digitized by Google

paſſuum ac tempeſtatum obſtaculis,
men ſatisfacere fœderis conditionibu
mus etiam ad ſolvendam obſidionem
ſem, prout Deo favente factum eſt, u
nus Mareſchallus magnificus Domin
Nos certiores fecit id factum eſſe;
viam Nobis exercitus ille obſidens
ego etiam libenter illam excipere v
iterum flexit verſus Sendomiriam &
ubi cum Generali Potoczkio ſe con
qui etiam convocatis ad ſe, tam ex
quam aliis militibus, conatur ſeſe no
re, quos quidem aggredi vellem max
nuria commeatuum in illis partibus,
rerum obſtacula impedirent. Quar
cogar, iter continuare verſus Cracovi
præcludantur illos aggrediendi.
Majeſtas quantocyus de diſpoſition
certiorem reddere ne gravetur; ac et
vigilare exercitui Lithuanico, ne ſe
poſſit cum Generali Potoczkio ac rel
peratoria Majeſt. Cancellarium Hun
expedivit, offerendo mediationem, m
tionibus hortando ad paciſcendum cu
ſimiro, ſimulque intimans, quod etia
ſtra Majeſtate jam tractatus ſub bon
nuarentur & Polonis. Nos nullum
tum inituri ſumus, niſi (ſi quando
ret) una cum Veſtra Majeſtate. In
verſentur tractatus illi Veſtræ Majeſta
tionem diligentiſſime expecto. Da

ſtris Noſtris ad Jaroslaviam die 29. Februar. Anno 1657.

Serenisſimæ Majeſtatis Veſtræ

Servitor paratus

Georgius Ragoczy.

CCLVII.

Literæ OLIVERII CROMVELLII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad GVILIELMUM VI. Haſſiæ Landgravium, cui omnem laborem de concordia inter Auguſtanæ Confeſſioni & Reformatorum Sacris addictos ſtabilienda ſuſceptum in caſſum iturum, præſaga mente refert, 1657.

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c. Sereniſſimo Illuſtriſſimoque Principi ac Domino, Domino Guilielmo, Haſſiæ Landgravio. Principi Heresfeldiæ, Comiti in Cattimeliboco, Decia, Ziegenhain, Nidda & Schaumburgo &c.

Sereniſſime Princeps.

AD literas Celſitudinis Veſtræ non ſic altero poſt anno, quod prope jam pudet, reſcripſiſſemus, niſi Nos admodum invitos permulta ſane, eaque graviſſima, quorum curam pro Noſtro in Republica munere, differre non potuimus, interpellaſſent. Quæ enim literæ debebant eſſe Nobis gratiores, quam quæ a Principe religioſiſſimo, majoribus quoque religioſiſſimis orto, de pace Religionis deque concordia Eccleſiarum concilianda ſunt

Digitized by Google

ſunt ſcriptæ; quæ etiam literæ eundem plane animum, idem pacis Chriſtianæ promovendæ ſtudium non ſolum ſuo, verum etiam univerſi fere orbis Chriſtiani opinione ac judicio & ipſæ Nobis tribuunt, & univerſim attributum eſſe gratulantur? Et Nos quidem per tria hæc olim Regna, quid hac in parte ſimus conati, quidque hortando, ferendo, præeundo, divino maxime auxilio effecerimus, & norunt Noſtri plerique, & in ſumma conſcientiæ tranquillitate ſentiunt. Eandem præſertim Germaniæ totius Eccleſiis, ubi acrius fere, jamque diu nimis diſſidetur, pacem optavimus; perque Noſtrum Duræum hoc idem multos jam annos fruſtra molientem, ſi quid eam in rem Noſtra opera conferre poſſet, ex animo detulimus. In eadem Nos etiamnum ſententia permanemus: eandem illis Eccleſiis fraternam inter ſe charitatem optamus: ſed quam ſit hoc arduum conciliandæ pacis negotium inter ipſos pacis, ut præ ſe ferunt, filios, ſummo cum dolore ſatis ſuperque intelligimus. Nam ut utrique, Reformati nempe & Auguſtani, in unius Eccleſiæ communionem aliquando coaleſant, ſperandum vix eſt, ſuam utrique ſententiam ne poſſit vel voce vel ſcriptis defendere, prohiberi ſine vi non poterunt; Vis autem cum pace eccleſiaſtica conſiſtere non poteſt: hoc tantum ſe ſinant exorari, qui diſſentiunt, ut humanius ſaltem & moderatius velint diſſentire, nihiloque minus inter ſe diligere; utpote non hoſtes, ſed fratres in levioribus licet diſſentientes, in ſumma tamen fidei conjunctiſſimos. Hæc Nos inculcando, hæc ſuadendo nunquam defatigabimur; quod ul-

tra eſt, humanis neque viribus, neque conſiliis datur: Deus quod ſuum ſolius eſt, ſuo tempore perficiet. Tu interim, Sereniſſime Princeps, præclaram in Eccleſias declarationem animi tui, ſempiternum ſane monumentum & majoribus tuis dignum & omnibus poſthac Principibus imitandum reliquiſti. Nos Celſitudini Veſtræ, pro eo ac merita eſt, felicitatem cæteris in rebus, quantum ipſa cupit, mentem ea, quam nunc habet, haud meliorem (quid enim poteſt eſſe melius?) a Deo Opt. Maximo precamur.

Celſitudinis Veſtræ

Weſtmonaſterio die - -
Martii 1657.

Studioſiſſimus
Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ.

CCLVIII.

Litera Intercesſionales ab OLIVERIO CROMWELLIO, *Reipublicæ Angliæ Protectore, pro Joanne Jameſono Nautleri munere functo, ſed naufragium aliena imperitia & culpa bis paſſo, ad* JACOBUM, *Curlandiæ Ducem, ſcriptæ,* 1657.

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Serenisſimo Principi Duci
Curlandiæ.

Sere-

Digitized by Google

Sereniſſime Princeps.

DE benevolentia Celſitudinis erga Nos Veſtræ & alias, & tum quidem abunde Nobis conſtitit, cum Oratorem Noſtrum ad Moſcoviæ Ducem iter facientem, & in ditione Veſtra per aliquot dies commorantem hoſpitio benigne accepiſtis: nunc juſtitiæ & æquitatis ſuæ haud leviora indicia daturam eſſe Celſitudinem Veſtram & ſuopte ingenio & noſtro rogatu confidimus. Cum enim Joannes Jameſonus Scotus, navis cujusdam Veſtræ Magiſter, fidelem naucleri operam ſeptennioq; cognitam Vobis navaverit, ſeque illam navem Balenam ſibi commiſſam, in oſtio fluminis, ut mos eſt, gubernatori Veſtro appellendam in portum tradidiſſet, eumque imperite ſuo munere fungentem, quod ſolum potuit, ſæpius monuiſſe multis teſtibus probaverit, non ejus profecto culpa, ſed gubernatoris vel imperitia vel pervicacia fractam eſſe navem nemini non liquet. Quod cum ita ſit, a Celſitudine Veſtra majorem in modum petimus, ut ſupradicto Joanni Magiſtro neque illud naufragium imputare, neque eum idcirco ſtipendio debito velit privare; cujus ſpe ſola, jam altero naufragio bonis omnibus amiſſis, ſe utcumque in extrema inopia ſuſtinet & ſolatur.

Celſitudinis Veſtræ

Ex Aula Noſtra
Weſtmonaſterii die —
Martii An. Dom. 1657.

Studioſiſſimus
Oliverius, Protector Reipublicæ
Angliæ &c.

CCLIV.

CCLIX.

Litera a S. R. IMPERII ELECTORUM, PRINCIPUM AC STATUUM LEGATIS, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, e dieta Francofurtenſi exarata, a quo, ut mediationis curam a Cæſarea Majeſtate utrique parti oblatam amplecti haud gravetur, officioſe contendunt, 1657.

Sereniſſime & Potentiſſime Rex, Domine Clementiſſime.

NOn dubitamus, quin illæ, quæ ab inferioris Saxoniæ Circuli Directoribus ad hunc Sacri Romani Imperii Ordinum Deputationis conventum exaratæ ſunt literæ, etiam ad Regiam Majeſtatem Veſtram hujus tenoris delatæ ſint, quod Germanici Imperii corpore vix dum ſanato ex vicinia vulnus denuo metuendum ſit, niſi debita providentia mature præveniatur, quæ dum ad deliberandum in medium proponuntur, ſupervenit Regiæ Poloniæ Majeſtatis huc miſſus legatus, reddiditque ſcriptum, unde Regiæ Majeſtati Veſtræ, procul dubio conſtat, de quo memoratus Poloniæ Rex conqueratur, & ad quæ ultra ſe offerat. Cum autem iſta Germaniæ impendens calamitas ab eo, quod inter Veſtram & prædictam Regis Poloniæ Majeſtatem intercedit, diſſidio pullulare, & mutuæ partium belligerantium reconciliatio maximum ad Securitatem Romani Imperii momentum conferre, hancque ſine ulla, hinc & inde facile ſubnatis, invaſionum cauſis aut prætextibus non parum pericli-

Digitized by Google

clitari videatur; Non potuimus quin memoratum Poloniæ Regem ad celerrimam æquæ ac ſinceræ pacis amicitiæque redintegrationem cum Majeſtate Veſtra ineundam Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum nomine, ea qua licuit, animi contentione in eis, quæ ad prædicti Regis Legati ſcriptum reſpondimus, exhortaremur, nec de illius propenſa ad id voluntate nihil dubitantes, cumque eorundem Romano-Germanici Imperii Statuum hoc unanimis erga Majeſtatem Veſtram ſit confidentia, quod & ipſa Germaniam non ita pridem paci reſtitutam ab omni hoſtilitate & invaſione quam diutiſſime ſalvam, incolumem & tranquillam conſervari deſideret, rogamus pariter Majeſtatem Veſtram Regiam humillime, ut æquam & ſtabilem pacem a Romano Imperio non minus, quam ipſa Polonia exoptatam, & per quam præter publicæ tranquillitatis fundamentum & augmentum in univerſum Chriſtiani nominis gregem plurima ſecuræ conſervationis commoda redundant, Regia proferre generoſitate cum Poloniæ Rege Regnoque propediem redintegrare & firmare velit, præterea ut res eo felicius celeriusque ſuccedat, Nos Electorum Imperii Legati, juſſu & nomine eorundem Cæſaream Majeſtatem, Dominum noſtrum Clementiſſimum, ut etiam ſuum, quod rogata inter Veſtram & Poloniæ Regis Majeſtates ſuſcepit, & utrique Regi obtulit mediationis ſtudium, accedente Electoralis Collegii cooperatione ad promovendam Poloniæ pacem ſerio continuare velit, humillime imploramus, & ut Majeſtas Veſtra illi Cæſareæ mediationi, Electo-

rum-

rumque, adjunctioni locum dare velit, decenter & instanter rogamus. Quod superest, Regiæ Majestati Vestræ Nos Electorum, Principum & Statuum Legati officia nostra offerimus humillima, & cum apprecatione omnis prosperitatis Eam divino patrocinio devotissime commendamus. Datæ Francofurti ad Mœnum 23. Martii, 1657.

CCLX.

Literæ LEGATORUM S. R. IMPERII ELECTORUM, PRINCIPUM ET STATUUM, ad JOHANNEM CASIMIRUM, Poloniæ Regem, e dieta Francofurtensi datæ, quibus eum, ut pacifica studia amplecti, & Polonos ab infestis in Germaniam irruptionibus justa severitate arcere dignetur, impense rogant, 1657.

Serenissime ac Potentissime Rex,
Domine clementissime.

QUas Regia Majestas Vestra ob Regiæ Sueciæ Majestatis, & Sereniſſimi Electoris Brandenburgici exercitus in Germania lectos & ex eadem in Poloniæ Regnum hostiliter deductos, quodque illi quotidianis delectibus suppleantur, per ablegatum suum generosum Dominum Morsteinium adhunc Sacri Romani Imperii Ordinum Deputationis conventum deferri voluit querelas, in hoc potissimum consistere percepimus, quod se bona fide Paci Monasterienſi ab utraque parte inclusam esse existimarit. Ideoque nihil non amicum ab Imperio multis etiam transactionibus Regno Regibusque Poloniæ amico expectarit, indeque desideret, ut illi rei per hunc conventum lege vel per-

ſuaſione, obviam eatur, cum viciſſim Regia Majeſtas Veſtra ſuo & Reipublicæ nomine promittat, ſe ſuumque Exercitum nihil adverſus ullum Principem vel alium Imperii Statuum molituram, ut nec hactenus, habito reſpectu Imperii, ſuos aliquoties hoſtium finibus admotos exercitus eosdem ingredi paſſa ſit. Ut igitur ea, qua decet, reverentia Regiæ Veſtræ Majeſtati reſpondeamus, monitique Inferioris Saxoniæ Circuli Dīrectorum literis, quorum copia hic adjuncta eſt, publicæ Sacri Romani Imperii ſecuritati, & cum vicinis amicitiæ conſulamus, conſtat publice hanc ſemper fuiſſe, & etiamnum eſſe Germanicæ Nationis libertatem, ut militiam ſecuturi eas, quas velint partes, niſi publice in Imperio vel a Statibus Imperii in ſuis Provinciis prohibeatur, eligere poſſint, idque in tantum Imperii ſanctionibus ſtabilitum eſt, ut extero cuicunque Principi in Germania militem conſcribere volenti, ſecundum certam in prædictis ſanctionibus expreſſam legem id ſoleat permitti, & hanc libertatem plurium exterorum Regum, Principum & Rerum publicarum exempla, quin & Regiæ Majeſtati Veſtræ in noviſſimo Imperiali conventu Ratisbonenſi certo modo facta conceſſio in hodiernum usque diem teſtantur, incolumi ſemper omnium belligerantium cum ſacro Romano Imperio pace & amicitia, quam cum etiam cum Regia Majeſtate Veſtra inpoſterum ſemper conſervare merito ſtatuerit, non eſt, quod ex lectione hoſtium ſuorum militis in Germania judicet vel ſuſpicetur, Sacri Romani Imperii Electores, Principes & Status Regiæ Majeſtatis Veſtræ in nupera

Weſt-

Weſtphalica pacificatione ſincere & bona fide comprehenſæ ullatenus immemores, aut conſilio auxiliove hoſtibus ejus fore, ut Regnum Poloniæ maximopere obſervandum, & pactis ſibi amicum, ex Imperio lædatur, quin conſtare Regiæ Majeſtati Veſtræ non dubitamus, quod Sacrum Romanum Imperium id unice deſideret, ut Pax Poloniæ quam citiſſime reducatur, & ne nos huic ſaluberrimæ intentioni deeſſe videamur, Sacram Cæſaream Majeſtatem, ut & Regem Sueciæ, & Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum literis ad eundem pacis ſcopum collimantibus humillime, ſubmiſſe & decenter adire ſtatuimus, quod ut ſine mora & ſerio facimus atque effectu non carituram ſperamus, ſic idem pacis, utpote omnium rerum optimæ propenſum ſtudium & deſiderium Regiæ Veſtræ Majeſtati enixe commendamus; præterea & nos Electorum Imperii legati conſideratione cum dignum arbitremur, quod Sacra Cæſarea Majeſtas dudum rogata inter Reges belligerantes mediatoris partes in ſe ſuſcepit, & præfatos Electores, Dominos noſtros clementiſſimos, ut ſuam quoque hac in re operam & ſollicitudinem conferrent, eamque Cæſareæ conjungerent, requiſivit, qui etiamnum nihil magis in votis habent, quam ut ſua Cæſarea Majeſtas ſalubri huic intentioni inhærere dignetur, Regia vero Sueciæ Majeſtas & Sereniſſimus Elector Brandenburgicus eidem locum dare non graventur. Id vero impenſius Regiæ Majeſtati Veſtræ commendare ſupersedemus, cum ipſa ſuam in hoc propenſam voluntatem jam ante ſatis declaravit, Nos autem Elec-

ctorum, Principum & Statuum Imperii Deputatorum Legati & Mandatarii universim certo speramus & confidimus, Regiam Majestatem Vestram id quod inter ipsam Regnumque Poloniæ cum Sacro Romano Imperio intercedit amicitiæ vinculum, plane integrum & intactum esse conservaturam, neque passuram, ut Germaniæ Provinciæ, quæ cum præsentibus motibus bellicis nihil habent commune, nullis posthac incursionibus turbentur, quas quemadmodum Vestræ Regiæ Majestatis injussu esse factas ipsamet testatur, ita cum eas prohibere in Regia Majestate Vestra situm sit, non possumus, quin eandem Sacri Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum nomine hisce literis etiam atque etiam rogemus, milites suos & copias a deprædationibus & infestis irruptionibus in Germaniæ Provincias justa severitate arcere, atque eo pacto æquitatis simul & justitiæ gloriam sibi comparare, sacrum vero Romanum Imperium ad reciproca amicitiæ & bonæ vicinitatis studia magis magisque obstringere velit. Quod superest Regiæ Majestati Vestræ officia nostra offerimus humillima, & cum apprecatione omnis prosperitatis eam divino patrocinio devotissime commendamus. Datæ Francofurti ad Mœnum 23. Martii 1657.

CCLXI.

Litera OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Anglicanæ, ad* CONSULES ET SENATORES REIPUBLICAE *Gedanenses, quibus Königsmarckium inter primos Suecorum Duces insignem, suorum proditione in portu Gedanensi interceptum,*

ptum, vel plane dimittendum, vel liberiore ſaltem cuſtodia habendum cupit, 1657.

Oliverius Protector Reipubl. Angliæ &c. Ampliſſimis Conſulibus ac Senatoribus Reipubl. Gedanenſis S. P. D.

Ampliſſimi, Magnifici Viri, Amici chariſſimi.

URbem Veſtram induſtria, opibus & optimarum artium ſtudiis florentem, cum nobiliſſimis quibusque urbibus ſemper eſſe duximus conferendam: nunc poſteaquam in hoc bello, quod Veſtris jamdiu in finibus geritur, Polonorum ſequi partes, quam Suecorum maluiſtis, ſane & Religionis cauſa, quam colitis, & commercii, quod cum Anglis vetuſtum jam habetis, optavimus, ut ea Vobis maxime conſilia placerent, quæ cum Dei gloria Urbisque Veſtræ dignitate ac ſplendore viderentur eſſe conjunctiſſima. Quocirca petimus pro amicitia, quæ Vobis cum Anglorum gente multo uſu firmata jam diu conſtat, & ſi qua in gratia apud Vos Noſtrum quoque nomen eſt, ut inſignem inter primos Suecorum Duces Conismarcum, egregium, præſertim bello, virum caſu & ſuorum proditione mari interceptum belli lege, non acerbiſſime adhuc geſti, dimittere velitis, ſin id minus Veſtris rationibus convenire arbitramini, ut leniore ſaltem ac liberiore cuſtodia habendum cenſeatis. Utrum horum Vobis faciendum decreveritis, id profecto imprimis, quod exiſtimatione urbis Veſtræ dignum eſt, decernetis; deinde ab

omnibus præclaris belli ducibus magnam gratiam inibitis ; nos denique, quicquid id Veſtra intereſſe putatis, haud mediocri ſane beneficio devincietis.

Veſtrarum Amplitudinum

Ex Aula Noſtra Weſtmonaſterii, die — Apr. Anno Domini 1657.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector
Reipubl. Angliæ &c.

CCLXII.

Literæ fiduciariæ ab OLIVERIO, *Anglicanæ Reipublicæ Protectore, Richardo Bradshaw, Oratori ſuo ad* ALEXIUM MICHAELOWITZIUM, *Magnum Ruſſiæ Ducem traditæ, 1657.*

OLIVERIUS, Protector Reipublicæ Angliæ &c. Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Domino Imperatori Ducique Magno univerſæ RUSSIÆ, ſoli Domino Voladomæri, Moſchoæ, Novogradi, Regi Cazani & Aſtracani, Syberiæ, Domino Vobſcoæ, Magno Duci Schmolenchi, Tverſcojæ & aliarum, Domino ac Magno Duci Novogrodæ, inferiorumque Regionum, Zernigoi, Rezanſcoæ & aliarum, Domino omnis Plagæ ſeptentrionalis, item Domino Eveſcoæ, Cartalinſcæ, aliarumque permultarum, S. P. D.

ANglorum genti cum Imperii Veſtri populis vetus amicitia magnusque uſus, id quod nemo neſcit,

Digitized by Google

neſcit, ampliſſimumque commercium jam diu fuit; illa vero virtus ſingularis, Imperator Auguſtiſſime, qua majoribus ſuis Majeſtas Veſtra longe prælucet, & quæ de ea eſt vicinorum omnium Principum opinio, potiſſimum Nos movet, ut Majeſtatem Veſtram & eximio ſtudio colamus eique communicata cupiamus, quæ & rei Chriſtianæ & rationibus Veſtris haud parum conducere, nec minus nominis veſtri gloriæ ſervire poſſe exiſtimemus. Quapropter ornatiſſimum Virum Dominum Richardum Bradshaw, ſumma fide, integritate, prudentia, uſuque rerum, ex aliis etiam legationibus, Nobis cognitum, ad Majeſtatem Veſtram miſimus oratorem; qui & ſingulare erga Vos Noſtrum ſtudium ſummamque obſervantiam Vobis exponat, & ſupra dictis de rebus agere cum Majeſtate Veſtra poſſit. Eum itaque ut benigne Noſtro nomine accipiatis, eique ut, quoties commodum erit, liberum aditum auresque benignas, fidem denique in iis omnibus, quæ propoſuerit, aut transegerit, eandem atque Nobismetipſis, ſi coram adfuiſſemus, præbere velitis rogamus; adeoque Majeſtati Veſtræ atque Imperio Ruſſico fauſta omnia a Deo Optimo Maximo precamur.

Majeſtatis Veſtræ

Ex Aula Noſtra Weſtmonaſterii die — Apr. Anno Domini 1657.

Studioſiſſimus

Oliverius Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCLXIII.

Litera a JOHANNE GEORGIO II. Saxonum Electore, ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem exaratæ, cui mœrorem animi ſui ex præmatura FERDINANDI III. Rom. Imperatoris morte conceptum compatiens declarat, 1657.

Sereniſſime Rex.

QUanto ob obitum Sereniſſimi & Potentiſſimi Principis ac Domini, Domini Ferdinandi III. Electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti &c. &c. Domini Noſtri Clementiſſimi, glorioſisſimæ memoriæ, affecti ſimus dolore, eoque acerbiſſimo, ex devoto, quantum fieri potuit, erga ſacram Cæſaream Suam Majeſtatem cultu Noſtro, & devincti animi profeſſione ſatis luculenter colligi poteſt. Multiplicantur ſuſpiria, cum difficultates & pericula, quæ Sacrum Romanum Imperium circumſtant, ponderamus, Imperiique Status eo mœſtiores redduntur omnes, cum eo tempore tam glorioſisſimo Capite ſe orbatos videre oporteat, quo tanto Imperatore, qui malorum ingruentium tempeſtati occurreret, pacemque & ſecuritatem, quam immortali laude Sacro Romano Imperio reddidit, ſingulari fortitudinis & prudentiæ exemplo aſſereret & confirmaret, qua plurimos opus habere omnibus conſtat. Verum cum omnium rerum moderator directum ſibi in quæcunque Imperia eorumque gubernatorem Dominium atque de ipſorum inceſſu ac receſſu, quam liberrimam diſpoſitionem reſervaverit, Noſtrum

eſt

eſt divinæ voluntati morem gerere, Noſtrasque ſpes in ſolam Ipſius clementiæ curam & providentiam integerrima reponere fiducia, inexhauſtam ſuam bonitatem obnixe implorantes, ut Regiam Majeſtatem Veſtram ſerenisſimamque Domum Auſtriacam, nec minus orbatum jam Imperium Romanum quam efficacisſime conſolari, omnesque adverſos triſtesque caſus potenti manu avertere & felicisſimo quam primum eoque ad exemplum nuper defuncti Noſtri immortali gloria dignisſimi, Capite ac Imperatore, Nos egregiamque Chriſtianam Rempublicam beare non dedignetur. Florebunt interea & ad ſeram usque poſteritatem incomparabiles Sacræ Cæſareæ ſuæ Majeſtatis virtutes, & ut maxima Ipſius merita Germaniam totam ſibi ſuisque mirifice obſtrinxerunt; ita ab omni oblivione, quantum in Nobis eſt, vindicare quacunque ratione contendemus, & pro incremento ac felicitate Serenisſimæ Domus Auſtriacæ, veſtigiis Prædeceſſorum Noſtrorum inſiſtentes, omni ſtudio allaborare non deficiemus. Quibus Regiæ Serenitati Veſtræ pro reciproca in utramque Domum recepta conſervataque ſemper confidentia Noſtrum in triſtisſima hac ſorte dolorem compatientes declarare, ſimulque officia Noſtra ex omni parte paratisſima ſincero affectu polliceri merito judicavimus; Quam ſupra votum feliciter valere ac pervivere precamur. Dabantur Dresdæ die 28. Aprilis 1657.

Johannes Georgius II. Elector
& Vicarius.

Digitized by Google

CCLXIV.

Litera CAROLI GUSTAVI, Suecia Regis, ad JOHANNEM PHILIPPUM, Electorem Moguntinum, quibus ipsi causas belli in Sueciam destinati, a FRIDERICO III. Dania Rege, allegatas insufficientes & quodam juris fuco saltem illitas esse demonstrat, & S. R. Imperii auxilia Provinciis suis per Germaniam defendendis impendenda ex præscripto Pacis Westphalicæ exposcit, 1657.

Nos Carolus Dei Gratia, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex &c. Reverendissimo & Illustrissimo Principi, Amico nostro charissimo, Domino JOANNI PHILIPPO, Archiepiscopo Moguntino, Sacri Romani Imperii per Germaniam Archi-Cancellario & Electori, Episcopo Herbipolensi & Franconiæ Duci, salutem & prosperos rerum successus!

Reverendissime & illustrissime Princeps, Amice charissime.

EX quo nobis singulari Dei providentia obtigere primum Regni Suecici armorum per Germaniam generalis directio, & deinde ejusdem Regni Suecici Imperium & summa potestas, curæ cordique nobis semper fuit, ut quæ tum Osnabrugis & Monasterii Westphalorum jacta erant fundamenta pacis, incrementum sumerent, & ad fastigium optatum pervenirent, ipsa vero pax immenso labore & studio ab omnibus interessatis quæsita, tandemque etiam singulari Dei beneficio ob-

obtenta, effectu & executione, atq; adeo vigore ſuo perpetim gauderet. Ei fini etiam motus illos, qui circa Regiminis Noſtri Regii primordia in Ducatu Bremenſi orti erat, quantum in Nobis fuit, ſedavimus, omniaque alia Imperii Romani tranquillitati poſthabuimus. Et ex quo Polonicum hoc bellum ſuſcepimus, in id omni cura incubuimus, ut pace inter Nos & Regem Rempublicamque Poloniæ conſtituta, imperii Romani fines ab ea parte a tot ingruentium populorum inſultibus tuti redderentur. Verum dum tam ſalutari pacis negotio operamur, impedimenta aliunde objiciuntur, non alia intentione, quam ut Polonia tantiſper in ſuis calamitatibus volutetur, dum omnia deſtinatis quorundam exterorum opportuna deprehenderentur. In iis merito numeramus Regem Daniæ, quippe qui ſpe recuperandi Provincias noviſſimo bello Danico amiſſas incenſus, Nos equidem ſpecie cujusdam tractatus ſuſpenſos & pene implacabiles reddidit, ut ſub eorum bellis commodam occaſionem rumpendi pacem aucuparetur. Jam diu equidem tota hæc techna Nobis fuit ſuſpecta, & tanti apparatus cauſas a parte Daniæ videre geſtivimus: Poſtquam vero nuper Nobis videre licuit jus Feciale Daniæ armatæ, non minus titulum, quam nexum cauſarum, cumprimis vero Rege & Principe Chriſtiano indignas quasdam formulas ceu famoſi cujusdam libelli portenta, miramur. Quia vero inter allegatas cauſas primo loco, collocatur prætenſio in Ducatum Noſtrum Bremenſem, & inſuper intelligimus non modo dictum Noſtrum Ducatum & Wismariæ adjectas præfecturas armis Danicis

nunc

Digitized by Google

nunc infeſtari, ſed conſilia etiam a Rege Daniæ & magnis ejus (ut ipſe eos vocat) Fœderatis agitari, quomodo provinciis Noſtris in Germania excutiamur, ideo cum ad impedienda talia nunc cum exercitu in imperium properare neceſſe habeamus, hisce Noſtris literis Dilectioni Veſtræ aperire voluimus initia & contextum negotiorum, quæ Nos inter & Regnum Daniæ nunc agitantur, ut ex iis judicet, quam inique Rex Daniæ hanc ſuam telam pertexuerit, quodque Nos exercitum Noſtrum per Imperii Provincias ducere & ibidem ad neceſſariam defenſionem Nos parare adigamur. Poſtquam Rex Poloniæ, Joannes Caſimirus, contra Regum & Regni Sueciæ decreta & ipſa pacta Stumdorfiana auſus fuit Anno 1654. coram Sereniſſima & Potentiſſima Sueciæ Regina, Chriſtina, tum Sceptrum Regni Sueciæ abdicatura, in ipſis Comitiis Upſalienſibus per Deputatum ſuum Canaſiles, non modo proteſtari contra translationem Regni Suecici in perſonam & ſtirpem Noſtram, ſed etiam apud quosdam OrdinumRegni Noſtri moliri quædam intoleranda contra nos & Statum Noſtrum; & quæ juſſu Noſtro, Noſter Regnique Noſtri Cancellarius per dictum Canaſiles Regi Poloniæ repræſentavit, ſpreta & contempta vidimus, cumprimis vero Polonos in Dania & alibi requirere permiſſionem transferendi contra nos claſſem in mare Balticum, aliaque tam apud Coſſakos, quam alibi in Noſtri præjudicum machinari, neceſſitas Nobis tum impoſita fuit, non modo ſumere arma contra Regem Poloniæ, juri Noſtro hæreditario tam ſuperbe inhiantem & pactorum

rum fidem ſusque deque habentem, ſed etiam, aperire Noſtris vicinis, & cum primis Regi Daniæ cauſas ſuſceptorum armorum contra Poloniam & animum tranſigendi cum Rege Daniæ ſuper cuſtodia & tutela maris Baltici, ne quæ Poloniæ Rex agitavit conſilia de claſſe peregrina in mare Balticum introducenda, in alterutrius Regni præjudicium vergere poſſent. Notificationem Noſtram de bello Polonico ſuſcepit Rex Daniæ amice; Alterum quoque, ut utraque Regna mutuo fœdere in defenſionem maris Baltici vincularentur, judicavit fore e re utriusque Noſtrum atque propterea mox conſtituit certos Commiſſarios, qui congreſſi cum Noſtro Reſidente rem totam penitius conſiderarent & fœdus mutuum conciperent. Ubi fœderis illius formula fuit concepta, & inter utriusque partis Commiſſarios ſæpius ventilata, imo in Februario Anni 1656. eo perducta, ut fœdus utrinque pro concluſo haberetur, ibi tum inſtant Danici Commiſſarii, ut Ordines Generales fœderati Belgii dicto Fœderi includerentur. Interrogati ergo Commiſſarii Danici a Reſidente Noſtro de modo incluſionis, utrum ne clauſula generali, aliis ſcilicet pactis & fœderibus ſueta, an vero quoad particulares Fœderati Belgii rationes inſertos cuperent, nihil aliud reſponderunt, quam quod Rex Daniæ conſtituiſſet ad Nos, tum in Boruſſia agentes, mittere ſuum Reſidentem, qui deſuper plenius & Noſtram mentem perciperet, & Regis Daniæ intentionem explicaret: Venit equidem in Boruſſiam dictus Reſidens, in Majo aut Junio ejusdem anni, ac de quibusdam ad dictum tractatum faci-

facientibus Nobiscum & cum Miniſtris Noſtris diſſeruit, ſed de modo dictæ incluſionis rurſus interrogatus reſpondit, ſe non eſſe de eo penitus inſtructum, ac propterea velle ſcribere ad Regem ac Dominum ſuum. Et quia ad ſequentium intelligentiam facit, hic etiam referendum eſt, quod ſcilicet abiturientibus Nobis ante biennium e Regno Noſtro, Rex Daniæ per Miniſtrum ſuum ſignificaverit, committi a Noſtratibus circa certificationes in Oreſundio exhibendas, quæ pactis repugnarent, quodque ejusce rei remedium amice poſtulaverit. Nos annuentes tali poſtulato publicatis literis ad ſubditos Noſtros in freto Danico navigantes, interminati ſumus, ne quicquam quoad certificationes reprehenſione vel minima dignum contra pacta committerent, & ſimul injunximus Noſtro Reſidenti in Dania, ut collatis rationibus cum Danicis Miniſtris & intellecta tota re, curaret, ut quæ liquida & pactis conſentanea deprehenderet, religioſe obſervarentur: quæ vero ulteriori enodatione egerent, ad Nos & Noſtram notitiam quantocyus perferrentur, quo remedia ex lege pactorum iis quantocyus adhiberemus. Quamdiu ſupradictum fœderis negotium inter Noſtrum Reſidentem & Danicos Miniſtros ventilatum fuit, non venere in eam conſiderationem aliqua Daniæ gravamina; ſed quomodo Noſtra duorum unio in maris Baltici defenſione ſibi conſtaret. Interea vero, & dum Dania ſimulat, ſe fœderi Nobiscum pangendo laborare, aſtu quodam non ſolum unito Belgio perſuadere conatur, fœderi illi inter Nos & Regem Da-

Digitize by Google

Daniæ ſanciendo inſpergi a Nobis multa Statui Unitarum Provinciarum nociva; ſed in Moſcovia etiam eorum conſiliis ſua ſociat, qui Moſchorum Ducis arma in Nos concitare, e re ſua tum futurum judicabant. Atque ut tum omnia ſuis conatibus & conſiliis aggrediendi Nos, opportuna judicavit; Ita etiam Senatus Danicus d. 15. Julii Anni 1656. ſatis aſperas, & non niſi bellum ſpirantes literas ad Noſtros Regnique Noſtri Senatores ſcripſit. Mittitur eodem circiter tempore ad Nos e Generalibus Fœderati Belgii Ordinibus ſolennis Legatio, quæ cum alia mutuos ſtatus concernentia, tum imprimis de renovandis antiquis fœderibus & pactis nobiscum egit, & Elbingæ d. 1. Sept. Anno 1656. cum Commiſſariis Noſtris certa & deſuper erecta pacta concluſit, in quibus inter alia utrinque conventum fuit, ut Civitate Gedanenſi iis pactis comprehenſa, in poſterum utrinque omnis ceſſaret hoſtilitas, & priſtinus inter Noſtros ſubditos & dictam Civitatem conſervationis & Commerciorum uſus refloreſceret, ſalva tamen & integra fide, quam dicta civitas Regi Poloniæ debet. Quando ergo ſparſarum a Danis ſimultatum materies in Belgio ſublata videbatur, & Gedanenſis Civitas fœdere comprehenſa erat, Moſchorumque Duci Urbis Noſtræ Rigæ oppugnatio non cedebat ex voto, tum Daniæ Rex iterum ad amicas compoſitiones animum convertit. Nam cum Sereniſſimus & Celſisſimus Dominus Elector Brandenburgicus, miſſo in Daniam Legato ſuo, injiceret mentionem de neceſſitate & utilitate bonæ intelligentiæ inter duo Regna ſeptentrionalia, cum amica

ca forte cohortatione ad pacem colendam, ibi Rex Daniæ peculiari ſcripto declaravit, ſe paratum eſſe reaſſumere ante inchoatum & aliquanto intervallo interruptum tractatus negotium. Quod cum Nobis fuit relatum, priſtinam eamque conſtantem animi Noſtri promptitudinem tam ſcripto erga Dominum Electorem Brandenburgicum, quam renovatis mandatis ac procuratorio pro Reſidente Noſtro in Dania agente teſtatam fecimus. Et quandoquidem Regi Daniæ propoſitum fuit non componere res, ſed inſidiari tempori & occaſionibus, ideo primum in plenipotentia, quam Noſtro Reſidenti transmiſimus, & deinde in ipſo tractandorum negotio omnes tergiverſationum latebras aucupatus eſt. Plenipotentia autem a Nobis miſſa aptata erat negotio fœderis, de quo agi cœptum fuit, ac propterea nullius vitii argui potuit. Quia tamen Commiſſarii Danici cauſabantur temporum & rerum mutationem, & ideo procuratorium ampliori forma, quam prius fuit, inſtanter urgebant, eidem eorum poſtulato, licet intentionem Daniæ proderet, locum dedimus. Procuratorium ergo ad eum fere modum, ut Dani poſtulaverunt, edi curavimus, cum talibus mandatis ad Noſtrum Reſidentem, ut ſi Rex Daniæ ſalvis pactis Bromſebroenſibus de Anno 1645. vellet nunc præter fœderis conditiones, etiam certa conventione obliteratum ire ea, quæ forte hoc bello Polonico contra leges pacis & amicitiæ apud alios in Noſtri præjudicium machinatus fuerat, Noſter quoque Plenipotentiarius in eam pariter ſententiam conſentiret & curaret, ut pactorum conventorum conſummatio & publi-

Digitized by Google

publicatio in limitibus utrorumque Regnorum fieret. Quod ſi etiam iterum (ut circa abitum Noſtrum a Regno Noſtro factum fuit) de gravaminibus tollendis, mentio a Danis injiceretur, conteſtaretur, Nos, accepta rei informatione velle remedium adhibere promptiſſimum; Et ſi ea conteſtatione non forent contenti, pactis inſeri curaret, ut Commiſſarii utrinque conſtituantur, qui in finibus Regnorum utriusque partis querelas examinarent & iis mederentur. In congreſſu ergo poſt commutatas Plenipotentias tentavit quidem Noſter Reſidens, ut veſtigiis & projectis aliquamdiu intermiſſis inſiſteretur, ſed quia Danici Commiſſarii diverſum urgebant, & novam tractandi materiam proferebant, cum certis reſervatis, ſe in hoc etiam voluntati eorum accommodavit. Prætendebatur autem a parte Daniæ, urbem Gedanenſem contra pacta Bromſebroenſia vectigalium oneribus eſſe gravatam, & commerciorum curſum in mari Baltico turbatum; imo detrimenta magna illata vectigalibus & reditibus Danicis, tam per commerciorum turbationem, quam propterea, quod Noſtrates per incertas & commentitias certificationes telonia fraudaverint. Hæc omnia & quæ præterea in jure feciali de Regni Daniæ ſupremo Aulæ Miniſtro, Domino Corwiz Ulefeld, quem primum Sereniſſima & potentiſſima Regina Chriſtina, & deinde ejus exemplo Nos freti jure gentium & pactis duorum Regnorum, protectione Noſtra Regia dignamur; ut & de tribus Parochiis Angershuſenſibus aliisque ejus generis afferuntur, quandoquidem regnum Noſtrum proprie concernunt, & operoſiorem de-

ductionem requirunt, ideo ea alii tempori & uberiori explicationi reſervamus. Hoc tantum coram Dilectione Veſtra attigiſſe juvabit, Nos ſcilicet memores non modo ſupradictorum pactorum Bromſebroenſium, ſed commercii etiam, quod ſubditis Noſtris cum Urbe Gedanenſi jamdiu intercedit, tum, cum arma contra Poloniam ſtringere decrevimus, per Miniſtrum Noſtrum Gedani agentem repetitis vicibus ea omnia Civitati Gedanenſi obtuliſſe, quæ ſtatus ejus ſalutem, priſtinam conſervationem & florentem commerciorum uſum concernerent, modo ipſa bello Polonico ſe non immiſceret, nec ope & auxilio aliquo adeſſet hoſtibus Noſtris. Ubi vero pro benevolis ejusmodi & omni præjudicio vacuis oblationibus ludibria referebantur, & Civitas Gedanenſis Poloniæ motibus ſe ingerens ipſo facto ſe quoque privabat tractatuum Bromſebroenſium beneficio quoad Sueciam, tum equidem juſſimus, ut claſſis noſtra excubaret ad portum Gedanenſem, ſed nullo edito commerciorum præjudicio, nedum hoſtilitatis indicio. Quod vero in claſſis aliqualem ſuſtentationem a commeantibus navibus poſcebatur vectigal, adeo erat exiguum & moderatum, ut vix vectigalis nomine cenſeri poſſit. Quin imo, ubi animadvertimus hoc ſecus accipi ab Amicis Noſtris, non modo claſſem eodem anno 1655. inde deduci fecimus, ſed ſequenti etiam anno 1656. d. 1. Septembris (ut ſupra relatum) dictam civitatem Gedanenſem comprehendi pactis Elbingenſibus. Quemadmodum vero Regi Daniæ diſplicuit Renovatio fœderis cum Generalibus fœderati Bel-

gii

gii Ordinibus, & propterea ab eo die id unice egit, ut ratificatione deſtitueretur; ita Magiſtratum quoque Civitatis Gedanenſis, eo temeritatis adduxit, ut, cum pactorum Elbingenſium uſu atque adeo flore commerciorum gaudere nunc poſſet, belli aleam elegerit, & vices varias poſtea experta ſit. Neque enim quisquam, niſi qui affectibus ſuis indulget, affirmaverit, Nos poſtquam dicta Civitas omnes benevolentiæ Noſtræ vias & ipſum pactorum Elbingenſium præſidium ſpreviſſet, in jura gentium peccaſſe, vel vim aliquam naturæ & commerciis (ut loquitur jus feciale Danicum) propterea intuliſſe, quod alveum Viſtulæ, qui Gedanum alluit, obſtruere conati ſimus. Habet Viſtula alterum oſtium, idque grandius, quam Gedanenſe, adeo, ut & naturæ & commerciis in Viſtula adhuc ſalvus ſit curſus: Neque Gedanenſibus Noſtra incepta aliter & diutius nocere poterunt, quam quatenus mala ſua ſibi ipſis accerſere volent. Quod attinet ad gravamina, quæ ſive per fraudulentas certificationes, ſive aliquo modo a Noſtratibus invecta perhibentur, nunquam fuit mens Noſtra, ut delicta relinquerentur impunita, & Daniæ vel in minimo noceretur. Obtulimus Regi Daniæ omnem poſſibilem ſatisfactionem, dummodo pactis, Noſtræque exiſtimationi convenientibus modis res examinari & probari poſſet. Produxit etiam Noſter Plenipotentiarius nominatim multos noſtrorum ſubditorum, qui diverſis & ſpecificatis temporibus in Dania, nunc arreſtis, nunc aliis modis contra expreſſa pacta afflicti ſunt, &

Digitized Google

adhuc omnis remedii & ſolatii expertes manent. Non exegimus a Rege Daniæ, ut ex noſtro ſolius præſcripto, nullo adhibito legitimo examine, ſive ſatisfactio præſtaretur, ſive etiam delinquentes punirentur. Pacta utriusque Noſtrum modum agendi & conveniendi præſcribunt. Ubi ergo Reſidens Noſter vidit, præfinitam in pactis agendi rationem a parte Daniæ in hoc caſu non attendi; ſed ſatisfactiones & aſſecurationes præter æquum & ſatis imperioſe poſtulari, eoque ipſo impeti pacta Bromſebroenſia & potiſſimum Nobis & Regno noſtro tum acquiſitas Provincias; Ad hæc renovari a Rege Daniæ jam dudum cum Archiepiſcopali ejus charactere antiquatam prætenſionem in Ducatum Noſtrum Bremenſem, odioque noſtri & contra pacta Osnabrugenſia & Bromſebroenſia affligi Celſiſſimum Ducem Holſatiæ, Socerum Noſtrum chariſſimum, omniaque in Dania ſpectare ad bellum, ita ut nec dicti Noſtri Reſidentis æquiſſimis rationibus neque Electoralis Brandeburgici Legati & pacis colendæ mediatoris remonſtrationibus officiisque locus reliquus eſſet ullus. Ibi tum Reſidens Noſter de digreſſu ſuo ex Dania mentionem facit, atque ante abitum, iterum Regi & Senatoribus Daniæ demonſtrat, gravamina, quæ utrinque allegantur, invecta contra pactorum tenorem, nec talia eſſe, legitimo examine adhuc probata ſunt, convenientius per utriusque partis ad id conſtitutos Commiſſarios & redintegratos hosce tractatus ſive in loco tertio, ſive etiam in Regnorum Sueciæ & Daniæ confiniis, more ambabus gentibus ante hac uſitato excuti & amicis col-

Digitized by Google

collationibus rationibusque componi. Visi sunt Rex & Senatores Daniæ tunc abiturientis Nostri Residentis demonstrationi & propositio annuere & assentiri. Verum vix Regno Danico excesserat, cum ttes nostræ eæque egregiæ & mercibus onustæ naves, quæ fretæ pactis utrorumque Regnorum & sincerationibus Danorum, fretum Danicum pertransire volebant, ante belli clarigationem in Oresundio rapiuntur, & subditi nostri hostilem in modum habentur. Neque dubitamus, quin hostiles suos conatus contra Regnum nostrum postea ulterius extenderint. Quid in Imperio Romano nunc occeperint, indicant non modo Daniæ jura fecialia, sed etiam ipsa arma & concitatio subditorum Nostrorum ad rebellionem. Inter armatæ Daniæ jura fecialia primó equidem loco ponitur, quod anno 1643. primum contra exemptionem Regi Daniæ, tunc Archiepiscopo Bremensi, datam, Archiepiscopatus ejus armis Suedicis impetitus fuerit, & deinde quod contra Armistitii leges Bremervœrda fuerit a Suecis occupata, & tertio denique, quod contra promissa Commissariorum Suecicorum in Conventu Bromsebroensi, ut scilicet Archiepiscopatus restitueretur, postea dictus Archiepiscopatus, Episcopatus Verdensis Serenissimæ Reginæ & Regno Sueciæ loco satisfactionis obvenerint. Quid hac enumeratione indigitatum velit Rex Daniæ, utrum Archiepiscopatum sibi restitui, an alia ratione sibi satisfieri velit, non satis clare exprimitur. Si anno 1643. intra terminos exemptionis & expers motuum Danicorum mansisset, nemo hostilem pedem in Archiepiscopatum Bremensem intulisset.

Digitized by Google

Neque Officiales ejus legibus induciarum, quæ ſtricti ſunt juris, ſteterunt, atque propterea illis ſolis Bremervœrdæ occupationem attribuat. Commiſſarii quoque Suedici in tractatu Bromſebroenſi non niſi recommendationem rei (ut pacta oſtendunt) in ſe ſuſceperunt. Poſtea in tractatu Osnabrugenſi intervenit propoſitio de cedendis Archiepiſcopatu Bremenſi & Verdenſi in Sueciæ ſatisfactionem. Acta eſt res & ventilata ſatis diu in loco univerſalis tractatus, nomine & autoritate totius Imperii. Adfuit Archiepiſcopi Bremenſis Legatus, qui, quando impedire & irritum reddere non potuit, quod ſummis poteſtatibus ſueto & legitimo modo, cum conſenſu eorum, quorum ſcire hoc, & in id conſentire intererat, actum & transactum fuit, de condigna compenſatione ſui Domini agere cœpit. Quæ utique ab Imperio data fuiſſet, ſi vel ipſe Archiepiſcopus circa id tempus corona Daniæ redimitus, eam habere voluiſſet, vel forte intereſſati, ceſſante jam charactere Eccleſiaſtico, ad tale quid præſtandum obligati fuiſſent. Et relatum Nobis eſt, Ordines Regni Daniæ non ante voluiſſe conferre Archiepiſcopo Regni Daniæ Coronam, quam ubi promiſiſſet ſe velle dememineſſe eorum omnium, quæ ratione Archiepiſcopatus Bremenſis & Verdenſis ſibi accidiſſe imaginabatur, nec eorum cauſa poſthac aliquid prætendere. Quicquid ſupra dictorum invalidum cenſeat Rex Daniæ, nullis tamen rationibus infirmaverit pacem Osnabrugis & Monaſterii factam & concluſam, utpote quam omnes & ſinguli Imperii Romani Electores, Principes ac Status, conſequenter etiam Rex Daniæ, ut Dux Holſatiæ

ſatiæ non modo exhibitis ratificationibus, ſed noviſſime etiam comitiali Conſtitutione Ratisbonenſi, firmam, ſartàm & tectam eſſe juſſerunt. Sub Comitiis quoque Ratisbonenſibus, Sereniſſimam & Potentiſſimam Reginam Sueciæ Chriſtinam, ceu Ducem Bremenſem & Verdenſem compellavit Rex Daniæ, ut opera ejus in dictis Comitiis, ordini & vicibus alternantium Principum inſereretur. Et cum controverſia de Civitatis Bremenſis immedietate ad aulam Imperialem verteretur, & Regina Sueciæ actorum teſtimonium contra nuper emanatum Imperiale Diploma a Rege Daniæ peteret, ſuppeditatum utique fuit egregium atteſtatum, & ipſa ceſſatio Bremenſis immedietatis in originali. Ex quo etiam Reges Sueciæ gerimus titulum Ducum, Bremenſis & Verdenſis, a Rege quoque Daniæ ſine ulla contradictione Nobis datus eſt. Omittitur nunc equidem in jure feciali armatæ Daniæ, incuriane Typographi an myſterio aliquo Danico, non magnopere refert, cum ſcriptum illud, ut in multis aliis, ita in hac quoque parte famoſo libello affine ſit. Nulli certe alii uſui prima hæc inchoati belli ratio inſervit, quam ad complendum numerum. Obtenduntur huic bello quinque potiſſimum cauſæ juſtificatoriæ, quarum tres priores manifeſto quodam juris fuco illitæ, contigere antequam nos rerum in Suecia potiremur; Duæ vero poſtremæ (ut ex ſupradictis liquido patet) non ſuppeditant armatæ Daniæ prætextum, nedum juſtam aliquam & neceſſariam inferendi belli cauſam. Quare cum ex hisce pateat, quibus ſimulationum involucris tectus, & velut velis quibusdam obtenſus de-

liteſcere voluerit Daniæ Rex, usque dum in Nos ditionesque Noſtras irruendi occaſionem reperire poſſet, nunc vero armis ſuis & hoſtili oppugnatione ditionum Noſtrarum transactioni Osnabrugenſi & Monaſterienſi pacique publicæ per Imperium Romanum contravenerit, ipſoque jure & facto pœnam fractæ pacis ceu Imperii Princeps incurrerit. Ideo Dilectionem Veſtram reliquosque Imperii Romani Electores, Principes & Status dictæ transactionis conſortes nunc decenter compellamus, & Dilectionem Veſtram amice requirimus, velit pro ſua parte & autoritate, qua in Imperio pollet, providere, ut ex præſcripto Inſtrumenti Pacis & Conſtitutionum Imperii contra Regem Daniæ ceu Imperii membrum, decernatur, & Nobis ad tuendas Noſtras ditiones, contra injuſta Regis Daniæ arma, mature auxilia mittantur. Quod Noſtrum poſtulatum ut conſentaneum eſt dicto pacis inſtrumento, & pertinet ad conſervandam pacem in Imperio; ita non dubitamus, quin Dilectio Veſtra amore tranquillitatis & pacis publicæ hoc quantocyus ad deſideratum finem promoveat, nobisque reſponſum impertiat. Quibus Dilectionem Veſtram divinæ cuſtodiæ commendamus proſperaque quæque apprecantes. Dabantur Stetini die 7. Julii ſtyl. vet. Anno 1657.

Dilectionis Veſtræ

Bonus Amicus

Carolus Guſtavus.

Edward Philipſon.

CCLXV.

Digitized by Google

CCLXV.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum Regem, quibus Guilielmo Jepsono, Internuntio suo extraordinario summam fidem adhiberi rogat, 1657.

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi, Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ &c.

Serenissime, Potentissimeque Rex, Amice ac fœderate Charissime.

VIr Nobilissimus, Guilielmus Jepsonus, militum tribunus & Parlamenti nostri senator, cui hoc munus honori erit, quod Majestati Vestræ hasce literas dabit, certiorem eam faciet, quanta cum perturbatione ac dolore nuntium accepimus belli istius funesti inter Majestatem Vestram Daniæque Regem coorti; quamque Nobis cordi ac studio sit, nullam Nostram operam aut officium prætermittere, quoad Deus facultatem dederit, ut huic ingruenti malo remedium aliquod mature afferatur, eæque simul calamitates avertantur, quas inferri ex hoc bello Religionis causæ communi necesse erit; hoc præsertim tempore, quo adversarii Nostri contra orthodoxæ fidei professionem & professores cum consilia pernicioſissima, tum vires arctissime conjungunt. Hæc atque alia nonnulla permagni

ad utriusque gentis commoda rationesque publicas momenti adduxere Nos, ut hunc virum ornatissimum, Internuntii extraordinarii præditum munere ad Majestatem Vestram mitteremus: Quem uti amice recipiatis, eique iis in rebus, quas cum Majestate Vestra Nostro nomine communicaverit, summam fidem adhibeatis rogamus; cum is sit, cujus fidei atque prudentiæ Nos quoque plurimum tribuamus. Simul & illud petimus, ut Majestas Vestra Nostram erga se resque suas benevolentiam singularem, atque studium persuasissimum sibi habeat, cujus Nos argumenta certissima per omnem occasionem & propenso animo & officiis paratissimis præbebimus.

Majestatis Vestræ

Ex Aula Nostra West-
monasterii die — Augusti Anno Domini
1657.

Amicus & fœderatus conjunctissimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCLXVI.

Litera fiduciaria, Guilielmo Jepsono, Legato suo Extraordinario, ab OLIVERIO, Anglicanæ Reipublica Protectore, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum data, 1657.

Olive-

Digitized by Goog

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Sereniſſimo Principi Domino Frederico Wilhelmo, Marchioni Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario ac Principi Electori, Magdeburgi, Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnæ & Carnoviæ Duci, Burggravio Norinbergenſi, Principi Halberſtadii & Mindæ, Comiti Marcæ & Ravensbergi, Domino in Ravenſtein.
S. P. D.

Sereniſſime Princeps, Amice ac fœderate Chariſſime.

CUm ea ſit Celſitudinis Veſtræ ſingularis virtus & pace & bello terrarum orbe toto jam clara, ea magnitudo animi atque conſtantia, ut amicitiam Veſtram omnes fere Principes Vicini ambiant, amicum & ſocium nemo fideliorem ſibi aut conſtantiorem cupiat, ut Nos quoque in eorum numero eſſe intelligatis, qui de Vobis Veſtrisque egregiis de Republica Chriſtiana meritis quam optime quamque præclare ſentiunt, Nobiliſimum Virum Guilielmum Jepſonum, tribunum militum, & Parlamenti Noſtri Senatorem ad Nos miſimus, qui Vobis noſtro nomine & plurimam ſalutem dicat, & rebus Veſtris felicitatem omnem ominetur atque exoptet, Noſtram denique benevolentiam ſummumque ſtudium erga Veſtram Serenitatem verbis amplisſimis exponat: eique proinde fidem, iis in rebus, de quibus Vobiscum egerit,

Digitized by Google

rit, eandem habeatis rogamus, ac si a Nobismet-ipsis testata omnia atque confirmata coram essent.

Celsitudinis Vestræ

Ex Aula Nostra West-monasterii, die — Augusti Anno Domini 1657.

Studiosissimus

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCLXVII.

Litera Commendatitiæ ab OLIVERIO, Protectore Reipublicæ Angliæ, pro Guilielmo Jepsono, Internuntio suo ad Suecia Regem Extraordinario ad CIVITATIS BREMENSIS CONSULES & SENATUM scriptæ, 1657.

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ, Amplisimis Civitatis Bremensis Consulibus ac Senatoribus S. P. D.

Amplissimi Magnifici & Spectabiles Viri, Amici Charissimi.

QUi Noster animus erga Vestram Civitatem, quæque benevolentia, cum propter puriorem apud Vos Religionis cultum tum etiam propter

pter urbis celebritatem ſit, & ſenſiſtis alias, & quoties facultas dabitur ſentietis. Nunc cum ornatiſſimus Vir, Guilielmus Jepſonus, tribunus militum & Parlamenti Noſtri Senator, ad Sereniſſimum Regem Sueciæ per Urbem Veſtram Oratoris munere inſtructus iter faciat, hoc tantum in præſentia voluimus, ut & Vos ille peramanter perque amice Noſtro nomine ſalutet, & ſi quid acciderit, in quo Veſtra ope atque amicitia uſus ſibi eſſe poſſit, id uti a Vobis pro Noſtra neceſſitudine peteret. Qua in re non magis defuturos Vos eſſe confido, quam de Noſtro erga Vos amore ſingulari ac ſtudio dubitare debetis.

Veſtrarum Amplitudinum

Weſtmonaſterio ex Aula
Noſtra, die — Auguſti,
Anno Domini
1657.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCLXIIX.

Litera ejusdem cum proxime præinſertis argumenti ab eodem OLIVERIO, Anglicanæ Reipublicæ Protectore, ad SENATUM HAMBURGENSEM exaratæ, 1657.

Olive-

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Amplisſimis Civitatis Hamburgenſis Conſulibus ac Senatoribus
S.P.D.

Amplisſimi, Magnifici & ſpectabiles Viri, Amici Charisſimi.

CUm Vir Ornatisſimus Guilielmus Jepſonus, Tribunus militum, & Parlamenti Noſtri Senator, ad Suecorum Regem Serenisſimum a Nobis miſſus Veſtram per urbem iter faciat, in mandatis dedimus, uti Vos quoque ne præteriret Noſtro nomine inſalutatos; neque non rogatos, ut ſi qua in re Veſtra autoritate, conſilio aut præſidio opus ſibi eſſe judicaverit, ei, quibus rebus poteſtis, præſto eſſe velitis. Id quo libentius feceritis, eo majorem a Nobis iniiſſe Vos gratiam intelligetis.

Amplitudinum Veſtrarum

Ex Aula Noſtra Weſtmonaſterio, die — Auguſti
Anno Domini
1657.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipubl.
Angliæ &c.

CCLXIX.

Litera paris cum immediate præcedentibus commatis, ab OLIVERIO, *Angliæ Reipublicæ Protecto-*

Digitized by Google

tectore, ad CONSULES AC SENATORES LUBECENSES traditæ, 1657.

Oliverius', Protector Reipubl. Angliæ &c.
Amplisſimis Civitatis Lubecenſis Conſulibus ac Senatoribus S. P. D.

Ampliſſimi, Magnifici & Spectabiles Viri, Amici Chariſſimi.

GUilielmus Jepſonus, Vir Nobiliſſimus, militum tribunus & Parlamenti Noſtri Senator ad Serenisſimum Suecorum Regem ab urbe Veſtra haud longe caſtra habentem publico munere ornatus proficiſcitur. Quapropter ei per urbem Veſtram aut ditionem iter facienti, ut omni adjumento, ſi opus erit, atque præſidio, pro Noſtra amicitia atque commercio, adeſſe velitis rogamus. De cætero & ſalutatos Vos eſſe Noſtro nomine peramice volumus, deque Noſtro ergo Vos propenſo animo ac voluntate eſſe perſuaſisſimos.

Veſtrarum Amplitudinum

Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die — Auguſt. Anno Domini 1657.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

CCLXX.

Digitized by Google

CCLXX.

Litera OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Anglicanæ, ad* CONSULES & SENATORES HAMBURGENSES, *quibus eos, ut Philippum Meadowe, Oratoris a se ad Regem Daniæ munere instructum, sibi magnopere commendatum habeant, blande compellat, 1657.*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Amplisſimis Civitatis Hamburgenſis Conſulibus ac Senatoribus
S. P. D.

Amplisſimi, Magnifici & Spectabiles Viri, Amici Chariſſimi.

QUi hasce ad Vos literas perfert, Philippus Meadowe, Oratoris munere a Nobis inſtructus, ad Sereniſſimum Daniæ Regem, per urbem Veſtram proficiſcitur. Eum, ſi quid erit, in quo Veſtram autoritatem adjumento ſibi fore aut præſidio exiſtimaverit, commendatum Vobis magnopere volumus. Noſtraque commendatio quo ſolet eſſe apud Vos pondere, eodem uti nunc ſit rogamus; Vobis vicisſim, ſi quid ejusmodi occurrit, non defuturi.

Veſtrarum Amplitudinum

Ex Aula Noſtra Weſtmonaſterio, die — Auguſt. Anno Domini 1657.

Studioſisſimus
Oliverius, Protector Reipubl. Anglicanæ &c.

Litera

CCLXXI.

Litera OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* FRIDERICUM III. *Ducem Holsatiæ Gottorpiensem, a quo, ut Guilielmum Jepsonum, Internuntium suum ad Suecia Regem Extraordinarium, tuti per ditiones suas commeatus beneficio dignari velit, obnixe contendit, 1657.*

Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.
Sereniſſimo Principi Frederico, Hæredi Norwegiæ, Duci Sleſvici, Holſatiæ, Stormariæ, Ditmarſiæ, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt.

Serenisſime Princeps Amice Charisſime.

MIſſus a Nobis vir domi Nobilis Guilielmus, Jepſonus, militum tribunus & Parlamenti Noſtri Senator, ad Sereniſſimum Suecorum Regem, quod paci communi reiq; Chriſtianæ felix fauſtumque ſit, legationem obit. Ei inter alia negotium dedimus, ut cum in itinere ſalutem plurimam Serenitati Veſtræ Noſtro nomine dixiſſet, priſtinamque Noſtram benevolentiam & conſtantiſſima ſtudia ſignificaſſet, ab ea quoque peteret, ut autoritate Veſtra munitus iter tutum atque commodum habere per Veſtram ditionem poſſit. Quo beneficio Celſitudo Veſtra Nos Noſtraque viciſſim officia majorem in modum demerebitur.

Celſitudinis Veſtræ
Weſtmonaſterii ex Aula Noſtra, die-- Auguſti, Anno Domini 1657.

Studioſisſimus
Oliverius, Protector Reipubl. Angliæ &c.

Digitized by Google

CCLXXII.

Litera OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* FERDINANDUM II. *Magnum Hetruriæ Ducem, quibus eum, ut Guilielmum Ellum, ob facinus in Turcas patratum in custodiam tradi, & navem istis subductam restitui quantocyus curet, amice requirit, 1657.*

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

Serenissimo Principi Ferdinando, Magno Duci Hetruriæ.

Serenissime Dux magne, Amice charissime.

OStendit Nobis per libellum supplicem Societas mercatorum Nostrorum, qui ad oras mediterranei maris Orientalis negotiantur, præfectum quendam navis Lodoviculi; sive Anglice The Little Lewis, nomine Guilielmum Ellum, cum Alexandriæ in Egypto esset, conductum a Satrapa Memphitico, ut oryzam, saccharum & caphiam, ipsius Turcarum Principis in usum Constantinopolim aut Smyrnam comportaret, classi se Ottomannicæ in itinere subduxisse, & contra datam fidem navis totum onus Livurnum avertisse: ibi præda potitum nunc agere. Quod facinus, pessimi sane exempli, cum Christianum nomen probro, mercatorum fortunas degentium sub Turca direptionis periculo objiciat, petimus a Celsitudine Vestra, ut illum hominem comprehendi, & in custodiam tradi, navemque & bona retineri jubeat; quoad significatum a Nobis erit curasse Vos res illas Turcarum Principi reddendas. Vestræ Celsitudini sicubi No-

Digitized by Google

Noſtris officiis uſus viciſſim erit, paratiſſima omni tempore ferre profitemur

Celſitudinis Veſtræ

Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die - Septembr. Anno Domini 1657.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ, &c.

CCLXXIII.

Litera OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad FRIDERICUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, cujus in ſervando fœdere cum Svecorum Rege inito conſtantiam, nullis technis labefactari gnarum, dignisſimis laudibus deprædicat, 1657.

OliveriusProtectorReipublicæ Angliæ &c.

Serenisſimo Principi ac Domino, Domino Friderico Wilhelmo, Marchioni Brandenburgenſi, Sacri Romani Imperii Archicamerario ac Principi Electori, Magdeburgi, Pruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum Vandalorumque, nec non in Sileſia Croſnæ & Carnoviæ Duci, Burggravio Norinbergenſi, Principi Halberſtadii & Mindæ, Comiti Marcæ & Ravensbergi, Domino in Ravenſtein.

Serenisſime Princeps, Amice ac Fœderate charisſime.

ALteris ad Celſitudinem Veſtram literis per Oratorem Noſtrum Guilielmum Jepſonum aut redditis aut brevi reddendis Legationis ipſi a Nobis mandatæ fidem fecimus; idque ſine veſtrarum

Digitized by Google

Virtutum aliqua mentione Noſtræque erga Vos benevolentiæ ſignificatione facere non potuimus. Verum ne cuiquam Veſtra de rebus Proteſtantium egregie merita, quæ ſumma omnium prædicatione celebrantur. Nos obiter tetigiſſe tantum videamur, reſumendum Nobis nunc idem argumentum, Noſtraque officia non libentius quidem aut animo propenſiore, aliquanto tamen prolixius deferenda Serenitati Veſtræ cenſuimus. Et merito ſane, cum ad aures Noſtras quotidie perferatur, fidem Veſtram atque conſtantiam omnibus tentatam machinis, ſollicitatam technis, labefactari tamen & ab amicitia fortiſſimi Regis ac ſocii nullo modo poſſe dimoveri: idque cum eo loco Svecorum res nunc ſint, ut in retinenda eorum ſocietate Celſitudinem Veſtram Reformatæ potius Religionis cauſa communi, quam ſuis commodis duci manifeſtum ſit: cumque hoſtibus vel occultis vel jam prope imminentibus cincta undique & pene obſeſſa ſit, copiæ ut ſint validæ, non tamen ſint maximæ, ea tamen firmitate animi ac robore eſſe, eo conſilio ac virtute imperatoriæ, ut una Veſtra voluntate niti totius rei ſumma ac moles bellique hujus maximi exitus pendere videatur. Quapropter nihil eſt, quod dubitet Celſitudo Veſtra, quin de amicitia Noſtra ſummoque ſtudio polliceri omnia ſibi poſſit; qui vel ipſi ab omni laude derelicti Nobis videremur, ſi præclara iſta fide atque conſtantia, cæterisque Veſtris laudibus minus delectaremur, aut Vobis ipſis communi Religionis nomine minus deberemus. Quod ſi rebus ab ornatiſſimo Viro Joanne Friderico Schlezer Conſiliario & Oratore apud Nos Veſtro propoſitis reſpondere, pro eo ac ſtude-

ſtudemus, hactenus non potuimus, (quanquam is omni aſſiduitate ac diligentia id agit atque contendit) conditioni rerum Noſtrarum hoc velit imputare Celſitudo Veſtra rogamus; ſibique imprimis perſuadere, nihil eſſe Nobis antiquius aut optatius, quam ut Veſtris rationibus cum Religionis cauſa tam conjunctis uſui quam plurimum atque ſubſidio eſſe poſſimus. Interim tam clara virtus ac fortitudo ne ullo tempore deficiat aut opprimatur, dignave laude aut fructu careat, Deum optimum maximum precamur

Celſitudini Veſtræ

Ex aula Noſtra Weſtmonaſterii,
die -- Sept. An. Domini 1657.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

CCLXXIV.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad DUCEM SENATUMQUE REIPUBLICAE VENETAE, a quibus Thomam Galileuræ, ſtrenuam ipſis operam navando per Turcas captum, ut e graviſſima ſervitute redimi, & debitum ipſi quocunque nomine æs confeſtim exſolvi curent, impenſe efflagitat, 1657.

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

Serenisſimo Duci ac Senatui Reipublicæ Venetæ.

Sereniſſime Dux atque Senatus, Amici chariſſimi,

NUntii rerum Veſtrarum contra Turcas feliciſſime geſtarum tam crebri ad Nos perferun-

tur, ut Nobis non ſæpius ulla de re ad Vos ſcribendum, quam de inſigni aliqua victoria gratulandum ſit. Hanc recentisſimam & Reipublicæ Veſtræ quam maxime lætam atque opportunam cupimus, & quod glorioſiſſimum eſt, Chriſtianorum omnium ſub Turca ſervientium quam maxime liberatricem. Nominatim Thomam Galileuræ navis, cui Nomen The Relief, olim præfectum, Serenitati Veſtræ ac Senatui, tametſi non nunc primum, nunc tamen eo libentius, quo latiori tempore, quinquennalem captivum commendamus. Ei cum a Vobis imperatum eſſet, ut cum navi ſua Reipublicæ Veſtræ operam navaret, ſolus cum multis hoſtium triremibus congreſſus, nonnullas depreſſit magnamque ſtragem edidit; tandem combuſta navi captus vir fortis, deque Veneta Republica tam bene meritus, quintum jam annum in miſera ſervitute Barbarorum degit. Unde ſe redimat, facultatum nihil eſt; nam quicquid erat, id a Celſitudine Veſtra & Senatu, vel navis vel bonorum, vel ſtipendii nomine deberi ſibi oſtendit. Verum ut facultates non deeſſent; hoſtes tamen non alia lege dimiſſuros ſe eum profitentur, quam ſi ſuorum aliquis, qui illis in pretio æque ſit, permutetur. Petimus itaque magnopere a Veſtra atque Senatus Celſitudine Sereniſſima, petit per Nos ſenex miſerrimus, captivi pater, mœroris & lachrymarum plenus, quæ Nos quidem permoverunt, ut primum, quoniam ex tot proſperis præliis Turcarum tanta Copia captorum Vobis eſt, unum aliquem ex eo numero, quem illi accipiant, hoſtem Veſtro milite fortisſimo, Noſtro cive, ſenis mœſtiſſimi filio unico, commutare velitis. Deinde ut quod ſtipen-

Digitized by Google

ſtipendii, vel aliis nominibus ipſi a Republica debetur, id quam primum velitis Patri aut procuratori ipſius annumerandum curare. Priori quidem rogatu Noſtro, vel potius æquitate Veſtra effectum eſt, ut ſtatim re cognita, computatisque rationibus conſtitutum eſſet, quid debeatur: verum illam ſupputationem, urgentibus fortaſſe aliis negotiis, nulla ſolutio ſecuta eſt. Nunc miſeri conditio dilationem ſalutis diutius non fert: eum, ſi omnino ſalvum vultis, danda opera eſt, ut ſqualore carceris teterrimo quam primum liberetur. Id ſine mora, ſine hortatu etiam Noſtro humaniſima voluntate Veſtra facturos Vos eſſe confidimus: quandoquidem juſtitia, moderatione, atque prudentia non minus quam belli gloria victoriisque floretis: atque ut diutiſſime floreatis, devicto hoſte potentiſſimo, Deum Opt. Maximum precamur.

Celſitudinum Veſtrarum

Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die - Octobr. Anno Domini 1657.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ. &c.

CCLXXV.

Litera OLIVERII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, *quibus Guilielmum Nuport, Oratorem eorum, omni præconiorum genere dignisſimum, muneri ſibi injuncto plene ſatisfeciſſe teſtatur, 1657.*

Digitized by Google

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c. Excelsis & præpotentibus Dominis fœderati Belgii Ordinibus S.P.D.

Excelsi & præpotentes Domini, Amici ac fœderati charissimi.

REdit ad Vos vir illustrissimus Guilielmus Nuport, Legatus Vester, annis jam aliquot apud Nos extraordinarius, sed ita redit, petito ad tempus duntaxat a Vobis commeatu, ut eum brevi reversurum speremus. Ea enim est fide, vigilantia, prudentia, æquitate apud nos in suo munere versatus, ut majorem in uno quoque genere virtutem ac probitatem, neque Nos desiderare in Legato Viroque optimo neque Vos possitis; eo animo ac studio ad pacem inter Nos & amicitiam sine fuco & fraude conservandam, ut illo hanc legationem obeunte, quid inter Nos offensionis aut scrupuli suboriri queat, aut pullulare non videamus. Et discessum sane ejus molestiore animo ferremus, hac præsertim rerum ac temporum inclinatione, nisi persvasissimum Nobis hoc esset, neminem melius posse aut fidelius vel rerum utrobique statum, vel Nostram erga Celsitudines Vestras benevolentiam, studiumque integrum coram exponere. Quapropter hunc ut virum undiquaque præstantissimum deque Republica & sua & Nostra optime meritum benigne accipere redeuntem velitis rogamus: sicuti & Nos verissimo Nostrarum laudum testimonio ornatum abeuntem dimisimus prope inviti. Deus ad ipsius gloriam Ecclesiæque præsidium

Digitized by Google

ſidium Orthodoxæ Veſtris rebus felicitatem, Noſtræ amicitiæ perpetuitatem concedat.

Celſitudinum Veſtrarum

Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra, die - Novembris Anno Domini 1657.

Studioſisſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

CCLXXVI.

Literæ fiduciariæ ab OLIVERIO, Protectore Reipublicæ Angliæ, ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, Georgio Duningio, apud eosdem Oratoris functionem obituro, traditæ, 1657.

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c.

Excelſis & præpotentibus Dominis Fœderati Belgii Ordinibus, S. P. D.

Excelſi & præpotentes Domini, Amici Noſtri ac fœderati charisſimi.

GEorgius Duningius Vir Nobilis, Nobis eſt multis ac variis negotiis ſumma fide, probitate ac ſolertia perſpectus jam diu & cognitus. Eum ut apud Vos Oratoris munere fungatur, mittendum cenſuimus, mandatisque Noſtris amplisſime inſtruximus. Eum itaque amico, ut conſueviſtis, animo recipiatis rogamus, & quoties habere ſe ſignificaverit, quod Noſtro nomine Vobiſcum Excelſis Ordinibus agat, amice audire, fidemque adhibere; & quæ Vos vicisſim communicanda Nobis cenſebitis, ea omnia ſicuti recte poteſtis, perinde ac ſi Nos ipſi coram eſſemus, ei committe-

re velitis. De cætero Vobis Veſtræque Reipublicæ ad Dei gloriam Eccleſiæque præſidium ſecundas res omnes ex animo precamur.

Celſitudinum Veſtrarum

Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra,
die - Decembr. Anno Domini 1657.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

CCLXXVII.

Literæ ejusdem cum proxime præinſertis argumenti, ab eodem OLIVERIO, *Anglicanæ Reipublicæ Protectore, ad* ORDINES HOLLANDIAE *datæ, 1657.*

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ &c.
Excelſis & præpotentibus Ordinibus Hollandiæ S. P. D.

CUm ea Noſtræ Reipublicæ cum Veſtra intercedat neceſſitudo, ea ſint utrinque negotia, ut ſine Oratore atque Interprete vel hinc vel indo miſſo res tantæ ad utilitatem utriusque gentis conſtitui commode vix poſſint, ex uſu communi fore arbitrati ſumus, ut Georgium Duningum Virum nobilem, multis ac variis negotiis ſumma fide, probitate ac ſolertia ſpectatum jam diu Nobis & cognitum eo munere inſtructum mitteremus: qui Noſtro nomine apud Vos maneat, iis maxime officiis intentus, quibus Noſtra amicitia ſarta tecta conſervari poſſe quam diutiſſime videatur. Hac de re cum ad excelſos & præpotentes Ordines ſcripſimus, tum Vos quoque, qui in Provincia Veſtra ſum-

ſummæ rei præſidetis & fœderati Belgii tanta pars eſtis, certiores faciendos per literas duximus; ut & Noſtrum Oratorem ea ratione, quâ convenit, accipiatis, & quæ ille cum Excelſis Dominis Ordinibus tranſegerit, ea Vobis perſuadeatis peræque firma ac rata Nos eſſe habituros, ac ſi ipſi rebus transactis coram interfuiſſemus: Deus conſilia Veſtra & facta omnia ad gloriam ſuam & Eccleſiæ pacem dirigat.

Veſtrarum Celſitudinum

præpotentium

Weſtmonaſterio ex Aula Alba

die - Decembr. 1657.

Studioſisſimus

Oliverius Prot. Reip.

Angliæ &c.

CCLXXVIII.

Literæ OLIVERII, Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad FERDINANDUM II. Magnum Hetruriæ Ducem, cui cumulatisſimas perfert grates, quod poſtulatis ſuis de captivando Guilielmo Ello agentibus tam facile annuerit, ac ut Turcis, navem furto ereptam, dicto autem Ello, quo voluerit, abeundi libertatem reſtitui jubeat, peramanter ab eo contendit, 1657.

OliveriusProtectorReipublicæ Angliæ &c.

Serenisſimo Principi, Ferdinando, Magno Duci Hetruriæ.

Serenisſime Dux Magne, Amice Noſter plurimum colende.

PErmagnam Nobis attulere voluptatem literæ Celſitudinis Veſtræ decimo Novembr. Florentiæ datæ;

Digitized by Google

datæ; in quibus benevolentiam erga Nos Veſtram eo vidimus perſpectiorem, quanto res ipſæ verbis, facta promiſſis certiora benevolentis animi indicia ſunt: quæ nempe rogavimus Celſitudinem Veſtram, juberet illum navis Lodovici parvi præfectum Guilielmum Ellum, qui fidem Turcis datam turpiſſime fregerat, & ipſum comprehendi, & navem cum mercibus in portu retineri, quoad Turcarum quæ eſſent redderentur, ne nomen Chriſtianum per iſtiusmodi furta labem aliquam ſuſciperet, ea omnia & ſummo quidem ſtudio, quod ſatis intelligimus, ſcripſit Celſitudo Veſtra ſe præſtitiſſe. Nos itaque cum pro accepto beneficio gratias agimus, tum hoc porro nunc petimus, quandoquidem ſatisfactum iri Turcis mercatores in ſe receperunt, ut & præfectus ille cuſtodia liberetur, & navis cum mercibus quamprimum dimittatur; ne Turcarum forte rationem potiorem, quam Noſtrorum Civium habuiſſe videamur. Interim Celſitudinis Veſtræ ſpectata voluntate erga Nos ſingulari, & ſane gratiſſima ſic libenter fruimur, ut ingratitudinis notam non recuſemus, niſi pari promptitudine Vobis vicisſim gratificandi occaſionem quam primum dari Nobis exoptamus, ex qua Noſtram quoque in reddendis officiis promptitudinem animi rebus ipſis erga Vos demonſtrare poſſumus.

Celſitudinis Veſtræ

Weſtmonaſterio ex Aula Noſtra,
die - Decembr. An. Dom. 1657.

Studioſiſſimus

Oliverius, Protect. Reip.
Angliæ, &c.

CCLXXIX.

Digitized by Google

CCLXXIX.

Literæ LEOPOLDI, Hungariæ & Bohemiæ Regis ad PHILIPPUM IV. Hiſpaniarum Regem, quibus Parentem ſuum, glorioſiſſimæ memoriæ, jam olim ſedandis bellorum per Regna borealia enatis motibus avide intentum fuiſſe, nec jamdum operi iſthuic conſummando alieno mediatore opus eſſe, modo Svecorum Regi pacis negotium vere curæ cordique ſit, demonſtrat, 1657.

P. P.

DIligenter & diffuſe Nobis retulit Serenitatis Veſtræ Orator ad Aulam Noſtram Reſidens Marchio de la Fuente, quo ſtudio & affectu eadem Serenitas Veſtra ſe in reſtaurationem pacis non magis inter ſe & Regem Franciæ Chriſtianiſſimum reconciliandæ, quam in toto Chriſtiano Orbe ſtabiliendæ & aſſecurandæ, tum imprimis in ea, quæ ad aſſerendas quoque in illa rationes noſtræ quietis & ſecuritatis pertinet, impendat, nec poterat ſane ad implendam plene fiduciam, de affectu erga nos Serenitatis Veſtræ quidquam accidere jucundius, quam quod ab eadem vota & deſideria æque totius Chriſtianitatis, e tam diuturnis & calamitoſis bellis ad univerſalem & ſtabilem tranquillitatem anhelantis, ac noſtra non ſecundari, ſed præveniri videmus. Sicut igitur eo nomine Serenitati Veſtræ immortalis ab univerſis bonis debetur laus & gloria: ita nos imprimis pro tam pio, ſanctoque zelo eidem immenſas habemus gratias optime ſperantes, quandoquidem memoratus Chriſtianiſſimus Rex eundem ſe quoque ſcopum ſpectare tam ſancte profitetur, jamque adeo communi inter Veſtram & modo dicti Chriſtianiſſimi Regis Serenitatem conſilio ſtatutum

eſt,

eſt, eo fine eademque opera per literas ſuas apud partes in Regionibus Borealibus belligerantes, eorumque omnes peræque fœderatos ſe interponere, fore, ut divina bonitas, optimam hanc intentionem ſua clementia felicitet. Nec eſt ſane, quod vel ſæpe dictus Rex Chriſtianiſſimus vel quisquam alius, de noſtro in eundem finem ſtudio dubitet, aut ullum de noſtris & cæterorum fœderatorum operationibus bellicis in Pomerania Sveciæ ſiniſtram opinionem concipiat, nam ut nil de eo dicamus, quod juſte & neceſſario Dilectio & Majeſtas quondam Colendiſſimi Domini patris Noſtri glorioſiſſimæ memoriæ (invito tamen & tarde) poſtquam nimirum ſua ad reſtaurationem pacis, optimo animo oblata interpoſitio, locum apud Regem Sveciæ non invenit, vicino, amico, cognato & fœderato Poloniæ Regi, contra pacta induciarum, inter ſe & dictum Regem Regnumque Sveciæ adhuc durantium, ſed & Osnabrugenſis fidem (cui ipſe Polonus utraque paciſcentium parte optante & poſtulante incluſus erat) nulla ex ſe data cauſa, cum, ſi quid, quod nugatur, a Rege Fratre, proximo anteceſſore ſuo (durante bello Germanico) contra inducias commiſſum fuiſſet, id vel morte ejusdem, vel amniſtia Osnabrugenſi obliteratum, vel ex induciarum lege componi oportuerit, ſed occaſione nimirum pro cauſa ex afflictiſſimo regni ſtatu arrepta, præcipitato bello, inſuperque poſthabita Imperatoris & Imperii autoritate Polono ex ipſis Sacri Rom. Imperii ditionibus invadi ſe conquerenti & ex antiquiſimorum per manus traditorum fœderum pactis, auxilium flagitanti ſuccurrere ſtatuerit: Tum etiam, quam cautis & moderatis, tametſi non neceſſariis legibus & limiti-

limitibus eum ſuccurſum definierit; demum, ut præteream etiam, poſtquam ejus belli onus in Nos rediit, quam non belli magis, quam pacis promotionem jam inde ab ipſo regiminis Noſtri exordio quæſierimus, id quod ſolennis, jam a ſesqui anno, eo fine in Poloniam cum requiſitis adornata & miſſa legatio abunde teſtatur. Non videmus ſane, quam reprehenſionem apud quemquam, nedum apud Chriſtianiſſimum Regem habere debeat, quod Nos tandem, ad inſtantiam fœderatorum Noſtrorum una cum iisdem, arma etiam Noſtra in Pomeraniam transtulerimus, & in eadem hactenus teneamus, cum tam idem Chriſtianiſſimus, quam Sveciæ quoque Rex art. 2. ejus colligationis (quæ 14. & 15. Auguſti, anni proxime præteriti, per ipſos cum Noſtris quibusdam, & ſacri Imperii Principibus & Statibus inita fuit) haud illicitum ſibi velint, ſi quis eorum in ditionibus ſuis invaſus fuerit, etiamſi deinde invaſor a vi deſtiterit, & ex invaſis Regionibus ſe receperit, eundem tamen in ſuis ditionibus perſequi, nec inde niſi juſta ſatisfactione de non ulterius turbando accepta recedere non teneri, præſertim cum arma Svecica, etiam pace cum Rege Daniæ ſemel facta, & ex parte ejusdem Dani executioni demandata, non reddere tamen Holſatica feuda Imperi alia ſed novi inde belli fulcimentum ſumi videremus. Nec difficilius refelletur id, ſi quis querelari velit, (ſicuti Regios Svecicos miniſtros conqueri intelligimus) quod vel in plenipotentia vel in Salvis Conductibus Noſtris, cæteroquin a Nobis jam pridem ad formam, ab ipſis Svecis approbatam expeditis, Serenisſimo Regi Poloniæ etiam titulus regni Sveciæ attributus, vel mediatio etiam Regis Chriſtianiſſimi a Nobis acceptata non fuerit, cum de eo quod ratione formæ, quoad dictum titulum inter illos conventum erat, plane nihil Nobis tum conſtiterit, etſi quid in hac vel illa commiſſum fuerit, de eo, jam ante multos menſes, quando Inſtrumentorum Noſtrorum copia publice fuit edita, moneri potuerimus vel debuerimus, cum non minus tunc, quam nunc id, quod ea ratione petitur, ſupplere parati ſemper fuerimus; recuſandæ autem dictæ Mediationis Gallicæ complures & graviſſimas hinc cauſas habuerimus, ac nec dici tamen poſſit, quod ex cauſa modo dictæ recuſationis Noſtræ ulla

tracta-

tractatui mora injecta ſit. Quod vero in ſalvis Conductibus lacuna, ſive ſpatium vacuum, loco (quisquis ille tandem congreſſui Pleniporentiariorum fuiſſet deſtinatus) exprimendo relictum, indifferentiam potius & promptitudinem Noſtram ad promovendos tractatus, quam id, quod adverſarii volunt, demonſtrat: ejùsdem etiam generis eſt illud, quod ex ſubſcriptione Subſtituti Vice-Cancellarii Comitis de Wolckenſtain objicitur, cùm nimirum incapaci, ob valetudinem ad ſubſcribendum Cancellario, ea de cauſa expeditionis nonnihil immutari Inſtrumenta adeoque promotioni negotii tantopere nobis deſiderati, nec minimam quidem moram injici voluerimus. Quibus quidem omnibus, ita uti diximus, ſe ſe habentibus, non minus quam dictus Colendiſſimus Dn. pater noſter conteſtatus profeſſusque ſemper fuit, & Nos ſincere, conſtanterque conteſtamur & profitemur, nec a Nobis quibuscunque viis aliud quæri quam honeſtam & ſtabilem pacem, nec quicquam fieri optatius, quam ſi hac pace ſeptentrionali, ipſa univerſalis pax plene compleri poſſit, adeo ut quam gloriam ſæpe dictus Colendiſſimus pater Noſter tractatibus Monaſterienſibus, & poſtea uſque ad pientiſſimum exceſſum ſuum tam avide ſtudioſeque ſectatus eſt, ſed aſſequi non potuit, ejus Nos partem (probata opere ipſo optima voluntate Noſtra) vindicare Nobis poſſimus. De qua quidem voluntate Noſtra cum Serenitati Veſtræ probe conſtet, gratum Nobis erit, ut quam maxime ſic de ea alios quoque ac præcipue Regis Chriſtianiſſimi Serenitatem ſecuram fecerit. Quod ſupereſt libenter videbimus, ſi Serenitas Veſtra una cum ſupra memorato Rege Chriſtianiſſimo negotium interpoſitionis prædictæ quantocyus ſuſcipiat, & ad optatum finem perducat, qui de cætero eidem Serenitati Veſtræ affectum benevolum nepotis & fratris quam amantiſſime conſervantes, eidem omnia ex animi voto optamus.

Viennæ die 16. Decembr. 1657.

(o)

SUPPLEMENTUM
AD
PARTEM PRIMAM.

(I.)

Litera CAROLI *V. Rom. Imperatoris ad* JOHANNEM OSNABRUCENSEM *Cameræ Imperialis Spirenſis Præſidem* ATQUE ASSESSORES, *quibus ipſis ſe in Hiſpaniam animum corpusque neceſſaria quiete reficiendi cauſa iturum Imperii adminiſtrationem Ferdinando, Roman. Regi commiſiſſe nuntiat, illosque ut eidem decenter obſequi & tanquam juſtitiæ Patroni ſuum cuique tribuere haud obliviſcantur, clementiſſime hortatur, 1556.*

P. P.

QUandoquidem in longo tempore ſingularibus evidentibus atque honeſtis rationibus Nos impellentibus, maxime vero propter extremam decurſamque ætatem, perpetuam indiesque creſcentem moleſtiſſimam infirmitatem, qua ſummopere afflicti, attenuati, exhauſti & omnibus corporis viribns debilitati ſumus, manifeſta valetudinis ratione id exigente, in filii Noſtri dilecti Philippi RegisHiſpaniarum &Angliæ, Regnum Hiſpanicum, melioris commoditatis ergo, Deo opitulante, nos conferre conſtituerimus, atque ejus propoſiti executioni inhærentes jam jamque ab omnibus rebus, inſtructi ſimus. Ne itaque in Noſtra abſentia aut imbecillitate quid detrimenti (quod Deus avertere

Digitized by Google

dignetur) Imperio accidat, e re cum primis esse duximus, huic aliisque periculis pro virili maturo consilio occurrere atque providere, quo sacrum Imperium ejusque gravissima negotia & causæ etiam in absentia Nostra recte administrentur, deliberentur, tractentur & expediantur; ideoque ex fraterna atque benevola fiducia, quam de Nostro Dilecto Fratre, Ferdinando, Romanorum Rege, habemus, ei (utpote qui absque eo ordinaria Electorum Imperii electione proximus Noster successor in Imperio constitutus est, cuique Nobis deficientibus Administratio & Gubernatio Imperii immediate & absque ulla contradictione competit) in Nostra absentia liberam plenam nullisque limitibus atque conditionibus circumscriptam administrationem & gubernationem Sacri Imperii, in generalibus atque specialibus causis ac omnibus, quæ Romanorum Imperatori atque Regi ratione officii, conditionis, dignitatis & amplitudinis, de jure, consuetudine & æquitate competunt, tradidimus atque commisimus. Id quod ex Germania discessuri Vobis significare & simul tanquam Nostris ac sacri Imperii fidelibus ministris salutem nostram nunciare voluimus: hoc ipso benigne atque diligenter petentes, ut vos, consideratis his in futurum, ut hactenus, gloriam Dei atque Justitiam præ oculis habeatis, eamque nulli denegatam æquabiliter administretis, nec vos quenquam vel quicquam in mundo ab hoc averti, excludi atque præpediri patiamini, & dicto nostro dilecto Fratri Romanorum Regi in omnibus ac singulis non minus quam Nobis, si præsentes essemus, fideles, obedientes

dientes atque morigeri ſitis; eum tanquam Veſtrum Ducem ac caput revereamini; ad eum, ut Romanorum Regem (cui hiſce vos ſubjectos volumus) re exigente, confugiatis, a ſua Dilectione convenientia auxilia atque conſilia petentes. Viciſſim quoque ſua Dilectio vos benigne commendatos habebit, & convenienter in cauſis juſtis tuebitur, proteget atque defendet, omniaque ſuſcipiet atque faciet, quæ publica juſtitia ac veſtra neceſſitas atque conditio requiret, prout id a ſua Dilectione fraterne petivimus, eique ſumma diligentia injunximus. In hoc, præterquam quod id vos decet, præſtatis nobis officium pergratum noſtra clementia remunerandum. Quod ſi etiam in futurum Vobis univerſis aut ſingulis clementiam cum rerum veſtrarum promotione declarare poterimus, obedientiæ Veſtræ Sacro Imperio præſtitæ perquam benevole recordabimur, eamque benigna gratitudine agnoſcemus. Gandavi 27. Auguſti, Anno 1556.

(II.)

Litera FERDINANDI I. *Rom. Imperatoris, ad* JULIUM, *Epiſcopum Naumburgenſem, cæterosque in colloquio Wormatienſi congregatos collocutores quibus ipſos qua ratione diſſidia inter utriusque Religionis Theologos exorta commode componi, & dictum colloquium, ad exoptatum perduci finem queat, clementer edocet, 1557.*

Ferdinandus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus.

Digitized by Google

Reverende Princeps, Nobiles, ſpectabiles, Dilecti, fideles.

LIteras Venerabilitatis tuæ, Præſidens, ſatis longas, quarum datum erat dies XXVII. Octobris proxime præteriti, accepimus, ex iisque controverſias & diſſenſiones; quæ primum inter ipſos Auguſtanæ Confeſſionis ſocios Colloquutores & adjunctos ortæ ſunt, deinde etiam tum hac, tum aliis præterea de cauſis inter Colloquutores & Adjunctos antiquæ Noſtræ Religionis ex una & Auguſtanæ Confeſſionis deputatos Colloquutores & adjunctos ex altera partibus inciderunt, & eo usque proceſſerunt, ut inſtituti Colloquii curſum interruperint & remorentur: inſuper Venerabilitatis Tuæ ſupplicationem, ſubjecte enixeque petentis, ut Nos prima quaque occaſione, quid cum de his jam natis contentionibus, tum etiam in commune ſi colloquium hoc diutius duraturum ſit, & ejusmodi controverſiæ plures inciderent, de quibus inter aſſeſſores utriusque partis votando non poſſet conveniri, & a Venerabilitate tua nomine Noſtro agendum ſit, clementer reſponſione & reſolutione ſignificare velimus, clementiſſime per omnia cognovimus. Et quidem has contentiones graviter moleſteque intelleximus, vellemusque, ut ſummo quoquo ſtudio adhibito præcaveri potuiſſent: nec dubitamus, quin Venerabilitas tua omnem lapidem moverit, quo prædictas contentiones averteret & amoliretur, nec ea in re fidei & diligentiæ ſuæ defuerit. Quandoquidem autem id fieri non potuit, & Nobis vero ſuper memoratis controverſiis qualemcumque nunc declaratio-

nem

nem facere grave & intempeſtivum videtur (ſicuti tuamet Venerabilitas & Vos cæteri, quantum ex ſcriptis veſtris ad Nos miſis colligere poſſumus, ipſi cogitare habetis :) tamen nihil gratius Nobis accidere potuiſſet, quam ut pars utraque nupero Receſſui Imperiali Ratiſponenſi fideliter obtemperaviſſent, deque Articulis Chriſtianæ Noſtræ fidei, doctrinæ & religionis, fructuoſe, chriſtiane & concorditer, juxta formam, modum atque ordinem ab ipſis colloquentibus & Adjunctis Noſtræ antiquæ Religionis & Auguſtanæ Confeſſionis conventum & accordatum, egiſſent, aut etiamnum agerent, in totoque negotio ſic maxime verſarentur, ut in primis honor & gloria Catholicæ Chriſtianæ veritatis, , dilectionis proximi & communis concordiæ atque unitatis quæreretur & promoveretur, conſiderato, quod opera hujus tam graviſimi negotii non ſolum temporalis utilitas, verum etiam animarum ſalus & beatitudo procurari poſit. Quæ etiam cauſa Nos movit, ut ipſius Colloquii inſtitutionem & celebrationem, quo potuimus ſtudio promoverimus, impenſasque & ſumptus quarundam perſonarum ad id delegatarum in Nos receperimus, eosque in poſterum quoque ad promovendam deſideratiſſimam unitatem & conciliandam ſanctam Noſtram Religionem ferre ac ſuppeditare prompti paratique clementiſſime ſimus. Quamobrem non potuimus nec voluimus, quin Venerabilitatem tuam & Vos hiſce literis clementer hortaremur, ſeveriter mandantes, ut adhuc modos ac vias idoneas, quibus exiſtentes illæ contentiones cum partis utriusque conſenſu & voluntate

ſopiantur, ante omnia & rebus relictis omnibus fideliter & Chriſtiane quæratis, eaque diligentia adjuvetis, ut non tantum acriores acerbitates in poſterum præcidantur, ſed etiam utraque pars ad fraterniorem, amiciorem & Chriſtianiorem collationem, & (quantum omnipotentis gratia dederit) conciliationem in Noſtra ſancta fide & Chriſtiana Religione, reipſa conſtituendam permoveantur. Quod fortaſſe ab iis tali modo impetrari poterit, ſi primum Colloquutores & adjuncti Auguſtanæ Confeſſionis ſe abduci patiantur, ut excluſos Theologos ad Colloquium iterum requirant, eisque ſub ſecuritate promittant, quod ea cum poteſtate, quam a ſuis Electoribus, Principibus & Ordinibus plenariis cum mandatis acceperunt, ſine ulla contradictione porro admittere velint, & pari eademque auctoritate, ut agant usque ad finem Colloquii, tanquam juſtis & legitimis ſociis concedere: Denique ſi diligente tuæ Venerabilitatis & Veſtra opera Colloquutores & Adjuncti noſtræ antiquæ Religionis, ad quæſtionem Colloquutoribus & Adjunctis Auguſtanæ Confeſſionis propoſitam, per reſponſionem facta declaratione & pollicitatione contenti, acquieſcant. Nam etiam ſi jure meritoque, juxta ſanctionem nuperi Receſſus Imperialis, quæſtio iſta moveri potuerit, nec alterius partis Theologis debuerit vitio aut injuriæ verti, ſi in ſpecie declaraviſſent, quorum opiniones Auguſtanæ Confeſſioni congruas tenerent; tamen quia ſe Auguſtanæ Confeſſioni adhærere declararunt, confeſſique ſunt, ſe omnem doctrinam ei contrariam damnare, & ad cunctos articulos ſigillatim reſpondere

ſpondere ſe paratos obtulerunt, æquum eſt, ut & Theologi antiquæ Noſtræ Religionis hanc declarationem æquanimiter accipiant & in ea acquieſcant. Quod ſi vero unus aut plures Theologi Auguſtanæ Confeſſionis in ſequentibus articulis unam aut plures opiniones ſive ſectas dicta confeſſione non comprehenſas defendere aut propugnare conaretur, adverſus illum procedi, ut juſtum eſt, poterit, illique in faciem & præciſe mandari, ut argumentis & opinionibus Auguſtanæ Confeſſioni non convenientibus abſtineat. Siquidem notum eſt ex tenore memorati Receſſus Imperialis, hoc Colloquium inter antiquæ Religionis tantum & Auguſtanæ Confeſſionis ſtatus eorumque Deputatos inſtitutum eſſe, quemadmodum & in pace Religionis tantum comprehenſi fuerunt & ſunt antiquæ Religionis & Auguſtanæ Confeſſionis ſocii cæteris omnibus alterutri harum Religionum non adhærentibus in ea pace non intellectis, ſed ab ea totaliter excluſis. Per iſtos aut alios idoneiores & opportuniores amicabiles modos ac vias Venerabilitas Tua & Vos etiam atque etiam intenti eſtote, ut hoc ſumme neceſſarium Colloquii opus cum utriusque partis conſenſu & voluntate iterum inſtauretur, redintegretur & frequentetur. Ad quod efficiendum velimus Vos ſummis opibus atque induſtriis omnibus incumbere. Quod ſi vero tractationi amicabili nullum locum reliquerint, tum volumus ac jubemus, ut omnia, quæ in antedicto Receſſu Imperiali ſtatuta & ordinata ſunt, exequamini, eique in omnibus pareatis & obtemperetis, quemadmodum non dubitamus, Venerabilitatem

Tuam & vos id facere Veſtra ſponte, ac promptos paratosque eſſe. Qua in re facietis Noſtrum beneplacitum, ac erimus Venerabilitati tuæ & Vobis cæterisque perſonis ad hoc Colloquium deputatis pro obſequiis Veſtris cum omni gratia & clementia ſemper benevoli ac faventes. Et litibus iſtis atque contentionibus ſublatis, confidimus clementer, ejusmodi diſſenſiones præter hac non facile emerſuras, ſed venerabilitatem tuam & Vos operam daturos, ut ſuppullulantes juxta ſæpe memoratum Receſſum imperialem inhibeantur & tollantur, Colloquiique proceſſus recte ac ordine proveatur. Hæc Venerabilitatem tuam & Vos clementer ſcire voluimus. Datum in Civitate Noſtra Vienna, die 9. Novembris Anno 1567. Regnorum Noſtrorum Romani 27. cæterorum vero omnium 31.

FERDINANDUS

J. Jonas D. Vicecancellarius

Ad Mandatum Regis proprium,

L. Kirchſchlager mpp.

Inſcriptio.

Reverendo Julio, Epiſcopo Naumburgenſi, Principi & Præſidenti Noſtro in ſenatu Colloquii & venerabili Dilecto: & Nobilibus ſpectabilibus Noſtris & Imperii fidelibus dilectis, N. & N. noſtræ antiquæ veræ Religionis & Auguſtanæ Confeſſionis ſubſtitutis aſſeſſoribus, nunc in dicto Colloquio Wormatiæ congregatis.

(III.)

Digitized by Google

(III.)

Litera FERDINANDI I. Rom. Imperatoris, ad PIUM Papam IV. cui de Pontificiæ, ad quod nuper evectus erat, dignitatis gratulatur fastigio, 1560.

Beatissime in Christo pater & Domine, Domine Reverendissime.

POst humilem commendationem filialis observantiæ Nostræ, continuum incrementum. Si unquam alias his certe proximis diebus gratissimum Nuntium Nobis allatum est, quando nimirum (quod felix ac faustum sit toti Christianæ Reipublicæ) intellexímus, Sanctitatem Vestram reverendissimorum Dominorum Cardinalium unanimi consensu Spiritus Sancti gratia cooperante, ad fastigium summi Pontificatus & supremum sanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ curam atque administationem electam & susceptam esse. Nam præterquam, quod hæc lætitia sit & debeat esse publica atque communis omnibus Christianis, & iis præsertim, qui afflicto Religionis & omnium Rerumpublicarum statui consultum cupiunt, eo quod Divina benignitate talis Pastor Ecclesiæ Dei obtigerit, qui præditus sit tot virtutibus & summam de se spem faciat eximiam suam prudentiam, sapientiam, summamque pietatem, & præclarissimum in rem Christianam studium eidem Reipublicæ Christianæ non nisi maximo ornamento & commodo futurum: Nobis tamen specialis etiam causa est lætandi propter veterem notitiam & familiaritatem no-

bis a plurimis jam annis cum Sanctitate Veſtra intercedentem. Cui quidem tuendæ & conſervandæ Sanctitas Veſtra nullis unquam officiis defuit. Eam vero Noſtram lætitiam cum ita commota eſſet primo illo nuntio, ut ejus incremento vix videretur reliquus eſſe locus aliquis, auxerunt tam ſupra quam dici queat, Literæ Conſiliarii & Oratoris Noſtri, Nobilis fidelis Nobis dilecti Franciſci Liberi Baronis de Turre, nec non ea, quæ nobis Nobilis fidelis nobis dilectus Georgius a Madrutio Liber Baro, coram retulit, ſummam illam paternam benevolentiam concernentia; quam Sanctitas Veſtra non modo in his ſermonibus, quos cum eo ſæpius poſt auſpicatiſſimam ſuam electionem conferre dignata eſt, verum etiam in publica ſacri illius Collegii Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium congregatione erga nos palam declaravit, ubi ſcilicet tam amanter, tam paterne, tamque ſapienter negotio & difficultati illi, quam olim Nobis Sanctitatis Veſtræ prædeceſſor, Paulus Quartus, moverat, juſtum & optatum finem imponere voluit. In qua quidem re pluribus explicanda, non eſt, quod has literas Noſtras abſumamus, præſertim cum id apud Sanctitatem Veſtram, quæ ejus eſt ſumma æquitas, ſupervacaneum cenſeamus, ut quæ cauſæ noſtræ rationes non omnino habeat incognitas: ſed tamen, ſi Sanctitas Veſtra uberiorem adhuc & exactam iſtius negotii notitiam teneret, clarius adhuc cognituta eſſet, quam præter omnem rationem & æquitatem, & absque omni culpa noſtra diverſis cavillationibus onerati & traducti fuerimus, quibus jam tandem impoſitum eſſe juſtum finem meri-

merito Sanctitatis Veſtræ, cum optimæ & paternæ erga Nos voluntati, tum eximiæ integritati ac juſtitiæ acceptum ferimus. Porro licet hoc triduo vel quatriduo hinc profecturus ſit ſolennis noſter Orator, cui munus Sanctitati Veſtræ nomine noſtro, qua par eſt ſubmiſſione, congratulandi, debitumque & ſolitum reverentiæ ac devotionis officium more Dominorum prædeceſſorum Noſtrorum, electorum Romanorum Imperatorum præſtandi impoſuimus, tamen cum is non poſſit illuc pervenire tam brevi, quam nos vellemus, equidem teneri non potuimus, quin haſce literas noſtras præmitteremus, quibus ſaltem poſſit quadantenus ſatisfieri ardentiſſimo Noſtro deſiderio Sanctitati Veſtræ animi Noſtri candorem quam primum conteſtandi. Quamobrem non modo Sanctitati Veſtræ ex animo & obſequenter congratulamur, ſed etiam pro iſta mirifica in Nos paternæ & piæ voluntatis ſuæ demonſtratione quas poſſumus maximas agimus & habemus gratias: eidem Sanctitati Veſtræ ingenue pollicentes, Nos ſummo ſtudio operam daturos, ut nec ubi Sanctitas Veſtra ullum vel grati animi vel filialis obſervantiæ Sanctitati Veſtræ & iſti ſanctæ ſedi debitæ officium in Nobis requirere poſſit. Deum optimum maximum ſummis precibus orantes, ut pia Sanctitatis Veſtræ conſilia & inſtituta ad laudem divinæ ſuæ Majeſtatis ac beneficium totius orbis convertere, eamque diu ſalvam & incolumem tueri ac conſervare, ac proſperis rerum ſucceſſibus, omnique demum felicitatis genere fortunare dignetur. De qua quidem Noſtra ſtudioſiſſima intentione ac filiali erga Sanctitatem

Veſtram

Veſtram & ſanctam Apoſtolicam ſedem obſervantia & devotione, ſupradictus Noſter Orator, Franciſcus Liber Baro de Turre, Sanctitati Veſtræ pleniorem fidem facere poterit, cui dignabitur Sanctitas Veſtra de his & aliis rebus cum ea humiliter tractaturo, interim dum alter Noſter Orator ſubſequatur, benignas aures præbere, & Nos quoquo loco & tempore paterne & benevole commendatos habere. Datum in Civitate Noſtra Vienna, die XVI. Menſis Januarii, Anno Domini M. D. LX.

Sanctitatis Veſtræ

Humilis & obſequens
Filius

FERDINANDUS.

Inſcriptio.

Beatiſſimo in Chriſto Patri & Domino, PIO QUARTO, divina providentia ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino Reverendiſſimo.

(IV.)

Literæ SIGISMUNDI AUGUSTI, Poloniæ Regis, ad AUGUSTUM, Electorem Saxoniæ, cui Fridericum a Canicz, ob clandeſtina ſponſalia cum filia D. Chriſtophori Zobelii, Lipſienſis, contracta, patria extorrem, ut ipſi ad patrios penates redire reconciliato & de ejus gratia ſecuro eſſe liceat, amice commendat, 1562.

Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſſime Princeps, Domine Conſanguinee & Amice chariſſime.

DIcitur Generoſus Fridericus a Canicz, Conſiliarius & cubiculi illuſtriſſimi Domini Pruſſiæ Ducis, Conſobrini Noſtri chariſſimi Præfectus, duarum ſimul maximarum rerum jacturam feciſſe: Primum quidem Patriæ ipſius, in qua verſari tuto non poteſt, deinde autem gratiæ quoque Illuſtritatis Veſtræ, quam ille nihilo minoris quam Patriam ipſam facit. Id autem illi dicitur eveniſſe propterea, quod cum pupillus adhuc, clandeſtinis & præter matris curatorumque auctoritatem initis ſponſalibus ſe illigaſſet, ac cum filia Doctoris Chriſtophori Zobelii, Lipſienſis, ſponſalia contraxiſſet, ſententiæ poſtea judicis Eccleſiaſtici non paruerit, uxoremque eam, quemadmodum per ſententiam jubebatur, non duxerit. Nos qui ſane fidem & obſervantiam Canitii erga Nos Illuſtritatemque ipſam, Dominum Pruſſiæ Ducem, perſpectam & commendatam habemus, cum adverſitate iſta & incommodo ipſius non mediocriter permoveremur, faciendum Nobis exiſtimavimus, ut ipſum negotiumque hoc illius Illuſtritati Veſtræ literis Noſtris commendaremus, poſtulantes ab Illuſtritate Veſtra majorem in modum, ut primum quidem offenſionem totam, quam adverſus illum fortaſſis concepit, noſtra cauſa illi remittat, deinde autem, ut datis ipſi ad unius atque alterius anni ſpatium publicæ fidei literis efficiat Illuſtritas Veſtra pro ſua autoritate, ut res ipſa de ſponſalibus amice inter partes ipſas præſentes componatur.

Quod

Quod Nos quidem Illuſtritatem Veſtram facturam eſſe confidimus, tum ob æquitatem ipſam, quæ clandeſtina & præter tutorum ac curatorum conſenſum contracta ſponſalia prohiberi dicuntur, tum ob commendationem Noſtram, quam quidem apud illuſtritatem Veſtram in hoc facto tantum valere cuperemus, quantum meretur cum res ipſa, tum mutua quoque iſta familiarum Noſtrarum & jam pridem conſtituta neceſſitudo, quæ ut Nobis eſt charisſima, ita Illuſtritati Veſtræ vicisſim arbitramur non eſſe ingratam. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ Menſ. Februar. Anno MD LXII.

(V.)

Litera FERDINANDI I. Rom. Imperatoris, ad PIUM PAPAM IV. quem reverenter monet, ne Concilium Tridentinum Patrum ibidem præſentium tam fatali Eccleſiæ Catholicæ diſſidio ſuſpendi aut abrumpi patiatur, ſed ut illud ad exoptatisſimum & ſanandis præſentium rerum vulneribus ſumme neceſſarium finem perduci curet, 1562.

Beatiſſime in Chriſto Pater.

CUm proxime præteritis diebus, divina benignitate feliciter confectis gravisſimis illis negotiis, quæ partim cum Principibus ac Electoribus ſacri Romani Imperii, partim vero in Provinciis Noſtris Auſtriacis ad Rhenum ſitis tractanda habuimus, in hunc Noſtrum Comitatum Tirolenſem perveniſſemus, quo Nos non modo res Noſtræ privatæ vocarunt, verum

verum etiam propinquitas loci, in quo hoc tempore ſacrum generale Concilium celebratur, invitavit, ut pro ea cura, quæ Nobis, ut Imperatori Romanorum & ſupremo Eccleſiæ Advocato & Protectori, incumbit, ſalutem & utilitatem ipſius promovendi, de ejus ſtatu exacte edocti, ei, quacunque in re opus foret, favore, patrocinio & auxilio Noſtro præſto eſſemus, magno profecto cum animi noſtri dolore intelleximus, res ſacras illius ſynodi non eo modo ac ordine procedere, quo nos cum omnibus piis vellemus, & afflictus Reipublicæ Chriſtianæ ac præſertim oppreſſæ ac deficientis indies magis ac magis catholicæ Religionis ſtatus expoſceret, ita ut verendum ſit, niſi propere ſalubria adhibeantur remedia, is futurus ſit Concilii exitus, qui & univerſo Chriſtiano Orbi ſcandalum & offenſionem præbeat, & iis, qui ab obedientia Sanctitatis Veſtræ ac ſanctæ ſedis Apoſtolicæ receſſerunt, ridendi materiam, & illas quas amplexi ſunt alienas & diſcrepantes ab orthodoxa fide Noſtra opiniones majore obſtinatione retinendi incitamentum exhibeat. Ut enim multa alia taceamus, certe valde inconveniens videtur, rem in eum locum jam eſſe deductam, quod jam aliquot menſium ſpatio nulla fuerit celebrata ſeſſio: & quod gravius eſt, dum Nos & alii Chriſtiani Orbis Reges & Principes Catholici, gaudentes antiqua Catholicorum unitate & concordia ſperamus Dei beneficio aliquando futurum, ut Catholicæ Religionis Noſtræ, adverſariis inter ſe opinionibus & hæreſibus diſtractis & invicem altercantibus

bus ac pugnantibus, Orthodoxa fides Noſtra reflorescat, ſicuti certe manifeſtum eſt eorum diſcordias ad reſtaurandam religionem Catholicam plurimum afferre momenti; proh dolor! ipſi quoque Patres & Doctores in Concilio exiſtentes ad contentiones & diſſidia, cum maxima jactura & dictorum adverſariorum jubilatione prorumpere incipiant. Quæ quidem incommoda ſicut Sanctitatem Veſtram nequaquam latere arbitramur, ita quoque perſuaſum habemus Sanctitatem Veſtram, quæ ejus eſt eximia pietas & optima in rem Chriſtianam voluntas, ut communem Parentem, lubenter eas vias & rationes inituram, per quas exortæ illæ difficultates explicari & negotia illa ad gloriam & laudem divini nominis & ad beneficium univerſæ Chriſtianitatis dirigi queant, ut tandem, ſuperatis præſentium diſſidiorum & motuum procellis, optatum quietis portum attingamus. Circumferuntur quidem rumores & ſermones quorundam non admodum commodi, neque nobis grati, videlicet Sanctitatem Veſtram cogitare de diſſolutione vel ſaltem ſuſpenſione ipſius Concilii: quibus tamen rumoribus neſcimus, quanta ſit tribuenda fides, & exiſtimamus, Sanctitatem Veſtram, ſi quid ejusmodi habet in animo, hoc potiſſimum perplexo & intricato rerum ſtatu, qui videtur eſſe in Concilio, ad id fuiſſe inductam. Nos vero (ut Sanctitati Veſtræ pro ejus æquanimitate & paterna in Nos voluntate mutuoque Noſtro in Sanctitatem Veſtram filiali ſtudio, quod ſentimus, ingenue patefacianius) longe ſecus judicamus. Etenim Noſtro judicio præſtaret nunquam

Digitized by Google

quam cœptum fuiſſe Concilium, quam imperfectum relinqui & ſuſpendi, nedum præter Noſtram aliorumque Regum & Principum Catholicorum expectationem & conſenſum prorſus abrumpi atque diſſolvi; in qua ſententia confirmamur non levibus, ut nobis videtur, rationibus. Timendum namque foret, ne ex iſta diſſolutione, aut ſuſpenſione, ultra ſcandalum, quo totus offenderetur orbis Chriſtianus, ac præter Sanctitatis Veſtræ & totius Ordinis Eccleſiaſtici contemptum & vilipendium ac præjudicium, quod & huic & futuris Conciliis Oecumenicis inferretur, alia quoque irreparabilia mala mox conſequerentur, major videlicet a Catholica Religione defectio, & jactura interitusque illarum etiam exiguarum reliquiarum populi Catholici, quæ adhuc ſuperſunt, cum in ſacri Romani Imperii ditionibus ac Regnis & dominiis Noſtris hæreditariis, tum & in aliis Regnis atque Provinciis, ſiquidem fruſtratæ ea, quam in hoc Concilio poſuerunt, fiducia, ipſæ quoque ſeductoribus aures facilius eſſent præbituræ. Neque defuturos crediderimus etiam ex Catholicis, qui interpretarentur, ejuscemodi diſſolutionem vel ſuſpenſionem fieri ſtudio impediendæ reformationis, quam a tot annis expectamus & requirimus, tamque neceſſarium judicamus, ut ſine ea fruſtra eſſe videatur meliorem Eccleſiæ ſtatum ſperare. Ad hæc Sanctitas Veſtra procul dubio recordatur, haud ita pridem mentionem fuiſſe factam inſtituendorum Conciliorum Nationalium. Ea vero, quia Sanctitas Veſtra ſemper judicavit, ſine ſummo diſcrimine & miſeranda animorum

distractione celebrari non posse, omnibus modis illa sibi impedienda esse duxit, neque commodiorem ac efficaciorem evitandi hujus periculi modum invenit, quam generalis & Oecumenici Concilii celebrationem. Itaque nunc Sanctitati Vestræ sapienter expendendum & considerandum relinquimus, annon pleræque Christianæ Reipublicæ nationes, dissoluto aut suspenso generali & œcumenico Concilio arreptura essent occasionem refricandi & renovandi factam a quibusdam ante hac mentionem nationalium Synodorum, utcunque nunc sopitam, adeoque ad rem ipsam omni ulteriore cunctatione remota deventuræ. Quod illarum institutum, si omnino decreverint in illum inventum executioni committere, non videmus, quæ tandem hujusmodi conatibus sese opponendi aut eosdem removendi facultas sit superfutura. Quocirca existimamus, unicum esse medium, quo tot & tam insignes difficultates atq; incommoda præcavebuntur, si Sanctitas Vestra non patietur Concilium hoc generale dissolvi neque suspendi, sed operam datura est, ut id per vias debitas & competentes ad felicem & optatum exitum perducatur. Quod & ipsum non aliter fiet, nisi fiat serio tam diu expetita reformatio, ipsique Concilio salva & integra sit antiqua & solita sua libertas, ita, ut, quemadmodum informati sumus a piis & eruditis viris, in priscis plerisque Conciliis, & præsertim iis, quæ pro præcipuis habentur & sancta vocantur, observatum fuisse, liceat nunc quoque non solum Sanctitatis Vestræ Legatis, verum etiam Patribus ac insuper Nostris ac aliorum Regum & Principum

cipum Oratoribus & procuratoribus proponere, quæ quisque univerſaliter ad conſervandam Religionem Catholicam ac obedientiam Sanctitati Veſtræ & ſanctæ ſedi Apoſtolicæ debitam pertinere, vel particulariter cujusque Regni aut Provinciæ neceſſitatem & utilitatem poſtulare cognoverit: Patribus vero libere & ſine metu aut reſpectu dicere & decernere, quæ cuilibet Spiritus ſanctus & conſcientia ſuggeſſerit, ſervato utrinque bono ordine, per quem facile evitabitur, ſi qua timetur in hac parte confuſio, ita ut non opus ſit de his rebus, quæ per Concilium ſunt determinandæ, aliorſum extra Concilium recurrere. Et plane confidimus, Sanctitatem Veſtram nequaquam conſilia ſua converſuram, aut permiſſuram, ut hoc tempore exulceratiſſimo ac turbato rerum ſtatu, in celebratione Concilii, contra exempla majorum novi quicquam introducatur, quo libertas ipſius Concilii quodammodo impediri ſeu violari videatur: ſed eam ſartam tectamque conſervaturam, ac ſimul etiam apud Legatos & Patres Concilii curaturam, ut negotium reformationis, conſiderata ejus inevitabili neceſſitate, omni quo poterit ſtudio promoveatur. Quo nomine Sanctitatem Veſtram impenſiſſime oramus & obſecramus. Neque vero Sanctitas Veſtra hoc loco ſuſpicari velit, quod magnis a Sanctitate Veſtra precibus petimus, nos id agere, ut Sanctitati Veſtræ legem præſcribamus, aut eam, quomodo officio ſuo paſtorali fungi debeat, inſtruamus, cujus ſapientiam, pietatem & in regenda eccleſia felicitatem magni facimus, aut etiam ut eam ſuperioritatem, dignitatem

distractione celebrari non posse, omnibus modis illa sibi impedienda esse duxit, neque commodiorem ac efficaciorem evitandi hujus periculi modum invenit, quam generalis & Oecumenici Concilii celebrationem. Itaque nunc Sanctitati Vestræ sapienter expendendum & considerandum relinquimus, annon pleræque Christianæ Reipublicæ nationes, dissoluto aut suspenso generali & œcumenico Concilio arrepturæ essent occasionem refricandi & renovandi factam a quibusdam ante hac mentionem nationalium Synodorum, utcunque nunc sopitam, adeoque ad rem ipsam omni ulteriore cunctatione remota deventuræ. Quod illarum institutum, si omnino decreverint in illum inventum executioni committere, non videmus, quæ tandem hujusmodi conatibus sese opponendi aut eosdem removendi facultas sit superfutura. Quocirca existimamus, unicum esse medium, quo tot & tam insignes difficultates atq; incommoda præcavebuntur, si Sanctitas Vestra non patietur Concilium hoc generale dissolvi neque suspendi, sed operam datura est, ut id per vias debitas & competentes ad felicem & optatum exitum perducatur. Quod & ipsum non aliter fiet, nisi fiat serio tam diu expetita reformatio, ipsique Concilio salva & integra sit antiqua & solita sua libertas, ita, ut, quemadmodum informati sumus a piis & eruditis viris, in priscis plerisque Conciliis, & præsertim iis, quæ pro præcipuis habentur & sancta vocantur, observatum fuisse, liceat nunc quoque non solum Sanctitatis Vestræ Legatis, verum etiam Patribus ac insuper Nostris ac aliorum Regum & Principum

cipum Oratoribus & procuratoribus proponere, quæ quisque universaliter ad conservandam Religionem Catholicam ac obedientiam Sanctitati Vestræ & sanctæ sedi Apostolicæ debitam pertinere, vel particulariter cujusque Regni aut Provinciæ necessitatem & utilitatem postulare cognoverit: Patribus vero libere & sine metu aut respectu dicere & decernere, quæ cuilibet Spiritus sanctus & conscientia suggesserit, servato utrinque bono ordine, per quem facile evitabitur, si qua timetur in hac parte confusio, ita ut non opus sit de his rebus, quæ per Concilum sunt determinandæ, aliorsum extra Concilium recurrere. Et plane confidimus, Sanctitatem Vestram nequaquam consilia sua conversuram, aut permissuram, ut hoc tempore exulceratissimo ac turbato rerum statu, in celebratione Concilii, contra exempla majorum novi quicquam introducatur, quo libertas ipsius Concilii quodammodo impediri seu violari videatur: sed eam sartam tectamque conservaturam, ac simul etiam apud Legatos & Patres Concilii curaturam, ut negotium reformationis, considerata ejus inevitabili necessitate, omni quo poterit studio promoveatur. Quo nomine Sanctitatem Vestram impensissime oramus & obsecramus. Neque vero Sanctitas Vestra hoc loco suspicari velit, quod magnis a Sanctitate Vestra precibus petimus, nos id agere, ut Sanctitati Vestræ legem præscribamus, aut eam, quomodo officio suo pastorali fungi debeat, instruamus, cujus sapientiam, pietatem & in regenda ecclesia felicitatem magni facimus, aut etiam ut eam superioritatem, dignam

tem vel auctoritatem, quæ eidem Sanctitati Veſtræ jure ac merito competit, labefactemus vel in dubium revocemus, cujus tuendæ & conſervandæ hactenus ſemper fuimus, erimusque poſt hac quoquo tempore ſtudioſiſſimi, non recuſaturi eam ob cauſam ullos unquam labores, curas & moleſtias, adeoque fortunarum & ſalutis diſcrimen, ſi neceſſitas poſtulet, ſubire. Sed poſteaquam varia ad Nos de præſenti ſtatu concilii allata eſſent, quibus homines tam a Sanctitate Veſtra & ſede Apoſtolica, quam a Concilio magis magisque alienari viderentur, & quæ gravioribus incommodis anſam facile præbere poſſent, exiſtimavimus noſtras partes eſſe, tanquam primogeniti & obedientiſſimi Eccleſiæ filii, ejusdemque Advocati, ut Sanctitatem Veſtram de iisdem certiorem redderemus, & ut ipſa prudentia ſua, divino invocato auxilio, ab Eccleſia tanta mala propulſaret, officioſe rogaremus & cohortaremur, id quod Sanctitatem Veſtram ſperamus pro animi ſui moderatione & paterno in nos amore, benigno & æquo animo laturam, & iis, quæ commemorata ſunt, incommodis aptum & conveniens remedium adhibituram eſſe. Qua in re pollicemur, Nos Sanctitati Veſtræ filiali Noſtro auxilio affuturos, omniaque ea præſtituros eſſe, quæ ad Nos pro ratione muneris noſtri Cæſarei pertinere noſcentur. Et quoniam teſtantur Hiſtoriæ præſentiam ſummorum Pontificum & Imperatorum in Conciliis Eccleſiæ & Chriſtianæ Reipublicæ maximam ſæpe attuliſſe utilitatem, ut nos hanc quoque operam Chriſtiano orbi in hac ſumma neceſſitate præſtemus, volente Deo, ipſi

luben-

lubentisſimo animo ac ſepoſitis omnibus aliis graviſſimis Noſtris difficultatibus ad Concilium veniemus, & progreſſum ejus præſentia Noſtra, quoad ejus unquam fieri poterit, promovere ſtudebimus. Sanctitatem tamen Veſtram hoc loco iterum atque iterum enixe rogamus, ut ipſa id laboris ſuſcipere & afflictæ Eccleſiæ ſuæ in Concilio præſentia tanquam fidelis paſtor & pius pater, benigne conſulere non gravetur. Ita namque ſperandum erit exortas difficultates parvo negotio explicari & extingui, & quæ abſente Sanctitate Veſtra incommoditates impoſterum facillime cum ingenti Concilii perturbatione, nec non Sanctitatis Veſtræ inſigni moleſtia, excitari poterunt, præcaveri & reprimi poſſe: ita ut tandem divina benignitate omnia ſuo debito ac legitimo ordine ad optatum & lætum finem perveniant, atque ad laudem & gloriam Dei demum Eccleſiæ priſtina pax, unitas & concordia reſtituatur. Ad quem ſcopum duntaxat omnia Noſtra conſilia, omnesque cogitationes & actiones Noſtræ reſpiciunt, nec dubitamus, Sanctitatem Veſtram ad eundem una nobiscum finem tendere, a qua ad hæc officioſa & e puro corde & Chriſtiano zelo profecta ſcripta primo quoque tempore benignum & paternum reſponſum expectabimus; quam Deus miſericors Eccleſiæ ſuæ quam diutiſsime ſalvam & incolumem ſervet. Datum Oenipont. die 3. Martii Anno M. D. LXII.

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus & obſequens Filius

FERDINANDUS.

Inſcriptio.

Beatiſſimo in Chriſto Patri & Domino, PIO IV. divina Providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ, ſummo Pontifici, Domino Reverendiſſimo.

(VI.)

Litera SIGISMUNDI AUGUSTI, *Poloniæ Regis, ad* HENRICUM SENIOREM, *Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, quibus ipſi propoſitam, ad pacem cum Sveciæ Rege faciendam oblatæ, gratias agit, & conditiones, quæ ſibi arriderent, articulis a Sveciæ Rege propoſitis, longe tolerabiliores eſſe aſſerit, 1562.*

Illuſtriſſime Princeps & Domine Affinis Noſter chariſſime.

STudium Illuſtritatis Veſtræ, quod ſe ad pacificationem Svecicam adhibuiſſe per literas ſuas Illuſtritas Veſtra oſtendit, hoc ipſo Nobis extitit gratiſſimum, quod optimo erga Nos Remque publicam Chriſtianam animo & conſilio ab Illuſtritate Veſtra ſuſceptum eſſet. Conditiones quidem certe pacificationis iſtius, quas ad ſe ab Sereniſſimo Sveciæ Rege miſſas ait, ad Nos mittit Illuſtritas Veſtra, & jam pridem ad Nos a Serenitate ipſius miſſæ, & usque adeo intolerabiles viſæ fuerunt, ut utrum eas ſuſcipiemus, an Livoniam univerſam ei concedamus, nihil intereſſe videatur. Quamobrem dederamus Nos quoque ad Serenitatem ejus & numero pauciores & genere ipſo multo tolerabiliores conditiones, quas nunc etiam ad Illuſtritatem

Digitized by Google

tatem Veſtram mittimus, ut ſi forte voluerit Illuſtritas Veſtra ea, quæ pro bono Reipublicæ ſemel cœpit, deinceps perſequi & habere quoque ex ſententia Noſtra poſſit, quod ſequatur. Omnino, ſi Illuſtritas Veſtra Serenitatem ejus, ad æquiores ullas, quam hactenus oſtenſæ ſunt, conditiones, pro ſua erga Nos ad Rempublicam Chriſtianam egregia voluntate deducere poterit, Nos quidem æquis & Nobis dignis conditionibus, quibuscunque nihil optabilius exiſtimaturi ſumus: qua de re etiam arbitrorum judicium utrinque delectorum recuſaturi non ſumus: Pacis enim profecto & tranquillitatis publicæ tam ſtudioſi & eſſe & haberi volumus, quam qui maxime. Quod ſi hanc lenitatem & humanitatem Noſtram neglectam eſſe ab adverſariis viderimus, alia Nobis ratio tuendi ac perſequendi juris Noſtri neceſſario erit ineunda: in qua maxima ſpe tenemur, Deum optimum Maximum, injuriarum omnium vindicem, bonitati cauſæ Noſtræ non eſſe defuturum. Illuſtritatem Veſtram optime valere cupimus. Datum Petricoviæ XXIV. Dec. Anno M. D. LXII.

(VII.)

Litera SIGISMUNDI AUGUSTI, Poloniæ Regis, ad HENRICUM SENIOREM, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, quibus Curlandiæ Ducis cauſam ab eo apud Sveciæ Regem agi vehementer gaudet, & num a dicto Rege milites in Germania conſcribantur, quantocyus ſcire cupit, 1563.

Illustrisſime Princeps, Domine, Affinis Noſter charisſime.

ACcepimus Illuſtritatis Veſtræ literas datas 23. die Januarii, ex quibus intelleximus, Illuſtritatem Veſtram ad Sveciæ Regem literas dediſſe, ab eoque diligenter contendiſſe, ut controverſiam hanc, quam cum Illuſtri Domino Curlandiæ Duce cliente ac vaſallo Noſtro ſuſcepiſſe videtur, quietis potius conſiliis quam turbulentis perſequi & componere ſtudeat. Ad quas quidem literas, etſi ſe nondum Illuſtritas Veſtra reſponſum ſcribit accepiſſe, tamen Nobis profecto hoc ſtudium & hæc ſolicitudo Illuſtritatis Veſtræ, tum rebus Chriſtianorum communibus accommodata, tum erga Nos etiam ditionesque Noſtras imprimis amica & benevola merito eſt, ut eſſe debet, gratiſſima. Quam quidem ſemel ſuſceptam curam atque ſolicitudinem, ut tantiſper Illuſtritas Veſtra urgeat, dum certum aliquod a Rege Sveciæ reſponſum obtineri poſſit, etiam atque etiam ab Illuſtritate Veſtra petimus. Quod autem affertur ad Nos, conſcribi in Germania militem ejusdem Sveciæ Regis nomine, de eo etiam cuperemus, ut Illuſtritas Veſtra diligentius illic inquirat, & quicquid de eo cognitum habuerit, ad Nos quamprimum perſcribat. Optime valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Petricoviæ die 12. Martii, Anno MDLXIII.

(VIII.)

Litera SIGISMUNDI AUGUSTI, Poloniæ Regis, ad ERICUM JUNIOREM, Ducem Brunſuico-

co-Luneburgenſem, quibus ſibi de amico ejus in ſe animo ſummopere gratulatur, milites autem ſtipendio & nomine ſuo conduti modeſte recuſat, 1563.

Sigismundus Auguſtus Rex &c.

Illuſtris Princeps, Domine Amice & Affinis Noſter chariſſime.

EX literis Illuſtrium Principum Dominorum Pruſſiæ & Megapolenſis Ducum ſæpe intelleximus de excellenti erga Nos ſtudio & amore Illuſtritatis Veſtræ, quem quidem Nobis cum multis indiciis aliis, tum potiſſimum alacritate illa declaravit, quod ſe Nobis in ſocietatem belli Moſcovitici ultro obtulerit, copiasque militum non exiguas noſtro ſtipendio conducere promiſerit. Quæ res cum Nobis ab Illuſtritate Veſtra gratiſſima acciderit, facere non potuimus, quo minus id Illuſtritati Veſtræ ſignificaremus, illamque certiorem faceremus, fore Nos quoque viciſſim promptos ac paratos, ſi quo unquam ejusmodi caſu & neceſſitate officium Noſtrum Illuſtritati Veſtræ parari poterit. Id eſt enim, quod & mutua Noſtra cum Familia Illuſtritatis Veſtræ neceſſitudo & ſtudium hoc ſingulare ipſius erga Nos requirere videtur. Cæterum quoniam res ipſa ac neceſſitas bellica ita jam per Nos eſt proviſa, ut exercitum juſtum & ex alio milite, & minore multo ſtipendio conficere poſſe videamur, poterit Illuſtritas Veſtra, ſi quas jam habet, contractas copias, aut dimittere liberas, aut iis Principi alicui gratificari, qui ho-

Digitized by Google

ſtis & adverſarius Noſter non fuerit. Deinceps ſi ita res tulerit, non recuſabimus in hoc etiam genere uti opera & ſtudio Illuſtritatis Veſtræ. Nunc quidem etſi eo uti neceſſe non habeamus, tamen voluntatem profecto Illuſtritatis Veſtræ erga Nos propenſiſſimam pluris, ut debemus, facimus. Quam ut Nobis perpetuo Illuſtritas Veſtra conſervet etiam atque etiam petimus. Reliqua ex Illuſtri Domino, Joanne Alberto Megapolenſi Illuſtritas Veſtra intelliget, in quibus, ut Nobis ſolitum ſuum ſtudium & benevolentiam Illuſtritas Veſtra præſtet, ab illa etiam atque etiam petimus. Quæ bene valeat. Datum 28. Maji Anno M. D. LXIII.

(IX.)

Litera SIGISMUNDI AUGUSTI, Poloniæ Regis, ad ERICUM JUNIOREM, Ducem Brunſuico-Luneburgenſem, quibus quo in ſe animo feratur, ſcire deſiderat, 1563.

Illuſtris Princeps, Domine Amice & Affinis Noſter charisſime.

CUm ad Nos indies afferrentur rumores, Illuſtritatem Veſtram cum exercitu in vicinia verſari, etſi certum habere non poteramus, quo potiſſimum cum illo eſſet proceſſura, tamen cum memoria repeteremus, & veterem familiæ Noſtræ cum familia Illuſtritatis Veſtræ conjunctionem ac neceſſitudinem, & recentia quoque erga Nos ipſius Illuſtritatis Veſtræ ſtudia, quæ Nobis tam ſui ipſius quam copiarum iſtarum ſuarum, ad omnem noſtrum

ſtrum uſum ac neceſsitatem, per illuſtres Principes Pruſsiæ ac Megapoliæ Duces, amicos Noſtros charisſimos, deferebat, nihil ejusmodi poteramus de Illuſtritate Veſtra ſuſpicari, quod Nobis hoſtilitatis alicujus opinionem creare poſſe videretur. Quo etiam nunc animo de Illuſtritate Veſtra profecto ſumus, præſertim cum neque Nos cauſam Illuſtritati Veſtræ dederimus', quo minus in cœpta erga Nos & optima voluntate ſua perſeveret; neque Illuſtritas Veſtra quicquam ejusmodi Nobis denunciavit, quod legitime a generoſis animis ſolet fieri, unde Nobis cum Illuſtritate Veſtra aliquid controverſiarum intercedere poſſumus ſuſpicari. Nunc cum rumores de adventante potius ad ditiones Noſtras exercitu Illuſtritatis Veſtræ ad Nos quotidie adferrentur, etſi, ut diximus, perſuadere Nobis de Illuſtritate Veſtra nihil poſſumus, alienum a conjunctione & neceſsitudine, quæ Nobis cum Illuſtritate Veſtra intercedit, alienum etiam a benevolentia Noſtra in Illuſtritatem Veſtram, & recentibus vicisſim ipſius erga Nos ſtudiis & officiis, & quod ſummum eſt, alienum ab ea ratione, quæ eſt ingenuorum hominum & imprimis Chriſtianorum Principum inter ipſos propria, qui controverſias omnes ſuas, non barbarico more, ſed legitimo perſequi conſueverunt, tamen hoc totum, quidquid ad Nos in hoc genere adferebatur, ſignificandum eſſe Illuſtritati Veſtræ putavimus, poſtulantes ab ea, pro more neceſsitudinis mutuæ Noſtræ, & ejus benevolentiæ, quam ſemper exhibere Illuſtritati Veſtræ parati ſumus, ut exercitum hunc ne propius ditionibus Noſtris

ad-

admoveat, populosque Noſtros non modo incommodis & periculis, quæ ex licentia militum evenire poſſent, ſed omnino omni metu & formidine vacuos faciat. Bene valere Illuſtritatem Veſtram cupimus. Datum Vilnæ 1. Septembris, Anno M. D. LXIII.

(X).

Litera FERDINANDI I. Roman. Imperatoris, ad PIUM PAPAM IV. a quo, ut Clericis Conjugium, Laicis vero Calicis in S. Cœna uſum permittere haud gravetur, reverenter contendit, 1564.

Beatiſſime in Chriſto Pater & Domine Reverendiſſime.

POſt humilem commendationem filialis obſervantiæ noſtræ, continuum incrementum. Exiſtimamus, ſupervacaneum eſſe Sanctitati Veſtræ prolixe conteſtari & comprobare ſummum ſtudii & diligentiæ ardorem, quo hactenus omni loco & tempore procuravimus & promovimus commodum, pacem, quietem & unitatem ſanctæ matris Eccleſiæ: ſiquidem Deus ipſe Nobis eſt teſtis & conſcientia noſtra, quod in hac parte neque curis, neque laboribus unquam pepercimus, imo etiam Sanctitati Veſtræ hanc noſtram voluntatem optime cognitam & perſpectam eſſe non dubitamus. Eo ſane pietatis zelo & honeſta intentione moti fuimus, cum proxime celebraretur Tridenti ſacrum œcumenicum Concilium, ut ageremus & laboraremus pro conceſſione Calicis, non cer-

te

te temporalis alicujus commodi aucupandi, ſeu privati emolumenti & lucri obtinendi gratia, aut etiam, quod Nos in conſcientia Noſtra vel minimum ſcrupulum haberemus, de eo, quod huc usque vel in hoc, vel in aliis quibuscunque articulis ſenſit & obſervavit ſancta mater Eccleſia: ſed quia prorſus perſuaſum habuimus, hujusmodi concesſionem futuram eſſe utiliſſimam in genere, plurimum momenti allaturam eſſe in ſpecie, ad reductionem lapſorum & errantium, nec non ad faciendum jam tandem utile principium reſtaurandæ unitatis & pacis Eccleſiæ tam diu fruſtra expectatæ & deſideratæ. Verum quoniam eo tempore Nobis relatum fuerat, non deeſſe, qui de hac materia & conceſſione nonnihil dubitarent, & varia impedimenta injicerent, facile tulimus rem aliquandiu differri, ut poſſemus interim pro exoneratione conſcientiæ Noſtræ de hoc negotio conferre cum nonnullis præcipuis, atque potiſſimum Sacri Romani Imperii Prælatis ac Principibus, exiſtimantes, quod præhabito eorum conſilio rectius atque liberius poſſemus deinde omnibus modis inſtare & elaborare, ut petitioni Noſtræ ſatisfieret. Inſtituta igitur matura ac diligentiſſima deliberatione de hoc negotio, utrum ſcilicet expediat hanc conceſſionem ulterius requirere & urgere, nec ne, cum dictis Prælatis atque Principibus Eccleſiaſticis, nec non Illuſtriſſimo Alberto, Palatino Rheni & utriusque Bavariæ Duce, filio, Principe & Conſanguineo noſtro chariſſimo; & dato eis cogitandi ſpatio, quo & ipſi poſſent rem cum ſuis Theologis & Doctoribus pietate & eruditione

ne

ne præſtantibus conferre (prout contuliſſe non ambigimus) iidem Prælati & Principes Eccleſiaſtici, cum intellexiſſent, Nos ad hujusmodi petitionem tam neceſſariam tum Regnis & Dominiis Noſtris, tum univerſæ nationi Germanicæ, inclinatos eſſe, & ſtatuiſſe Sanctitatem Veſtram hoc nomine reverenter interpellare, magnopere collaudato propoſito Noſtro promiſerunt, quod & ipſi in hac parte non eſſent defuturi officio ſuo, ſed obſequenter exequuturi (quicquid Sanctitas Veſtra ad filialem & officioſiſſimam requiſitionem noſtram dignata fuerit indulgere, concedere atque ſtatuere) & tractare, prima opportunitate oblata, hac ipſa de re cum ſuis provincialibus Coëpiſcopis & Suffraganeis. Poſteaquam ergo cognovimus Prælatos & Principes Eccleſiaſticos a Nobis in hac parte non diſſentire, & indies magis ac magis experti ſumus, quod ſumma rei neceſsitas ulteriorem moram non patiatur, ac inſuper in memoriam revocamus ea, quæ Reverendiſſimus in Chriſto Præſes, Dominus Johannes, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus Prænestinus, Cardinalis Moronus, & Carolus ejusdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli ſancti Apollinaris Presbyter Cardinalis de Lotharingia Princeps, & Amici Noſtri chariſſimi, nomine Sanctitatis Veſtræ Nobis per [*Andream Duditium*] Epiſcopum Quinqueeccleſienſem, tunc Canadienſem, paucis menſibus ante finem Concilii nunciavere, & quæ Reverendus Epiſcopus Pharenſis, Nuncius Apoſtolicus, in eandem ſententiam affirmavit diutius haud cunctandum, ſed primo quoque tempore Sanctitatis Ve-

Digitized by Google

ſtræ benignitatem ac pietatem hisce officioſis literis Noſtris implorandum eſſe duximus, rati non opus fore, quod Sanctitati Veſtræ moleſtiam exhibeamus anxia & prolixa enumeratione multarum gravisſimarum cauſarum, utcunque eas in promptu habeamus, propter quas Sanctitas Veſtra merito poſſit pro æterna multarum animarum ſalute, humili & facili petitioni Noſtræ paterne annuere: ſed arbitrati ſumus ſufficere & gratius quoque futurum Sanctitati Veſtræ, alioquin maximis & plurimis negotiis occupatæ, ſi Sanctitati Veſtræ deſiderium novum ſimpliciter & quam fieri poſſet breviſſime proponeremus. Itaque Nos Sanctitatem Veſtram, noſtro & præfati illius generi Noſtri Ducis Bavariæ nomine impenſisſime rogamus & obſecramus, ut pro ea auctoritate, quam a Deo optimo maximo obtinet, dignetur clementer opitulari tot Germanicæ Nationis, ac Regnorum & Provinciarum Noſtrarum populis, quibus viri Catholici & prudentes judicant, Deo propitio hac conceſſione Calicis optime conſultum iri: quemadmodum Nobis plane perſuaſimus, Sanctitatem Veſtram pro ſumma ſua pietate & juvandæ inſtauranda que collapſæ Religionis Noſtræ Catholicæ ardentiſſimo ſtudio lubenter facturam eſſe, neque permiſſuram, ut fruſtra a Sanctitate Veſtra auxilium petiiſſe videamur in re tam neceſſaria, & ad ſalutem Chriſtiani populi pertinente, quæ in Concilio tam diligenter ventilata & diſcuſſa fuit, præſertim cum jam omnibus conſtet & manifeſta ſit ingens utilitas, quæ ex hujusmodi conceſſione expectan-

da

da est. Præterea habita ulteriore diligentissima deliberatione cum viris Catholica pietate & doctrina claris, & rerum Germanicarum peritissimis, ex illorum sententia Sanctitatem Vestram hac quoq; de re certiorem reddendam esse censuimus, quod Sanctitati Vestræ maximum quoq; momentum adfert, tam ad conservandas in Germania ac regnis & Dominiis Nostris saltem exiguas hasce Religionis Catholicæ reliquias, quam ad cohibendas & extirpandas hæreses, & earum auctores, ebuccinatores & propugnatores, si non solum modum & rationem aliquam invenerit, qua Sacerdotes, qui assertis suis conjugiis se ipsos ab Ecclesia separarunt, Ecclesiæ possint reconciliari, retentis utcunque in contubernio suo assertis illis uxoribus: verum etiam benigne indulserit, quod in iis locis, ubi Presbyteri in eo numero, qui sufficiat, haberi nequeunt, ab Episcopis ordinariis viri Laici, justæ ætatis & doctrinæ ac vitæ probatæ & bonæ famæ, ad ministerium altaris & alia Sacerdotum munera admittantur. Quo circa prætermittere non potuimus neque debuimus, in tanta rerum difficultate, quin etiam hoc nomine Sanctitatem Vestram omni, quo possumus, studio pro Nobis ipsis & pro antedicto Illustrissimo & charissimo genero Nostro, rogaremus & obtestaremur, ut postposita omni dilatione in hoc quoque articulo salutare remedium adhibeat. Et cum Sanctitas Vestra non ignoret, judicio & sententia tot piissimorum hominum, tali curatione Ecclesiam Catholicam, divino favente Numine, plurimum juvari & multa animarum

rum millia ſalvari poſſe, nequaquam intermittat etiam Sanctitas Veſtra in hac parte Apoſtolicam ſuam auctoritatem exercere. Hoc ipſum enim tempus eſt (quod cum debita filiali reverentia dictum volumus) quo Sanctitas Veſtra id præſtare, perficere & proſequi poterit, ut nomen ejus in perpetuum celebretur atque laudetur, ac vere de Sanctitate Veſtra dicatur: Quid potuit facere & non fecit vere PIUS Pontifex, quo nutantes firmaret, lapſos erigeret, & errantes in gremium Eccleſiæ reduceret? Profecto Sanctitas Veſtra in eo factura eſt rem vocatione & pietate ſua digniſſimam: quam procul dubio Nos ipſi & omnes pii & Chriſti fideles in univerſo Chriſtiano Orbe Noſtris ad Deum optimum maximum orationibus pro incolumitate & felicitate jugiter fundendis promereri ſtudebimus. Cui quod reliquum eſt, filialis obſervantiæ Noſtræ officia reverenter offerimus & commendamus. Datum in Civitate Noſtra Vienna, die decima quarta menſis Februarii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, Regnorum Noſtrorum, Romani trigeſimo quarto, aliorum vero trigeſimo octavo.

Sequentes Lineæ ſcriptæ manu Imperatoris propria feruntur.

Quod Nos Noſtro & præfati illius & Chariſſimi filii noſtri, Ducis Bavariæ, nomine, a Sanctitate Veſtra ſtudio unitatis & pacis Catholicæ Eccleſiæ promovendæ reverenter petimus, id ſine negotio & mora conceſſum iri confidimus: quinimo illis potiſſimum de cauſis, quas Sanctitas Ve-

ſtra ex Romano Cardinali Morono & ex Oratore Noſtro intelliget, omnino ita fore pro certis tenemus.

Ejusdem Sanctitatis Veſtræ

Humilis & obſequens filius

FERDINANDUS.

Inſcriptio.

Beatiſſimo in Chriſto Patri & Domino PIO IV. divina providentia Sacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino Reverendiſſimo.

(XI.)

Literæ MAXIMILIANI II. *Romanorum Regis, ad* JOHANNEM, *Archipræſulem & Electorem Trevirenſem, quibus Georgium Caſſandrum, Theologum, ad ſe quam primum transmitti deſiderat, 1564.*

Maximilianus II. Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus &c.

Reverende dilecte Cognate & Princeps Elector.

POſtquam Cæſareæ Majeſtati Domino & Patri Noſtro Clariſſimo & Nobis cauſæ oblatæ ſint, ob quas honeſto & docto Georgio Caſſandro, qui nobis tanquam pius, eruditus, diſcretus & in ſacris literis valde bene verſatus commendatur, opus habemus,

Digitized by Google

bemus, ut is hoc tempore, ſicuti nobis relatum eſt, vel in Noſtra & Sacri Imperii Civitate Colonia vel apud tuam Dilectionem ſe contineat, cum ſingulari noſtro ſcripto (quod recta Coloniam mittimus) ad Nos huc accerſimus.

Itaque clementer & amice a tua Dilectione petimus, ut ſi dictus Caſſander jam apud tuam Dilectionem præſens ſit, vel brevi expectetur, Tua Dilectio eum ſtatim lectis his literis omnibus convenientibus mediis & via eo hortari, perſuadere & impellere velit, ut omni exceptione poſtpoſita ſe recta ac illico ad iter paret, & profectionem ad Nos huc in Dei omnipotentis nomine ſuſcipiat, ut quod per Rhenum Wormatiam usque commode fieri poterit, inde vero terreſtri itinere Ulmam porro per Danubium expeditum deſcenſum ad Nos inveniet.

Et non dubitamus, quin tua Dilectio una cum duobus ſociis Eccleſiaſticis Electoribus pro honorifica Veſtra erga Cæſaream Majeſtatem & Nos obedientia, quantum ad Vos attinet Veſtro hac in parte muneri minime defuturi ſitis, præſertim cum Cæſareæ Suæ Majeſtati & Nobis hoc homine in cauſis, quas ſperamus ad communis Chriſtianitatis ſalutem Dei benignitate evaſuras, uti decretum ſit. Quamobrem illi ad hoc iter conficiendum per Noſtrum Miniſtrum Georg Langen neceſſarium viaticum & commeatum Spiræ aſſignavimus.

In eo Tua Dilectio Cæſareæ Majeſtati & Noſtræ voluntati ſatisfaciet, Nosque ejus in aliis erga Tuam Dilectionam omni amore & Clementia memores ſentiet. Datum Viennæ 20. Maji

Digitized by Google

Anno 1564. Regnorum noſtrorum Romani ſecundo, Hungarici primo, Bohemici ſexto decimo.

Maximilianus II.

Ad mandatum Domini Regis proprium.

Inſcriptio.

Reverendo Johanni Archiepiſcopo Trevirenſi, Sac. Rom. Imperii per Galliam & Regnum Arelatenſe Archi-Cancellario, Cognato Noſtro dilecto & Principi Electori.

(XII.)

Litera MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris, ad PIUM PAPAM IV. apud quem denuo, ut Clericis uxores ducere liceat, decenter inſtat, 1564.

Beatiſſime in Chriſto Pater, Domine Reverendiſſime.

POſt officioſam commendationem filialis obſervantiæ continuum incrementum. Licet plane perſuaſum habeamus, Sanctitatem Veſtram poſt reditum Nunci ſui Reverendi Epiſcopi Vintimellienſis, abſque ulteriore dilatione eum, quem optamus, finem impoſituram eſſe negotio Presbyterorum conjugatorum reſponſionis ea in re pro præſentis temporis ſtatu, ineundæ, de quo jam dudum cum Sanctitate Veſtra, Sereniſſimus & Potentiſſimus quondam Princeps, Dominus Ferdinandus, electus Romanorum Imperator præclariſſimæ memoriæ Dominus ac genitor Noſter obſervandiſſimus, tracta-

tractare cœpit, & Nos quoque poſt obitum Majeſtatis ſuæ accurate egimus, quia tamen res ejus eſt momenti, ut omnem moram excludat propter multas & graviſſimas cauſas, quas Sanctitas Veſtra jam antea ſæpius intellexit, & nunc rurſus tam præfato Epiſcopo Vintimillienſi, cum quo ſatis copioſe hac de re locuti ſumus, quam Oratore Noſtro, Magnifico fideli & Dilecto, Proſpero Comite ab Archo, intelligere poterit, non dubitavimus Sanctitatem Veſtram de ejuſcemodi negotio per præſentes literas Noſtras atque etiam per jam dictum Oratorem Noſtrum denuo officioſe interpellare. Itaque Sanctitatem Veſtram ſummo ſtudio rogamus, ut hujusmodi filialem interpellationem ac petitionem Noſtram ex integerrimo animo ac propenſiſſimo ad promovendam Eccleſiæ Catholicæ unitatem & quietem ſtudio ac zelo profectam, non modo in meliorem partem accipiat, verum etiam abſque ulteriore cunctatione paterne atque benevole admittat: quo jam tandem maximus iſte miniſtrorum Eccleſiæ ac Sacerdotum defectus & inopia, qua hoc turbulento ſeculo Germania, & præcipue Regna & Dominia Noſtra & Sereniſſimorum & chariſſimorum fratrum Noſtrorum laborant, ſarciri queat. Qui niſi modo ſarciatur, ita videlicet, ut populus Chriſtianus habeat pios atque idoneos concionatores Parochos & Eccleſiæ Miniſtros, a quibus ſacra doctrina imbuatur, & ſacramenta rite adminiſtrata percipiat, nullam ſane videmus viam aut rationem, qua diutius in obedientia Catholicæ Eccleſiæ, a qua hanc potiſſimum ob cauſam indies magis deficit, retineri, nedum ad eam

reduci queat, cum nec concessio Calicis eum fructum afferre possit, quem optamus, nisi Clero perinde ac Laicis, consultum & perspectum sit. Et quo diutius res differetur, eo periculosior futura est tempestas, ac timendum, ne brevi eo deveniamus, ut ne hoc quidem remedium tam sero adhibitum huic lethali Ecclesiæ vulneri sanando sufficiat, sed crescentibus indies magis dissensionibus (quod Deus avertat) ad postremum Religio Catholica in his Regnis & Provinciis prorsus extinguatur. E diverso, si clero hac concessione subveniatur, sicuti Sanctitas Vestra dignata est laicis concessione sacri Calicis subvenire, sperandum est omnia futura tranquilliora, & ad recuperandam Ecclesiæ unitatem faciliora. Poterunt enim Episcopi tunc jurisdictionem suam in uxoratos etiam Presbyteros exercere, & indignos amovere & punire: quos cum in hac rerum confusione, propter conjugium, nihil prorsus curaverint, evenit quod (sicuti Nobis demonstratum est) omne genus hominum in hæc Regna & Provincias Nostras clandestine irrepserit, inter quos non desunt, quos nec Augustanæ Confessionis Principes & Status in ditionibus suis tolerare poterunt, sed eos ejiciendos atque exterminandos censuerunt. Quæ omnia ut Sanctitas Vestra, pro sua eximia pietate benigne ac paterne considerare, & lapsis Ecclesiæ rebus hac, quam ostendimus, via in tempore occurrere, ac Nobis absque longiori mora certum & optatum responsum dare velit, eandem Sanctitatem Vestram iterum atque iterum impensissime rogamus & obtestamur; quæ in eo factura est rem officio suo Pastorali plane conveni-

venientem, atque his Regnis & Provinciis Noſtris ac chariſſimorum fratrum Noſtrorum omnino neceſſariam, qua Sanctitas Veſtra haud dubie apud omnes bonos immortalem ſibi laudem & benevolentiam comparabit, atque Nos ita ſibi devinciet, ut nullam unquam occaſionem prætermiſſuri ſimus Sanctitati Veſtræ vicisſim animi Noſtri gratitudinem filialis obſervantiæ ſtudiis declarandi & conteſtandi, quam Deus omnipotens pro beneficio & commodo Eccleſiæ ſuæ quam diutiſſime ſalvam & incolumem ſervare dignetur. Datum in Civitate Noſtra Vienna, die vigeſima octava Menſis Novembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto: Regnorum Noſtrorum, Romani tertio, Hungariæ ſecundo, Bohemiæ vero decimo ſexto.

Ejusdem Sanctitatis Veſtræ

obſequens filius

MAXIMILIANUS.

Inſcriptio.

Beatiſſimo in Chriſto Patri, PIO QUARTO, divina providentia ſacroſanctæ univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino Reverendiſſimo.

(XIII.)

Litera MAXIMILIANI II. Rom. Imperatoris, ad LAZARUM LIB. BAR. A SCHWENDI, quibus illi candide exponit, quam vehementer fœdum Pariſiis perpetratum inauditæ lanienæ faci-

nus, & iniqua Hiſpanorum in Belgas conſilia abominetur, 1574.

Dilecte Schwendi,

REcte accepi & cognovi literas tuas, & Chriſtianam ac fidelem condolentiam tuam, qua affici te oſtendis erga meum morbum, gratam habeo cumprimis. Æternus Deus, cujus in manu ſunt omnia, agat mecum pro ſua paterna voluntate. Ipſi enim pro omnibus ago gratias, ut qui unus omnium optime novit, quid mihi utile ac ſalutare, quid vero damnoſum ſit: Egoque in ipſius voluntate divina patienter & optime acquieſco. Nam ita eunt res in hoc mundo, ut in illis parum aliquis experiatur voluptatis aut quietis. Adverſitatum vero & perfidiæ & inhoneſtarum actionum ubique plena ſunt omnia. Dominus miſereri noſtri & hæc mala a Chriſtianitate ſua avertere dignetur. Neque ſane mirum eſſet, ſi quis hoc rerum ſtatu plane ad ſtuporem atque inſaniam redigeretur: qua de re multa ſcribi poſſent. Ego paulatim Dei benignitate convaleſco, jamque adeo incipio greſſus ſcipione firmare. Laudandus Deus in omnibus ſuis operibus. Quod attinet ad præclarum illud facinus, quod Galli in Amiralio ejusque ſociis tyrannice perpetrarunt: equidem id minime probare poſſum; magnoque cum dolore animi intellexi, Generum meum ſibi perſuaderi paſſum eſſe tam fœdam lanienam. Quanquam ſcio, magis alios imperare quam ipſum. Attamen hoc ad excuſationem facti non ſufficit: neque hoc ſatis eſt palliando ſceleri. Utinam me adhibuiſſet in conſilium! Equidem

dem ei fidele & paternum consilium dedissem, nunquam enim hæc talia me auctore fecisset. Tantam sibi ipsi hoc facinore aspersit maculam, quantam non facile eluerit aut absterserit. Ignoscat Deus illis, qui culpam hujus rei sustinent! Vehementer enim metuo, ne progressu demum temporis sentiant, quid hac via profecerint. Ac revera sic est, ut tute prudenterque scribis. Res pietatis gladio non volunt dijudicari neque tractari. Neque aliter sentiet quisquam, in quo aliquid est pietatis & honestatis, ullumve pacis & tranquillitatis studium reliquum. Ad hæc longe aliud Nos docuerunt Christus & Apostoli ejus. Nam ipsorum gladius erat lingua, doctrina, verbum Dei & vita Christo digna, ipsorumque mores invitare Nos debent atque allicere, ut eos sequamur, quemadmodum & quousque ipsi Christum sequuti sunt. Taceo, quod insanum illud genus hominum oportebat in tot annis jam vidisse atque expertum esse ipsis rerum argumentis & eventu ipso, supplicíorum crudelitate, sectionibus, inquam, & ustionibus, non posse hanc rem confici. Breviter, ipsorum actiones mihi minime placent, nec unquam adducar, ut eas laudem, nisi forte (quod tamen serio deprecabor ne fiat) Deus permittat, ut in furorem & insaniam prolabar. Imo non possum apud te dissimulare, repertos esse nonnullos impudentes & mendaces nebulones, qui dicere ausi sint; Quicquid hic fecit Gallus, id me non solum conscio, sed etiam auctore ipsum fecisse. Qua in re Deum appello testem, mihi coram ipso & toto mundo summam fieri injuriam. Sed non sunt mihi nova amplius

ejusmodi mendacia & calumniæ, quas jam antea sæpe devorare coactus sum. Commendo autem ista omnia Deo meo. Is tantas injurias novit suo tempore depellere & vindicare. Quod ad res Belgicas attinet, non magis & hic probare possum, quod modum excesserint. E contrario bene memini, quoties & quam in sententiam Regi Hispaniarum scripserim & consuluerim, sed quid multa? Consilium Hispanicum longo fuit acceptius meo fideli consilio. Jamque adeo ipsimet fateri errorem suum coguntur, & quod huic malo causam maximam præbuerint ipsi: Ego bonum finem spectavi, & ne istæ tam præclaræ & nobiles Provinciæ tam miserabiliter perderentur. Et quamquam consilia mea sequi noluerunt, ut deinceps a consiliis dandis merito refugere debeam; tamen nec sic quidem abstineo, & fideliter facio, quantum facere possum. Faxit Deus, ut fructus inde sequatur optatus, & tandem desistatur ab ejusmodi violentis remediis, ac sufficiant priora. Ut paucis absolvam: Agant Hispani & Galli quocunque modo ipsis libuerit: tamen Deo, justo illi judici, rationes suarum actionum aliquando reddere cogentur. Ad me quod attinet: equidem, Deo volente, honeste, christiane, fideliter & candide atque integre agam: & certo confido, Deum benedictione & gratia sua mihi adfuturum, ut actiones consiliaque mea possim Deo & hominibus probare. Hoc ubi fecero, nihil moror hunc improbum & malignum mundum. Sperabam sane aliquanto me citius posse in Regnum Bohemiæ venire, quia vero nondum plane convalui, Medici omnino mihi dissuadent,

ne in hoc tanto frigore profectionem instituam. Itaque Comitia Regni quin indicerem, differre diutius non potui. Et, nisi quid interim inciderit impedimenti, duos natu maximos filios meos destinavi Vicarios seu Legatos meos. Verumtamen, si Deus aspirarit votis Nostris, ubi jam æstas appropinquaverit, nec ipse abero. Nam alioquin, ut est ipsa gubernandi ratio, non possent res consistere aut durare. Et tam Regni quam mea necessitas, Nostram requirit præsentiam. Nec enim me fugit, quomodo agatur, & ut res procedant. Hisce te Deo commendo, qui omnia pro suo beneplacito dirigat, ad Christiani Orbis & Nostram omnium salutem. Viennæ 22. Februarii, Anno 1574.

(XIV.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad EMANUELEM PHILIBERTUM, Ducem Sabaudiæ, quibus humanæ fragilitatis vices, ob conjugem ejus præmaturæ morte extinctam christiane dolet, eum vero egregie & pie solatur, 1575.

JAm antea, Illustrissime Princeps, Domine Cognate charissime, cum de obitu præstantissimæ Conjugis Dilectionis Vestræ sparsi rumores essent, soliciti valde fuimus: & nunc vero postquam ex literis Dilectionis Vestræ hæc certa esse cognovimus, casum hunc pro eo, ac debuimus animo, sane ægerrime tulimus. Heu quamvis cum illa quidem præclare actum esse existimandum sit; quæ cum esset summo loco nata, Principi Potentissimo felicissime nupta, & maximæ spei filio aucta, atque omnium hominum studia, observantiam & amorem

rem, præſtanti virtute ſua, ſibi conciliaſſet; adeoque nil non eorum conſecuta eſſet, quæ inter mortales ſumma putantur; vitam tandem in his terris placide clauſit; eo tempore, quo totus Orbis Chriſtianus imminentibus undique periculis labaſcere, & mundi jam diu nutantis machina ruinam minari videretur, ſic, ut non tam diem ſuum obire, quam ex irato turbulentiſſimi hujus ſeculi pelago in tutiſſimum abiiſſe portum recte dici poteſt: tamen cum reputemus cum animo, quantum ſui deſiderium Dilectioni Veſtræ ejusque filio ſuaviſſimo reliquerit, cujusmodi ornamentum inclyta Sabaudiæ Domus amiſerit; & quo præſidio tota huic ſubjecta provincia orbata fuerit; fieri equidem non poteſt, quin pro mutua neceſſitudine Noſtra doleamus vehementer & judicemus, hoc incommodum cum Dilectione Veſtra commune eſſe. Sed ut noſtras curas inanibus querelis incendere & augere conſultum non eſt, ita quod reliquum erat, fortiſſimi animi Principem conſolari minime audemus. Vivit illa, & in ſempiternum vivet in cœleſti aula, omnibusque præſepta malis, felix & fine cariturum ævum auget: qua ſpe certa & fixa non eſt dubium, quin Dilectio Veſtra in hoc ſe luctu erigat & ſuſtentet; & Nos idem etiam Nobis faciendum eſſe judicamus, ne cognatæ charisſimæ cœleſtia gaudia invidere potius, quam noſtram vicem dolere videamur. De oppidis Pinarolio & Saviliano reſtitutis Dilectioni Veſtræ gratulamur, & illam adhuc recte valere libentiſſime cognovimus. Nos etiam Divina benignitate cum conjuge Noſtra charisſima & dulciſſimis liberis bene valemus: & Dilectio-

lectionem Vestram perpetuo optime valere, eique animum hunc vertentem felicisſimum esſe valde cupimus. Ex arce Annæburgensi XIV. Calend. Januar. Anno MDLXXV.

(XV.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad EMANUELEM PHILIBERTUM, Sabaudiæ Ducem, quibus ipſi, ſe cauſam Monſeratenſem Imperatori impenſe commendaſſe refert, & ut voti damnetur, optat, 1575.

Illuſtrisſime Princeps, Domine & Agnate charisſime.

ET Legatum Dilectionis Vestræ Claudium a Cooland coram audivimus, & literas ex Dilectionis Vestræ ſententia, quam Dominus Claudius oſtendit, ad Imperatorem dedimus: quibus Cæſareæ ejus Majeſtati cauſam Montferatenſem ita ſtudioſe commendavimus, ut facile animadverti inde posſit, ſummam inter Nos neceſsitudinem ac cognationem intercedere, & Nobis hoc negotium imprimis curæ esſe, Nosque adeo omnia Dilectionis Vestræ cauſa cupere. Cumque ante hac polliciti ſemper fuerimus, ne quid forte accideret, quo ſpes illa de reſtitutione pulcherrimorum oppidorum Pinarolii & Saviliani hisce conjunctæ vallis Peruſiæ, aut interverteretur, aut protraheretur longius: libentisſime ſane tam ex Dilectionis Vestræ literis, quam ex ſermonibus Domini Claudii intelleximus ac cognovimus, hoc pleno jure in poteſtatem Dilectionis Vestræ perveniſſe:

ob

rem, præſtanti virtute ſua, ſibi conciliaſſet; adeoque nil non eorum conſecuta eſſet, quæ inter mortales ſumma putantur; vitam tandem in his terris placide clauſit; eo tempore, quo totus Orbis Chriſtianus imminentibus undique periculis labaſcere, & mundi jam diu nutantis machina ruinam minari videretur, ſic, ut non tam diem ſuum obire, quam ex irato turbulentiſſimi hujus ſeculi pelago in tutiſſimum abiiſſe portum recte dici poteſt: tamen cum reputemus cum animo, quantum fui deſiderium Dilectioni Veſtræ ejusque filio ſuaviſſimo reliquerit, cujusmodi ornamentum inclyta Sabaudiæ Domus amiſerit; & quo præſidio tota huic ſubjecta provincia orbata fuerit; fieri equidem non poteſt, quin pro mutua neceſſitudine Noſtra doleamus vehementer & judicemus, hoc incommodum cum Dilectione Veſtra commune eſſe. Sed ut noſtras curas inanibus querelis incendere & augere conſultum non eſt, ita quod reliquum erat, fortiſſimi animi Principem conſolari minime audemus. Vivit illa, & in ſempiternum vivet in cœleſti aula, omnibusque præſepta malis, felix & fine cariturum ævum auget: qua ſpe certa & fixa non eſt dubium, quin Dilectio Veſtra in hoc ſe luctu erigat & ſuſtentet; & Nos idem etiam Nobis faciendum eſſe judicamus, ne cognatæ chariſſimæ cœleſtia gaudia invidere potius, quam noſtram vicem dolere videamur. De oppidis Pinarolio & Saviliano reſtitutis Dilectioni Veſtræ gratulamur, & illam adhuc recte valere libentiſſime cognovimus. Nos etiam Divina benignitate cum conjuge Noſtra chariſſima & dulciſſimis liberis bene valemus: & Dilectio-

lectionem Vestram perpetuo optime valere, eique animum hunc vertentem felicissimum esse valde cupimus. Ex arce Annæburgensi XIV. Calend. Januar. Anno MDLXXV.

(XV.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad EMANUELEM PHILIBERTUM, Sabaudiæ Ducem, quibus ipsi, se causam Monferatensem Imperatori impense commendasse refert, & ut voti damnetur, optat, 1575.

Illustrissime Princeps, Domine & Agnate charissime.

ET Legatum Dilectionis Vestræ Claudium a Cooland coram audivimus, & literas ex Dilectionis Vestræ sententia, quam Dominus Claudius ostendit, ad Imperatorem dedimus; quibus Cæsareæ ejus Majestati causam Montferatensem ita studiose commendavimus, ut facile animadverti inde possit, summam inter Nos necessitudinem ac cognationem intercedere, & Nobis hoc negotium imprimis curæ esse, Nosque adeo omnia Dilectionis Vestræ causa cupere. Cumque ante hac polliciti semper fuerimus, ne quid forte accideret, quo spes illa de restitutione pulcherrimorum oppidorum Pinarolii & Saviliani hisce conjunctæ vallis Perusiæ, aut interverteretur, aut protraheretur longius: libentissime sane tam ex Dilectionis Vestræ literis, quam ex sermonibus Domini Claudii intelleximus ac cognovimus, hoc pleno jure in potestatem Dilectionis Vestræ perveniisse:

ob

ob id amanter gratulamur, ac reſtitutionem hanc felicisſime evenire cupimus. Et ut Nobis dubium nullum fuit, Dilectionem Veſtram, quæ ipſi acceſſerunt, Nobiscum libenter communicaturam eſſe: ita eidem perſuaſum eſſe volumus, nihil in ſubjectis Nobis ditionibus extare, quo non pari ſtudio, & promptisſime Dilectioni quoque Veſtræ gratificari velimus. Quod reliquum eſt, id Dominus Claudius Noſtris verbis exponet & declarabit prolixius Dilectioni Veſtræ. Quam Dei Optimi Maximi protectioni commendamus & rebus omnibus perpetuo rectisſime habere cupimus. Dresdæ IV. Calend. April, An. MDLXXV.

(XVI.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad HENRICUM III. Galliæ Regem, quibus ſe excuſat, quod afflicto Galliæ Regno ſuppetias, ob imminens Germaniæ grave a Turcis & feroci Scytharum gente bellum, venire non poſſit, 1575.

P. P.

REdditæ Nobis ſunt, Serenisſime Rex, Domine & Cognate chariſſime, Serenitatis Regiæ Veſtræ literæ, ex quibus poſt ſparſos de pacificatione Gallica rumores, pro Noſtro in Regnum illud ſtudio perinviti cognovimus, bellum illinc denuo incrudeſcere. Et quamvis petitionem Serenitatis Veſtræ libenter admitteremus: tamen graviſſimæ Nos cauſæ urgent, quo minus hoc tempore equitatu & milite ditiones Noſtras nudare poſſimus. Cum enim Barbararum Gentium, undique Germaniæ Noſtræ imminentium infeſtiſſimis armis veluti ob-

obſeſſi teneamur, dum hinc Scythæ natione immaniſſimi graſſantur; illinc crudeliſſimus & totius Chriſtianitatis perpetuus hoſtis, tyrannus Mahumeticus, cruentas minas ſpiret: adeoque implacabili odio Chriſtiani Nominis ardens totis viribus arma adverſus vicinas Nobis Provincias expediat: profecto magnitudo periculi Nobis proximi etiam atque etiam poſtulat, ut in omnem eventum inſtructi & parati ſimus, quo vicinis Noſtris laborantibus ſubſidio eſſe, Deique Optimi Maximi auſpiciis truculentiſſimos & ferociſſimos hoſtes a ſocis & aris arcere poſſimus. Quamobrem etiam interdictis promulgatis mandavimus, ne quisquam ſubditorum Noſtrorum extra Provinciam, quocunque locorum in militiam iret. Et Nobis perſuademus, Ser. Veſtram Regiam, pro inſigni prudentia ſua juſtiſſimam hanc excuſationem noſtram, quod Germania & communi Patria in ſummo diſcrimine conſtituta, his difficillimis temporibus equitatum & militem in ditionibus Noſtris retinere cupiamus; non modo amanter accepturam, ſed etiam probaturam eſſe conſilium hoc noſtrum, non ſolum ditionibus his, ſed toti Chriſtiano Orbi neceſſarium & ſalutare. Quod ſi ad pacem optimis rationibus in Regno Galliæ conſtituendam aliquid facere poſſemus, nullum equidem, & Chriſtianæ & Gallicæ tranquillitatis cupidiſſimi, boni Principis officium prætermitteremus. Ut qui intelligamus, quantum præſidium adverſus barbarorum ſævisſimos conatus toti Chriſtianitati accedat, ſi tam animis quam armis pari ſtudio conjuncti Germani & Galli Chriſtiani nominis protectio-

ctionem & defenſionem ſuſcipiant. Benevaleat Ser. Regia Veſtra. Dresdæ Pridie Calend. Dec. Anno MDLXXV.

(XVII.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad ANNAM, Principem ex inclyta Regum Polonorum ſtirpe natam, de pecunia mutua, quam ipſi Senatus Lipſienſis ſolvere debebat, agentes, 1576.

SErenisſimæ Principi, Dilectioni Veſtræ operam & ſtudium Noſtrum cum ſignificatione præcipuæ benevolentiæ & honoris, in omni officiorum genere deferimus. Poſteaquam ad Nos per Dilectionis Veſtræ adminiſtrum Aulicum generoſum Bartholomæum Zamacki relatum eſt, de pecunia illa, quam illuſtriſſima quondam Princeps, Domina Sophia Brunſuicenſium Duciſſa, piæ memoriæ, ſoror Dilectionis Veſtræ amantiſſima, ſenatui Civitatis Noſtræ Lipſienſis credidit: ſane pro Noſtro in Domum Jagellonicam ſtudio, & ſingulari erga Dilectionem Veſtram obſervantia, nihil prius habuimus, quam ut Senatui Lipſienſi mandaremus, pecuniam hanc, cum dies ſolutionis venerit, ut loco tuto deponat, atque hoc Illuſtriſſimo Principi, Domino Julio, Brunſuicenſium Duci ſignificet, & petat, ut literas obligationis, quas penes ſe habet, eodem conferat. Sic fiet, ut Senatus Lipſienſis ad diem conſtitutum in mora non ſit, fidemque literarum ſuarum liberet: Et literarum obligatio, quæ niſi reſtituatur, Senatus petitionibus pecuniæ ſatisfacere non teneretur, ſalva ſit: ac tandem re utrinque diſceptata & excuſſa, in ejus, cui jure

Digitized by Google

jure debetur, poteſtatem pecunia ex depoſito veniat. Qua in re Nobis perſuaſum eſt Dil. Veſtr. juſtitiam & æquitatem probaturam, & Noſtram erga ſe, cui literis his, ad petitionem Dil. Veſtr. pecuniam dari promittimus, perſpecturam eſſe benevolentiam. Quam ut evidentius etiam declaremus, ad Illuſtriſſimum Principem, Dominum Julium, Brunſuicenſem Ducem literas quoque dedimus: in quibus Dilectioni ejus negotium, quod confectum cupit Dilectio Veſtra, commendamus ſtudioſe & amanter rogamus, ut ornatum muliebrem, gemmas, veſtes & pretioſam ſupellectilem adeoque reliqua omnia, quæ ad Dilectionem ejus ex Illuſtriſſimæ quondam Principis, Dominæ Sophiæ, piæ defunctæ, bonis pervenerunt; quæque ad Dilectionem Veſtram jure hæreditatis pertinent, eidem non gravatim concedat & tribuat, atque in hoc tam Dilectioni Veſtræ, quam Nobis gratificetur: ut intelligat amorem Noſtrum Dil. Veſtra, nosque ſua benevolentia porro amplectatur, & a nobis contra expecter omnia, quæ ab amantiſſimo Jagellonici nominis Principe & amico optimo expectari par eſt. Ex Arce noſtra Annæburg. VIII. Id. Februarii Anno M. D. LXXVI.

Inſcriptio.

Sereniſſimæ Principi, Dominæ Annæ, ex inclyta Regum Polonorum ſtirpe natæ, Dominæ adfini noſtræ charisſimæ.

(XVIII.)

Litera AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, ad ORDINES REGNI POLONIAE, quibus Chriſtophoro Duci Megapolitano, reſiduam ſtipendii

gratuiti, vulgo penſionis, ſummam exſolvi petit, 1576.

Reverendiſſimis, Illuſtribus, Magnificis, Generoſis ac Nobilibus, amicis Noſtris chariſſimis, nec non ſincere Nobis dilectis, Dominis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Principibus, Palatinis, Comitibus, Baronibus, Equitibus ac Nobilibus, Potentiſſimi Regni Polonici Senatoribus ac Proceribus in præſenti omnium Ordinum conventu generali univerſis & ſingulis ſalutem & ſtudia in omni benevolentiæ genere paratiſſima, nec non benignitatem & gratiam Noſtram!

Reverendi, Illuſtres & Magnifici Domini Senatores, Generoſi Proceres, Equites & Nobiles diſtrictuum Polonicorum Legati.

SIgnificavit Nobis Illuſtriſſimus Princeps, cognatus Noſter chariſſimus, Dominus Chriſtophorus Dux Megapolenſis, ſibi ob ſingulare ſtudium ſuum & voluntatem egregiam erga celeberrimum Poloniæ Regnum jam diu ſtipendium annuum ex ærario publico perſolvendum conſtitutum & promiſſum fuiſſe: ex quo aliquot adhuc penſiones Dilectioni ejus eſſent reſiduæ: & rogavit, ut apud Dilectiones & Illuſtritates Veſtras & Vos literis miſſis intercederemus, quo facilius id, quod reſtat, conſequi poſſet. Nos autem, etſi animadvertimus, Ducem Chriſtophorum hæcita a Nobis petere, ut præcipuam hujus ſolutionis obtinendæ ſpem in benevolentia & æquitate veſtra poneret: tamen cum commendationem etiam literarum

No-

Noſtrarum Dilectio ejus fructuoſam fore exiſtimaret, non voluimus equidem cognato Principi in cauſa tam juſta deeſſe. Quamobrem cum Nobis perſuaſum ſit, Dilectiones Veſtras & Vos, pro inſigni æquitate, juſtitia & integritate ſua ſponte inclinare ad præſtandum id, quod ſtipendii Chriſtophoro promiſſi obligatio dictat: itaque amanter, benigne etiam atque etiam rogamus, ut per Dilectiones & Illuſtritates Veſtras & Vos ærarii publici præfectis mandetur, ut Duci Chriſtophoro de eo, quod reliquum eſt, ſatisfaciant. Erit id Dilectionibus & Illuſtritatibus Veſtris & Vobis apud omnes exteros perhonorificum & Nobis valde gratum, ſi intellexerimus, commendationem literarum Noſtrarum cognato Noſtro ſalutarem fuiſſe. Dresdæ VI. Cal. Jul. Anno MDLXXVI.

(XIX.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad EMANUELEM PHILIBERTUM, Sabaudiæ Ducem, quibus cauſam Montferratenſem ſibi, licet in Comitiis abſenti, ita curæ fore promittit, ut ipſi de felici in ea ſucceſſu dubitandi locus non ſit futurus, 1576.

P. P.

EX literis Auguſtæ Taurinorum XII. Calend. Maji ad Nos ſcriptis perſpeximus, Dilectionem Veſtram exiſtimaſſe, Oratores ſuos Auguſtæ Nos Tiberiæ conventuros eſſe. Quod ſane etiam futurum erat, niſi Nobis varia & multa impedimenta objecta fuiſſent, quæ Nos in Provincia Noſtra retinuerunt hactenus & adhuc retinent. Quam-

vis autem Comitiis Imperii hoc tempore Nos ipſi intereſſe non poſſimus, tamen Dilectionem Veſtram omnino perſuaſam eſſe cupimus, abſentibus etiam Nobis exiſtimationem, rem & dignitatem ſuam, ita curæ futura eſſe, ut nihil omnino ſimus prætermiſſuri, quod in hoc genere per Nos elaborari & effici poteſt. Itaque Legatis Noſtris jam antea Auguſtam Tiberiam præmiſſis, per literas diligenter & ſerio ſcriptas mandavimus, ut ex ſententia Oratorum Dilectio Veſtra tam ipſi Cæſari, quam reliquis Principibus cauſam hanc, quam Nobis pro conjunctione Noſtra mutua communem eſſe ducimus, diligentiſime noſtris commendent verbis, ac omnibus in rebus rationem habeant, conſulant, enitantur, & præparent quodammodo omnia, quo & Dilectio Veſtra & reliqui omnes ſciant, & intelligant, nos omnia cupere & velle Dilectionis Veſtræ cauſa: quam optime valere & proſpero rerum ſucceſſu perpetuo gaudere & frui optamus. Dresdæ VI. Calend. Julii Anno M. D. LXXVI.

(XX.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad HENRICUM III. Galliæ Regem, cui tranquillas Galliarum res gratulatus amice ſuadet, ut rebus domi compoſitis, viribus ſuis foris ad reprimendam Turcarum tyrannidem utatur, 1576.

P. P.

QUemadmodum libenter ex Serenitatis Regiæ Veſtræ literis intellexímus, illam amicitiæ ejus, quam Germania Noſtra, & Nos cum Serenitaris

tatis Regiæ Veſtræ anteceſſoribus multis retro annis ſemper coluimus, ſtudioſisſimam eſſe: ita gratisſimum Nobis fuit, quod cognoverimus, florentisſimo Galliarum Regno poſt tot rerum difficultates, quibus non paucis adflictum fuit, tandem Dei Optimi Maximi benignitate pacem eſſe reſtitutam. Itaque hanc felicitatem Serenitati Veſtræ Regiæ atque hujus ſubditis ſincere & ex animo gratulamur, ac optamus, ut tranquillitas hæc perpetua & conſtans ſit. Ac pro noſtro erga Serenitatem Veſtram Regiam ſtudio ſincere etiam atq; etiam hortamur, ut pacem hanc contra hominum inquietorum conatus ſerio tueatur ac conſervet: ſuaque deinceps conſilia, cum Chriſtiani nominis Principibus ad reprimendam infenſisſimi & perpetui Chriſtiani nominis hoſtis inſolentiam in commune conferat. Erit id Serenitati Regiæ Veſtræ ad omnem poſteritatem glorioſum, ac toti Regno Galliarum fructuoſum; imprimis vero Chriſtianisſimi Regio nomine dignisſimum; nobis autem ita gratum, ut inter Nos perpetuam conſtare amicitiam cupiamus. Bene valeat Serenitas Veſtra Regia. Dippoldiswaldæ X. Calend. Sept. Anno MDLXXVI.

(XXI.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad PHILIPPUM II. Hiſpaniarum Regem, quibus ipſum amanter rogat, ut priſtinam erga ſe benevolentiam ſibi etiam impoſterum integram conſervare velit, 1576.

Serenisſime Rex,

Salutem & operam noſtram in omni officiorum genere promptisſimam.

Domine cognate noſter chariſſime.

CUm Nobis Orator Seren. Veſtræ Dominus Joannes Franciſcus a Mendoza ſignificaſſet, ſe poſt divi Maximiliani Imperatoris quondam Romani piæ memoriæ obitum ex aula Auguſta in Hiſpaniam rediturum eſſe: illum ſine literis Noſtris ad Serenitatem Veſtram dimittere noluimus, non quod hoc tempore haberemus ſcriptione magnopere dignum: ac potius ſi quid forte in his partibus eſſet, quod Seren. Veſt. Reg. quis ſcire debere exiſtimet, id omne ex Oratoris ſui ſermonibus multo commodius, quam ex oratione literarum Noſtrarum cognoſcere poſſet: ſed ut teſtaremur Noſtrarum erga Serenitatem Veſtram obſervantiam perpetuam, ac rogaremus amanter, ut Ser. Veſtr. Regia priſtinam ſuam erga Nos benevolentiam, etiam deiuceps integram conſervare velit; ſibique certo perſuadeat, Nos in eorum Principum numero eſſe, qui Seren. Veſt. Regiæ honoris & exiſtimationis ſtudioſiſſimi ſunt, & imprimis cupiunt omnia ad amplificationem & dignitatem Seren. Veſtr. Regiæ pertinentia ſalva & in tuto eſſe, atque hoc etiam poſtremum, ut velut appendicem his literis Noſtris ſubjiceremus, permoti ſumus Seren. Veſtræ Regiæ Oratoris epiſtola ad Nos miſſa, qua Nobis negotium quoddam ex Germania diſceſſurus commendat, cujus gratia Seren. Veſtram hoc tempore nonnihil eſſe ſollicitum innuit, quam

tamen

tamen optamus, hac cura levata commodisſime valeat Ser. Veſtra Regia & Nos ſtudioſisſimos ſibi commendatos habeat. Ex Arce Noſtra Annæburgenſi V. Cal. Nov. Anno M. D. LXXVI.

(XXII.)

Litera AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, ad SEBASTIANUM, Luſitaniæ Regem, cui Cramerum, Mandatarium ſuum, iter in Indiam facturum, ſedulo commendat, 1576.

CUm cliens Noſter, Hieronymus Cramerus, qui has Seren. Veſtr. Regiæ literas reddet, Nobis ſignificaſſet, ſe incenſum orbis perluſtrandi cupiditate in Indiam profecturum eſſe, hoc illius ſtudium Nos commovit, ut de commeatu, & viatico ipſi benigne proſpiceremus, & quasdam merces, quarum illic copia eſt, ad privatos Noſtros uſus comparare illum juberemus. Cum his igitur mandatis Noſtris Cramerus hinc abiit, & in Luſitaniam pervenit; inde literas ad Nos miſit, quibus oſtendit, navigationem Indicam valde impeditam eſſe, per religioſorum quorundam ſcrupuloſam ſeveritatem, qui non tantum ſingulas naves excutiant; ſed & in negotiatorum conſcientias ſuo quodam more inquirant, nec quenquam penetrare, ac iter inſtitutum tenere permittant, niſi qui ad nutum & voluntatem illorum factus & probatus eſſe videatur. Id autem cum ſit ejusmodi, at non omnes æque viatores, qui ex diverſiſsimis mundi partibus magno numero & multiplici varietate in Luſitania confluunt, eadem per omnia ſenire; & his, qui vias obſidere, pro lubitu ſatisfacere

possint: neque is sit cliens Noster, qui illis in locis quicquam in Religionis professione navare aut possit aut velit: existimavimus sane, si hac de re Seren. Vestr. Regia literis Nostris certior fieret, illam pro insigni prudentia & æquitate sua non passuram, iter ad ditiones sibi subjectas præcludi iis, qui provincias illas adeunt, non ut dogmata sua illic venditent, sed ut argento & auro, quod secum ex remotissimis locis deferunt, merces commutent, cuivis illic ad emendum publice expositas & venales. Hæc cum ita sint, a Ser. Vestr. Regia majorem in modum officiose petimus, ut clientem & mandatarium hunc Nostrum clementi patrocinio tueatur, justitia & æquitate sua protegat, & ut iter, quod voluntate Nostra instituit, commode conficere posset, imperio & præsidio suo adjuvet, & in tota hac profectione euntem & redeuntem auctoritate Regia tutum præstet: & ab illorum vexatione & molestiis vindicet, qui communem omnibus aërem certo tantum hominum generi liberum permittunt: & orbis terarum ad universorum mortalium usum, a Deo optimo maximo conditi, eam partem, quam avorum Nostrorum memoria Europæis incolis mirifica & summa Lusitanorum Regum virtus & magnanimitas, cum immortali gloria aperuit, claudere & beneficium toti Christianitati a Serenitate Vestra Regia liberaliter tributum nostris hominibus pro suo arbitrio abrogare & adimere conantur. Quod, quam iniquum ac barbarum, & ab omni humanitati sensu prorsus alienum sit, arbitramur Ser. Vestram Regiam pro innata clementia & æquitate sua facil

cile perſpicere, quæ ſi impetramus, ut clienti Noſtro curſus in Indiam expeditus & reditus inde ſecurus pateat, profecto jucundiſſimum id Nobis erit, & Ser. Veſtra Regia gratiſſimum ſibi Principem devinciet; & mandatarium Noſtrum hominem ſimplicem, innoxium & nobis probatum protectione ſua non fuiſſe indignum cognoſcet. Pro quo Nos etiam hoc amplius ſpondemus, nihil ab ipſo in toto hoc itinere, ad cujusquam perniciem aut injuriam commiſſum iri, nosque hujus beneficii memoriam nullo deinceps tempore depoſituros, ac potius gratitudinem animi Noſtri omnibus, quibus maxime poterimus, rebus Serenitatis Veſtræ Regiæ ita comprobaturos eſſe, ut ex obſervantia & ſtudio erga ſe Noſtro magnam voluptatem capiat. Bene valeat Veſtra Serenitas Regia & Nos ſingulari benevolentia ſua, qua Principes Luſitanici nominis amantiſſimos dignari ſolet, perpetuo complectatur. Ex Arce Noſtra Annæburgenſi 6. Calend. Maji 1577.

(XXIII.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad ALPHONSUM CARETUM, Principem & Marchionem Finalii, quibus ſe Oratoribus ſuis in commiſſis dediſſe aſſerit, ut cauſam ejus Cæſareæ Majeſtati ſtudioſiſſime commendarent, 1577.

Illuſtri Principi amico Nobis plurimum dilecto, Domino Alphonſo Careto, Principi & Marchioni Finalii, ſalutem & benevolentiam Noſtram!

Illustrissime Princeps, Amice plurimum dilecte.

CONsiliarii Nostri ad Nos retulerunt omnia, quæ Dilectio Vestra nuper Budissini post nostrum inde discessum de ditione & oppido Finalii illis coram prolixe exposuit, ex quibus intelleximus, Dilectionem Vestram non minus de jure suo tuendo, quam de pace & quiete communi conservanda laborare; quarum utrumque cum æquitate niti & ad Sacri Romani Imperii dignitatem pertinere arbitremur: facile equidem petitioni Dilectionis Vestræ annuimus, ac Legato Nostro Joanni Embdeno Jurisconsulto mandavimus; ut æquitaten Dilectionis Vestræ Domino Imperatori & Cæsareæ ejus Majestatis, consiliariis præcipuis ostendat, ac nostris verbis Dilectionis Vestræ causam commendet, ut & Sacri Romani Imperii Auctoritas salva, & Dilectionis Vestræ jura inviolata & integra permaneant. Bene valeat Dilectio Vestra, sibique persuadeat, Nos illi propter integritatem & fidem, quam Cæsareæ Majestati & Sacro Rom. Imperio hactenus tam constanter probavit, optime cupere. Ex Arce nostra Annæb. 12. Calend Jun. 1577.

(XXIV.)

Litera AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, ad ELISABETHAM, Angliæ Reginam, quibus eximium ejus & constantem pro Augustanæ Confessionis doctrina zelum dignis exornat encomiis, cætera vero ipsi a Legato illius fusius expositum iri confidit, 1577.

Sere-

Serenitati Veſtræ ſalutem dicimus, & operam Noſtram in omni honoris & officii genere promptiſſimam deferimns.

Domina & cognata Noſtra charisſima.

TAm ex literis, quam ex Serenitatis Veſtræ mandatis, quæ Nobis ornatiſſimus Vir Dominus Robertus Delus expoſuit, ſingularem quandam benevolentiam erga Nos & reliquos Germaniæ proceres veritati Evangelicæ addictos, cum illuſtri rem Chriſtianam labentem ſuſtinendi ſtudio conjunctam perſpeximus. Non una igitur cauſa eſt, quamobrem Serenitati Veſtræ Regiæ gratias agere, ac tam potentis & erga Chriſtianæ doctrinæ Profeſſores optime animatæ Reginæ amicitiam ultro ambire, & omnibus honoris & obſervantiæ officiis perpetuo colere & ornare debemus. Nec eſt profecto pia illa & prudens ſollicitudo atque cura, quam Serenitas Veſtra Regia pro communi Eccleſiarum Pontificios abuſus & idolomanias abominantium ſalute & incolumitate ſuſcepit, intempeſtiva: cum minime ſit obſcurum, omnes hoſtium veritatis divinæ nervos ad exterminandam Doctrinæ Evangelicæ veritatem & puritatem ſummo niſu intendi. Quod vero hactenus Eccleſiæ doctrinæ cœleſtis veritatem profitentes nondum penitus ſint everſæ & deletæ, id, quemadmodum non minus vere, quam pie Serenitas Veſtra Regia ſcribit, nullius hominis cautioni ac induſtriæ, ſed ſolius Evangelicæ veritatis auctoris & protectoris Dei miſericordiæ ac benignitati imputandum eſt: in cujus incnarrabili bonitate in his mundi fecibus etiam porro

porro nobis ſpes fixa eſſe debet, nunquam futurum, ut hoſtis generis humani id perficiat, quod Pontifex Romanus tentat, cum ſcelerata fœdera, ſtratagemata, Acheronteas inſidias, omnia denique hoſtilia & extrema ſtruit; ſed ut vincat tandem certe veritas, neque divinorum oraculorum vana fit prædictio, quæ hoſtes populi Dei congregari, accingi & inire conſilia, nihilque aliud loqui monet, quam conjurationem: dulciſſimam addens conſolationem & præceptum, quo pios hortatur, ut inanes impiorum conatus neve metuant, neve in humanis præſidiis ſpem collocent; ſed ſciant ſecum Immanuelem eſſe: quem utique certo ſtatuendum eſt, etiam Nobis hoc tempore contra omnem tyrannorum injuſtam vim ac potentiam non defuturum: & ſana, recta, ſalutaria piis Regibus ac Principibus largiturum eſſe conſilia, a quibus Nos quoque non abhorremus ac eadem de Serenitate Veſtra Nobis pollicemur. Quare etſi non dubitamus, cum tota hæc res, de qua nobiſcum Serenitas Veſtra Regia per Legatum ſuum egit, ſit gravis & ardua, & ad omnes pariter Auguſtanæ Confeſſioni addictos proceres pertineat, quin Serenitas Veſtra pro inſigni æquitate ſua non aliorſum acceptura ſit, quod ad communem conjunctorum Ordinum deliberationem a Nobis neceſſario rejiciendum hoc tempore fuerit: Tamen ut Serenitas Veſtra Regia & has literas Noſtras, & ea, quæ Ser. Veſtræ Regiæ Legato per Nos indicata ſunt, in optimam partem interpretetur, & in eorum Principum numero, qui Serenitatis Regiæ Veſtræ obſervantiſſimi & ſtudioſiſſimi ſunt, Nos quoque habeat tanto quidem ſtudio

dio rogamus, ut majori non posſimus. Bene valeat Serenitas Veſtra & perpetuo proſpero rerum curſu fruatur. Ex arce Noſtra Dipoldiswaldienſi 8. Id. Nov. 1577.

(XXV.)

Litere AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad ELISABETHAM, Angliæ Reginam, quibus ipſi maximas perſolvit gratias, quod merces ad ſe ſpectantes adhuc ſine vectigalibus exportari juſſerit, eandemque liberalitatis promptitudinem in aliis quoque rebus impoſterum ſibi exhiberi cupit, 1578.

Serenitati Veſtræ Regiæ ſalutem dicimus, & operam Noſtram a Nobis in omni honoris & officii genere paratiſſimam reverenter deferimus.

Domina & Cognata chariſſima.

ADminiſter Noſter, quem anno præterito in Luſitaniam ablegavimus, ut quasdam merces ad privatos noſtros uſus compararet: huc reverſus, ſignificavit Nobis, cum in portum Londinenſem eſſet delatus, & apud Theſaurarium Serenitatis Veſtræ Regiæ nomen ſuum & merces, quas ad Nos deferebat, profeſſus eſſet, ſe ex mandato Serenitatis Veſtræ Regiæ erga Nos voluntatem eximiam cognoviſſe, ut quicquid rerum in ditionibus ſuis coemi juberemus, id omne a vectigalibus & prætoriis immune repræſentari nobis cupiat. Jucundiſſima Nobis profecto fuit hæc declaratio Serenitatis Veſtræ Regiæ erga Nos præcipuæ & ſingularis bene-

benevolentiæ: quam ſummis obſervantiæ & gratitudinis officiis demereri merito debemus & volumus: Hac autem Serenitatis Veſtræ Regiæ inſigni liberalitate freti, adminiſtrum Noſtrum Antwerpiam amandavimus, ut cum negotiatoribus Britannis, qui ibi agunt, quater aut quinquies centena millia ponderum plumbi certo pretio condicat, cujus in metallico & argentario lapide ex venis fodinarum Noſtrarum eruto liquefaciendo & excoquendo uſus plane eſt neceſſarius: a Ser. Veſt. Regia officioſe petimus, ut, quod ex Britannia ſecundum hanc conventionem Adminiſter Noſter a Mercatoribus Anglicis plumbum exportabit, ſic ut Noſtris hominibus Hamburgi reddatur: ut omne id tota hac, quæ inſtat, æſtate, & quod præterea aliis quoque temporibus coemi curaverimus, ſine portoriorum Vectigalium exactione Hamburgum deferri liberaliter patiatur ac jubeat. Erit id Nobis pergratum, & quamvis in terris nobis ſubjectis ea rerum copia non ſit, ut cum opulentiſſimo Angliarum Regno conferri poſſit; tamen ſi quid forte eſſet, quod Ser. Veſt. Regiæ ex ditionibus Noſtris in Britanniam ſuam importari cuperet: Noſtrum in ea re ſtudium & obſequium ſine omni expectatione ita probare Ser. Veſtr. Regiæ parati ſumus, ut intelligat beneficium ſuum apud gratiſſimum & Ser. Veſtr. Regiæ ſtudioſiſſimum Principem eſſe poſitum. Quem ſi Serenitatis Veſtræ Regiæ erga ſe liberalitatem compenſandi facultas forte deſtituet; tamen nunquam profecto gratificandi voluntas deficiet. Bene valeat Ser. Veſtr. Regia & Nos ſibi commendatos habeat. Dresdæ Pridie Non. Febr. An. 1578. (XXVI.)

(XXVI.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad STEPHANUM, Poloniæ Regem, quibus ipsi pro favore Georgio Friderico, Marchioni Brandenburgico, ob suam intercessionem tributo gratias agit, ac denuo Oratores suos perficiendi, quod inceperant, negotii ergo ablegatos esse, nuntiat, 1578.

Serenissime Rex,

Serenitati Regiæ Vestræ salutem dicimus & operam Nostram in omni genere promptissimam offerimus & prolixe pollicemur.

Domine affinis & amice Noster plurimum observande.

EOdem die, quod Nos singulari quodam fato accidisse arbitramur, & Legati Nostri ex Borussia redierunt ad Nos cum literis Ser. Reg. Vestræ scriptis, & Illustrissimus Princeps, Dominus Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgensis, cognatus Noster instar filii charissimus, hac in Poloniam iter faciens, mirificas Serenitati Reg. Vestr. apud Nos gratias egit, cum diceret, omnia Serenitatem Regiam Vestram in negotio Borussiaco ob Nostram intercessionem accumulatissime & liberalissime Dilectioni suæ tribuisse: ad quam commemorationem veluti testes in re præsenti etiam Legati Nostri accesserunt, qui confirmarunt, a Ser. Reg. Vestra & se tractatos fuisse benignissime, & nullius hominis non tantum in hac causa, sed etiam in Gedanensi pacificatione auctoritatem & gratiam valuisse plus, quam nostram. Utrumque autem

cum

cum jucundiſſimum Nobis eſſe Illuſtriſimus Marchio Brandenburgicus intelligeret, & ſibi perſuaderet, ſi quid porro ſupereſſet, de quo forte laborandum foret, id tum demum committeretur: vehementer etiam atque etiam a Nobis petit, ut Nos Legatos Noſtros Varſaviam cum Dil. ſua proficiſci juberemus. Etſi autem nobis dubium nullum omnino erat, quin, cum antea noſtra cauſa, tum jam etiam Ser. Reg. Veſtra ſuæ conſtantiæ gratia, manſura eſſet in eadem iſta erga Dominum Marchionem liberalitate: tamen pro Noſtro in Dilectionem ejus amore, & ſumma conjunctione deeſſe hac in parte noſtri amantiſimo Principi nequaquam voluimus, præſertim cum ex Ser. Reg. Veſtræ literis ejusmodi ſe erga Nos oſtenderet benevolentia & humanitas, ut confideremus, legatorum Noſtrorum reditum Ser. Veſt. Regiæ jucundum potius quam oneroſum futurum eſſe. Eosdem igitur Conſiliarios Noſtros, nobiles & clariſſimos viros Abrahamum Boccium a Pollach & Chliphuſen, & Dominum Andream Pauli Jurisconſultum ad Ser. Reg. Veſtram ablegavimus cum mandatis, ut Serenitati Reg. Veſtræ pro ſingulari erga Nos benevolentia ſua gratias officioſe agerent & Noſtris Verbis etiam rogarent, ut Ser. Regia Veſtra ea, quæ tam in cauſa Ducatus Boruſſiaci, quam in tractatione Dantiſcana jam antea fecit, & liberaliſſime in ſe recepit, etiam ad exitum augeri & cumulari per auctoritatem ſuam Regiam velit. Ac ſi quid forte pro varietatibus horum temporum & hominum incideret, quo Domino Marchioni Brandenburgico opera & voluntas & Imperium

Ser.

Ser. Reg. Veſtr. accederent, uti noſtra cnmmendatione & Ser. Reg. Veſtræ ſingulari beneficio, totum negotium hoc commodisſime & ex ſententia Domini Marchionis expediatur, ac de reliquis pacificationis Dantiſcanæ ejusmodi conditionibus tranſigatur, ut Gedanenſes Noſtram hanc intercesſionem ſibi profuiſſe plurimum intelligant, nec habeant, cur ipſam rejicere posſint, ſed e contrario accipiant, Noſtrorumque Conſiliatiorum fidelibus monitis pareant. De quibus omnibus ſi Ser. Reg. Veſtra Legatos Noſtros benigne audierit, eisque, quod cupimus, fidem adhibuerit, equidem & Noſtram de ſua erga Nos ſingulari benevolentia perſuaſionem plane confirmaverit, & Dominum Marchionem officioſisſimum & optimum Principem ad ſuam neceſsitudinem beneficio hoc adjunxerit: ex cujus obſervantia & gratitudine, atque adeo, quo inter Germaniæ Proceres plurimum valeat, ſplendore ac gratia magnam voluptatem perpetuo captura eſt Ser. Reg. Veſtra. Quam eam ob rem valere, & nos, ut inſtituit, amare etiam porro cupimus. Dresd. 7. Cal. Febr. Anno 1578.

(XXVII.)

Litera Credentiales, quas AUGUSTUS Saxoniæ Elector, Abrahamo Boccio & Andreæ Pauli Internunciis ſuis, ad STEPHANUM, Poloniæ Regem tradidit, 1578.

Sereniſsime Rex, Domine & adfinis Noſter plurimum obſervande.

SErenitati Regiæ Veſtræ ſalutem dicimus & operam Noſtram in omni officiorum genere para-

tisſimam offerimus. Cum Illuſtriſſimus Princeps, Cognatus Noſter, inſtar filii chariſſimus, Dominus Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgenſis &c. hoc tempore legatos ſuos ad Ser. Veſt. miſſurus eſſet, & per literas Nobis oſtendiſſet, optima ſpe duci, graviſſimum illud negotium, quod cum Ser Veſt. Regia tractandum ſuſcepiſſet, commodius confectum iri, ſi Dilectionis Suæ Oratoribus etiam Noſtri & aliorum cognatorum Principum conſiliarii adjungerentur: ſane pro ea neceſſitudinis & ſanguinis & avitorum pactorum ratione, quæ Nobis cum Illuſtriſſimis Marchionibus Brandenburgenſibus arctiſſima intercedit, deeſſe hac in parte Dilectioni ejus noluimus. Conſiliariis itaque Noſtris, qui has Ser. Veſtræ Regiæ literas reddent, nobiliſſimis & clariſſimis viris, Abrahamo Boccio in Pollach & Chlipuſen, & Andreæ Pauli Jureconſulto, in mandatis dedimus, ut Illuſtriſſimo Principi Domino Georgio Friderico & Dilectionis ejus Legatis ad Ser. Reg. Veſtram euntibus præſto eſſent, & una cum aliorum cognatorum Principum Conſiliariis, & communi ſententia apud Serenit. Reg. Veſtram ea qua par eſt obſervantia intercedendo, promovere niterentur omnia, quæ ad firmiſſimam conjunctionem inter Potentiſſimum Poloniæ Regnum, & Illuſtriſſimos Marchiones Brandenburgenſes cuſtodiendam & ſtabiliendam præcipue facere videbuntur. Ac veluti non dubitamus, Ser. Reg. Veſtram pro ſingulari prudentia ſua hoc Noſtrum ſtudium probaturam eſſe, ita amanter & officioſe rogamus, ut conſiliarios Noſtros benigne audiat & fidem illis non gravate adhibeat. Erit hoc Nobis

bis gratum, & ubi intellexerimus, ad eam benevolentiam, qua Ser. Vest. Regia sua sponte Illustrissimos Marchiones Brandenburgenses complectitur, etiam Nostri intuitu cumulum aliquem accessisse: libenter equidem fatebimur, Nos pro beneficio hoc Serenitati Vestræ Regiæ obstrictos esse. Bene valeat Ser. Reg. Vestra & sibi certo persuadeat, nos ejus amicitiæ, quæ multis retro annis inter fortissimas Germanorum & Polonorum gentes sanctissime culta fuit, porro etiam tuendæ studiosissimos esse. Bornstensteinii 15. Calend. Febr. Anno 1578.

(XXIIX.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad HENRICUM JULIUM, postulatum Episcopum Halberstadiensem, cujus egregium in bonas artes favorem & singulare virtutum studium congruis deprædicat laudibus, 1578.

Libentissime legimus literas Dilectionis Vestræ, Reverende & Illustris Princeps, cognate charissime; quibus facile & grati animi memoria & excellens Dilectionis Vestræ ingenium perspici possit: quorum alterum facit, ut Dilectionis Vestræ candorem complectemur: alterum ut de industria ejus speremus optime. Fieri itaque aliter non potest, cum jam antea propter paternam necessitudinem valde faveremus Dilectionis Vestræ commodis, quam ut ad nostram gratificandi voluntatem magnus cumulus accederet. Quamobrem quod Dilectio Vestra a Nobis petiit, & sponte nostra libenter & ideo etiam faciemus cupidius, quod ex

literis misſis intelligeremus, Dilectionem Veſtram rectum & virtutis & gloriæ curſum tenere; ſeque iis ornamentis munire, quibus perſonæ ejus, quam gerit, & decus & dignitatem, cum laude ſua ſuſtinere poſſit. Et quamvis in univerſum omnes viros Principes, nihil æque deceat, quam ut ſcientia linguarum, & artium pulcherrimarum cognitione, plebe & populo præſtent: quod iis, quibus non ex virtute fidei munerum publicorum procuratio committitur, neceſſaria eſt: ut varia & multiplici doctrina inſtructi, ad hominum utilitatem ſuam prudentiam intelligentiamque potiſſimum conferre, ac in tota vita humanitatem, pietatem & conſtantiam præſtare; in adminiſtratione reipublicæ autem juſtitiæ officiis recte fungi poſſint. In quam curam Dilectionem Veſtram cum ultro incumbere, & ad virtutem, quæ familiæ ſplendori etiam gloriam adjicit, natura & ſtudio ſuo ferri animadvertamus: nihil equidem neceſſe arbitramur hortari Dilectionem Veſtram pluribus: monere tantum libet, ut ſibi perſuadeat in ipſa, non modo Diœceſi, cui præeſt, ſed toti Patriæ ſpem maximam eſſe: & Nos, qui tam propinquitate, quam opinione virtutis Dilectionis Veſtræ huc impellimur, honeſtis ejus conatibus nunquam defuturos, ſive gratia apud Dominum Imperatorem, ſive ceteris rebus poſſe aliquid exiſtimemur, quod commode & utile ſit Dilectioni Veſtræ, quam proſpera uti valetudine & in cultu virtutis & honeſtarum diſciplinarum, majores indies progreſſus facere cupimus. Dresdæ Cal. Junii Anno 1578.

Inſcri-

Inſcriptio.

Reverendo & illuſtri Principi cognato Noſtro chariſſimo, Domino Henrico Julio, poſtulato Epiſcopo Halberſtadienſi, Duci Brunſuicenſi & Luneburgenſi.

(XXIX.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris ad ALPHONSUM CARETTUM, Principem & Marchionem Finalii, quibus cauſam ejus iniquis malevolorum hominum quorundam ſtudiis & artibus impediri vehementer dolet, eam vero ſe per Comitem Hardechium Cæſ. Majeſtati ſtudioſiſſime commendaturum eſſe, promittit, 1578.

Domino Alphonſo Caretto, Principi & Marchioni Finalii, ſalutem & benevolentiam Noſtram!

Illuſtris Princeps, Amice plurimum Dilecte.

EX literis ad Nos prid. Calend. Januar. miſſis intelleximus, Dominum Imperatorem ob ceſſationem Comitis Archenſis & Petri Straſoldi, quibus Cæſarea Majeſtas negotium Finalienſe expediendum commiſerat, alium Finalium verſus Commiſſarium deſtinare ſtatuiſſe: ac in bona ſpe fuimus, totam hanc rem ex ſententia Dilectionis Veſtræ jam dudum confectam fuiſſe. Quod equidem pro ſingulari erga Dilectionem Veſtram propenſione Noſtra valde cupiebamus; ſed cum hanc rem adhuc & quorundam iniquorum hominum

Digitized by Google

ſtudiis & artibus hactenus expeditum non fuiſſe ex literis Dilectionis Veſtr. proximis agnoviſſemus: equidem, quantum in Nobis eſſet, faciendum putavimus, ut ſentiret Dilectio Veſtra gratificandi ipſi voluntatem nobis non deeſſe. Quamobrem Nobis fideli dilecto, Domino Bernhardo Comiti Hardechio literis, quæ his adjunctæ ſunt, mandavimus; cum ut Sac. Cæſar. Majeſtati totam cauſam hanc noſtris verbis ſubmiſſo ſtudio commendet, tum vero Conſiliarios Imperatorios diligenter de omnibus iis commonefaciat, quæ & ex Sac. Cæſar. Majeſtatis & Imperii Romani dignitate & ex re Dilectionis Veſtræ exiſtimaverit. Bene valeat Dilectio Veſtra! Crotendorfii 15. Calend. Sept. Anno 1578.

(XXXI.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad ALPHONSUM II. Ducem Ferrarienſem, quibus ipſi pro peripetaſmatibus Italicis nuper transmiſſis grates ingentes refert, ſingulaque grati & benevolentis animi ſtudia viciſſim pollicetur, 1578.

Illuſtriſſime Princeps, cognate charisſime.

SI non jam antea de egregia in nos voluntate Dilectionis Veſtræ & ſingulari gratificandi Nobis ſtudio exploratum haberemus, vel inde certo ſtatuere poſſemus, quanti Dilectio Veſtra Nos faceret: quod ſimul ac ex Gvalengi ſermonibus intellexit, Nobis peripetaſmata Italica placere, ſtatim mandavit, illa a præſtantiſſimis magiſtris confici,

fici, fic, ut vela hæc coriacea elegantisſima & arte exquiſita, ad ornamenta parietum facta ad Nos perferrentur. Pro qua inſigni erga Nos benevolentia Dilectioni Veſtræ amanter & officioſe gratias agimus, Noſtramque eidem operam & ſtudium vicisſim ita deferimus, ut nihil ſit in ſubjectis Nobis ditionibus, quod non promptisſime cum Dilectione Veſtra, modo gratum illi faciamus, communicare velimus. Quæ cum ita ſint, Dilectio Veſtra certo ſibi perſuadeat, nullam Nos unquam occaſionem prætermiſſuros eſſe, qua grati animi memoriam declarare poſſimus Dilectioni Veſtræ, cui a Deo Opt. Maximo valetudinem proſperam & rerum omnium felicisſimos precamur ſucceſſus. Annæburg. Id. Octobr. Anno 1578.

(XXXI.)

Litera AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, ad ALPHONSUM CARETTUM, Principem & Marchionem Finalii, quibus ipſi, ſe cauſam ejus Caſ. Majeſtati diligenter commendaſſe, nuntiat, 1578.

Domino Alphonſo Caretto, Principi & Marchioni Finalii ſalutem & benevolentiam Noſtram.

Illuſtriſſime Princeps, Amice plurimum dilecte.

JAm antea Legatus Noſter Johannes Embdanus jureconſultus Nobis ſignificavit, ſe ex mandato Noſtro Dilectionis Veſtræ cauſam in aula Imperatoris

toris diligenter egisse; ac tunc quidem compertiisse, quod Dominus Imperator Vincigverræ Archensi & Domino Petro Strussoldo in mandatis dederit, uti de toto hoc negotio disquirerent sedulo, quo rebus exploratis omnibus deinceps Cæsarea ejus Majestas de petitione Dilectionis Vestræ constituere posset id, quod juris & æquitatis ratio postulet: ita hactenus acquiescendum Nobis existimavimus; donec Cæsarea Majestas auctoritatem suam interponeret. Jam vero, cum Consiliarius Noster intimus Damianus a Sebottendorf Nobis literas Dilectionis Vestræ reddiderit & pariter exposuerit ea, de quibus Dilectio Vestra Nos commonefaciendos putavit: haut sane Dilectioni Vestræ deesse voluimus. Scripsimus igitur ad Dominum Imperatorem & causam hanc Majestati ejus submisso studio commendavimus diligenter, quemadmodum Dilectio Vestra ex literarum Nostrarum exemplo huic epistolæ adjuncto cognoscet. Eramus etiam Hardeccio mandaturi, ut hæc eadem in aula Imperatoria coram ageret, nisi plane existimassemus, illum jam in reditu esse, neque tam diu in Austria commoraturum, donec Nostra eo mandata perferantur. Speramus autem, cum Dominus Imperator jam antea liberalissime promiserit, sibi negotium hoc curæ futurum: Cæsaream ejus Majestatem literarum intercessionem & Dilectionis Vestræ preces benigne admissuram esse. Bene valeat Dilectio Vestra! Dresdæ Id. Octob. Anno 1578.

(XXXII.)

(XXXII.)

Litera AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, ad EMANUELEM PHILIBERTUM, Sabaudiæ Ducem, quibus ipſi tutiorem ſibi modum componendi inter illum & Etruriæ Ducem exorti diſſidii viſum fuiſſe exponit, ſi res univerſa Cæſ. Majeſtati committeretur, 1578.

SAlutem & operam noſtram, Sereniſſime Princeps, in omni officiorum genere promptiſſimam Dilectioni Veſtræ adſcribimus. Domine & Agnate Noſter chariſſime. Tam ex literis, quam ex mandatis, quæ a Dilectione Veſtra per Legatum Dominum Franciſcum Leonhardum Vaudanum Nobis expoſita ſunt, libentiſſime cognovimus, Dilectionem Veſtram ex conſilio Noſtro, in cauſa ad decus & ſplendorem Illuſtris familiæ Sabaudiæ pertinente, benevolentiam Noſtram cum ſingulari tuendæ dignitatis Sabaudiæ ſtudio conjunctam perſpexiſſe, ac meminimus, Nos tunc temporis cenſuiſſe omnia, uti geſta & acta eſſent, ad Sacram Cæſaream Majeſtatem cum debita obſervantia referenda & decreti jam antea facti ejusmodi declarationem petendam eſſe, ex qua nemo eorum, ad quos ea res pertinet, de ſententia Imperatoria conqueri merito poſſit. Cumq; in Nos receperimus omnia, quæ ad conſervandam & propagandam amicitiam inter Dilectionem Veſtram & Sereniſſimum Florentiæ Ducem ſalvo nihilominus utriusq; jure, conducere videntur, & Dilectioni Veſtræ perpetuo gratificandi ſtudio addictiſſimi ſimus. Quamobrem & Legatis Noſtris, quos paulo poſt in Aulam Auguſtanam a-

mandaturi ſumus, præcipiemus, ut de ſententia Dilectionis Veſtræ & Oratoris ejus Pragæ commorantis judicio, una cum Sereniſſimorum Regum Hiſpaniæ & Portugalliæ Legatis negotium hoc diligenter & ita promoveant, atque ſi id noſtrum eſſet. Et ſi quid porro etiam facere poſſumus, quod Dilectioni Veſtræ gratum ſit: haud equidem in Nobis officium fideliſſimi adgnati & optimi Principis ullum deſiderari patiemur unquam. Bene valeat Dilectio Veſtra! Weidenhani XI. Calend. Octobr. Anno MDLXXVIII.

(XXXIII.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad FRANCISCUM, Florentiæ Ducem, cui jucundiſſimum ſibi de propenſiſſimo ejus in ſe animo nuntium fuiſſe refert, 1579.

Sereniſsime Princeps, Domine & cognate charisſime.

DE ſermonibus clarisſimi viri, Domini Renati Coti, Conſiliarii & Legati Dilectionis Veſtræ meritisſimi, facile intelligimus, quanti Nos Dilectio Veſtra faciat. De quo etſi nunquam dubitavimus; tamen mirifice nos delectarunt cum ea, quæ Dominus Renatus de egregio Dilectionis erga Nos Veſtræ animo locutus eſt; tum vero jucundisſimum illud nuncium, quod Nobis de Dilectionis Veſtræ laudabili inſtituto attulit, de quo tamen ideo brevius ſcribimus, quod & pia vota & ſingulare Noſtrum erga Dilectionem Veſtram ſtudium Dominum Legatum ſumma fide & dexteritate relaturum eſſe, non dubitamus: ut

Digitized by Google

ut inique & inciviliter facere videri posſimus, ſi verboſiore de his epiſtola obſtreperemus Dilectioni Veſtræ, quam perpetuo valere, & Nos ut ſemper fecit, etiam porro amare cupimus. Torgaviæ Prid. Id. Febr. Anno M. D. LXXIX.

(XXXIV.)

Literæ ANNAE, Electricis Saxoniæ, ad FRANCISCUM, Florentiæ Ducem, idem cum præinſertis argumentum exhibentes, 1579.

Anna Dei gratia ex Regia Danorum ſtirpe prognata, Duciſſa & Electrix Saxoniæ, Landgravia Thuringiæ, Marchioniſſa Misniæ & Burgravia Magdeburgenſis.

Sereniſſime Princeps ac Domine chariſſime.

GRatiſſima Nobis fuit honorifica illa literarum Dilectionis Veſtræ compellatio, ex qua ſingulare erga dilectiſſimum Dominum maritum Noſtrum & Nos ſtudium perſpeximus, quod etiam Dilectionis Veſtræ Legatus, nobilis & clariſſimus vir, Dominus Renatus Cotus, Domino & marito Noſtro amantiſſimo, oratione ſua coram pluribus declaravit. Quamobrem Dil. Veſtræ pro egregio hoc ſuo animo gratias agimus, & ut benevolentiam hanc erga dilectiſſimum Dominum maritum noſtrum & nos perpetuo conſervet, diligenter rogamus, ac a Nobis viciſſim omnia honoris officia expectet. Bene valeat Dil. Veſtr. quam potentiſſimo Divinæ clementiæ patrocinio commendamus. Torgaviæ Pridie Id. Febr. An. M. D. LXXIX.

(XXXV.)

Digitized by Google

(XXXV.)

Litera CHRISTIANI, Electoratus Saxonici Principis hæreditarii, ad FRANCISCUM, Florentiæ Ducem, in pari cum præimpressis casu exaratæ, 1579.

DUci Florentiæ Christianus Dei gratia Dux Saxoniæ & Augusti Filius. Amor Excelsitatis erga Nos Vestræ ex omnibus se partibus ostendit, Sereniſſime Princeps Domine & cognate obſervantisſime, cum in literis humaniſſime ad Nos ſcriptis, tum in iis mandatis, quæ amplisſimo viro, Domino Renato Coto, Consiliario & Legato ſuo dignisſimo ad nos perferenda dedit. Quamobrem non una tantum causa est, cur gratias Excelsitati Vestræ agamus reverenter & officioſe. Cumque & monitis paternis, & Noſtra ſponte magnos Principes, quorum virtutis fama illuſtris est, ſuſpiciamus ac revereamur: fieri profecto aliter non potest, quam ut Excelsitatem Vestram per orbem terrarum gloria & laude celebrem omnis obſervantiæ ſtudio colamus & amplectamur: Idque eo etiam magis, quod intelligamus, ab illuſtrisſimo Parente noſtro vehementer non tantum diligi, ſed amari etiam Excelsitatem Vestram, a qua ut ſua benevolentia etiam Nos deinceps quoque perpetuo complectatur, tanto petimus ſtudio, ut majore non possimus. Quod reliquum est, Excelsitatem Vestram rectiſſime valere, & ſucceſſu rerum proſperrimo uti vehementer cupimus. Torgaviæ pridie Idus Febr. Anno M. D. LXXIX. quem recens inceptum

ptum cum mille aliis ſequentibus Excelſitati Veſtræ felicisſime exire, omnibus optamus votis.

(XXXVI.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM ARRAGONIUM, Principem Caſtelvetranum, quibus ipſi modum, quo concitatæ nuper in Belgio turbæ periculoſæ commode ſedari ac Belgæ ad officium ſuum optime reduci queant, candide ſuggerit, 1579.

Illuſtriſſime Princeps, Domine & Amice plurimum Dilecte.

LIteras Dilectionis Veſtræ per Nobilem virum Georgium Branechum redditas, libentisſime legimus, cum quod ex iis ſingularem erga Nos Dilectionis Veſtræ benevolentiam perſpeximus, tum vero, quod Dilectionem Veſtram a Serenisſimo Hiſpaniarum Rege ad componendum toti Chriſtianitati perniciosisſimas turbas jam diu in Belgio ortas ablegatam eſſe cognoverimus. Quorum alterum, ut nobis gratisſimum, ita alterum longe jucundisſimum fuit. Quamobrem, ut egregium hunc erga Nos animum perpetuo retineat, & a Nobis contra omnia amantisſimi Dilectionis Veſtræ Principis ſtudia expectet, etiam atque etiam rogamus: & ſincere atque ex animo precamur, ut rationes inſtitutæ in Belgio pacificationis, ad amplificandam divini nominis & honoris gloriam vergant: & Serenisſimo Hiſpaniarum Regi, hujusque ſubjectis Provinciis, adeoque toti Chriſtianitati ſalutares ſint. Ac utinam tantum in Nobis conſilii atque operis eſſet, quanta eſt pulcherrimum

hoc

hoc & Reipublicæ Christianæ utilissimum institutum promovendi cupiditas Nostra, nihil equidem in Nobis hoc in genere desiderari pateremur: ut qui ante omnia Serenissimi Hispaniarum Regis fortunas amplissimas esse, & huic subjectas Provincias in pace & otio abundare ex animo cupimus. Etsi autem minus fortasse, quam voluimus, hac in re præstare possumus, tamen cum Dilectio Vestra etiam Nostram de hoc negotio sententiam cognoscere cupiat: equidem pro Nostra erga Serenissimum Vestrum Regem observantia & tuendæ ejus Dignitatis atq; auctoritatis perpetuo studio nihil aliud melius neque rectius hac in parte fieri posse existimamus, quam id ipsum, quod Serenissimus Vester Rex literis suis ad Nos humanissime scriptis se imprimis cupere significat & innuit: uti nimirum debitæ subjectionis atque obedientiæ studia atque officia Belgæ præstent: nihil illis in locis moveant, quod vel ad concitandas, vel ad motas jam antea turbas diutius etiam alendas occasionem præbere possit; Quasq; Sereniſſimum Hispaniarum Regem in gloriam & utilitatem suam totiusq; Christianitatis commodum atque salutem recte & felicissime compositurum esse judicamus: si & subditis privilegia, quæ habent, salva ac integra præstiterit, & inquisitionis, ut vocant, ante paucos annos in Belgium introductæ immanitatem compescuerit: eamque transactionem quæ publica fide & auctoritate regia anno sexagesimo sexto, mense Augusto Bruxellis inita, & ad exemplum religiosæ pacis in Germania promulgatæ, constituta fuit, tueatur atque conservet: nec patiatur in his, quicquid sit,

nava-

navari eorum, quæ hactenus Impedimento fuerunt, quominus pax & concordia ſalutaris & perpetua feliciter florere potuerint. Sic fiet, ut & Deo optimo maximo ſuus honor; & Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi ea libentiſſimis animis tribuantur, quæ tam ad tuendam auctoritatem Regiam, quam ad debitam ſubditorum obedientiam ſtabiliendam pertinent. Hæc autem uti a Nobis petit Dilectio Veſtra, fideliter atque ſincero erga Sereniſſimum Veſtrum Regem ſtudio moventur: ita ut Dilectio Veſtra pro ſingulari prudentia & integritate ſua candide & in optimam partem ſuggeſta accipiat, majorem in modum diligenter rogamus. Et ut Dilectio Veſtra optime valeat, ſibique perſuadeat, ſe a Nobis diligi valde & amari. Dresdæ XV. Cal. Mart. Anno M D LXXIX.

Inſcriptio.

Illuſtriſſimo Principi, Amico Nobis plurimum Dilecto, Domino Carolo Arragonio, Principi Caſtelvetranno, Duci Terranovenſi, Marchioni Avolæ, Comiti de Burgato, Magno in Regno Siciliæ Conteſtabili & Almiranti.

(XXXVII.)

Litera AUGUSTI, *Electoris Saxoniæ, ad* DUCEM SENATUMQUE VENETUM, *quibus ipſis iuſtam ſociorum Thuringenſium contra Conradum Rhodum actionem impenſe commendat, 1580.*

Salu-

Digitized by Google

Salutem & operam Noſtram cum ſingulari benevolentia conjunctam Dilectioni Veſtræ amanter & benigne deferimus.

Illuſtriſſime Princeps, Domine & Amice chariſſime, Magnifici & amplisſimi Senatores imprimis Nobis dilecti.

COnradus Rhodus Civis Auguſtanus, qui hactenus in Luſitania & Olyſſippone negotiatus eſt, ſpecioſis & ſplendidis promisſionibus adduxit clientes & ſubditos Noſtros, qui ſocii Thuringenſes ſunt, ut ingentem pecuniæ ſummam ipſi crederent: pro qua recepit debitor, ſe chariophyllis, nucibus myriſticis & hujus generis aromatibus ſatisfacturum; & ante omnia maximum piperis numerum in ſolutionem pecuniæ creditæ daturum eſſe. Hæc cum fide & literarum ſuarum obligatione interpoſita confirmaſſet, & grande argenti pondus a ſocietatis Thuringenſis Procuratoribus in nundinis Francofurtanis accepiſſet: fraudandi conſilium iniit, ſolum vertit & fidem datam fefellit: ſic ut ſocii Thuringenſes hominis hujus levitate & vanitate circumventi, ſumma neceſsitate adigantur, omnia Chriſtiani Orbis emporia adire & per procuratores ſuos, merces ſibi a Conrado Rhodo jam antea addictas perveſtigare, ne quid ex his cum magna injuria & jactura ipſorum in alienas manus perveniat. Hi itaque ſocii Nobis ſignificarunt; navem miſericordiæ titulo inſignem ex Olyſſippone in amplisſimæ Reipublicæ Veſtræ partem delatam fuiſſe: in qua ducenti piperis ſacci portarentur, qui Conradi Rhodi no-

nomine impoſiti eſſent. Quanquam autem ſcirent omne id, quicquid eſt piperis, ex lege contractus cum Conrado Rhodo initi ad ſe omnino pertinere: tamen majoris etiam cautionis gratia, ſe per Procuratorem ſuum Caſparum Rempfium, accedente autoritate publica ejus Magiſtratus, cujus in celeberrima Veſtra urbe hæc eſt notio, arreſto ſubjeciſſe, ut omnem reliquis Rhodianis Creditoribus movendæ controverſiæ occaſionem præciderent, & ad merces has ſuas expeditiſſime pervenirent. Quod ut eo commodius etiam obtinere poſſent, ſubmiſſo ſtudio Nos diligentiſſime rogarunt, ut pro ipſis ad Dilectionem Veſtram ſcriberemus. Etſi autem Nos plane ſuperfluum hoc eſſe arbitramur, propterea quod clarum & maxima cum laude amplisſimæ Reipublicæ Veſtræ notum ſit, quemadmodum jus dici curet: tamen quia perſuaſum ſociis Thuringenſibus erat, commendationem hanc noſtram ad rem ſine ulla interjecta mora explicandam maximam apud Dilectionem veſtram pondus habituram eſſe: probare clientibus voluimus, ipſorum Nos incommodis adfici, & nihil prætermittere, quod in negotio tam plano ſua intereſſe, quoquomodo putarent. Quamobrem cum ſocietatis iſtius cauſa vehementer omnia velimus, Dilect. Veſtram maximopere etiam atque etiam rogamus, ut ſocios hos Thuringenſes, eorumque procuratores ab omni detrimento & moleſtia ſinceros & integros conſervet, nihilque cuiquam hominum permittat, quo jus, quod in hac re expeditum habent, intricetur aut ducatur longius: vel quia has merces ſuas jam

antea redemptas, & contra pacta conventa aversas juſtiſſime vendicant, vel quia ad conſequendum id, quod ſuum eſt, legitime vigilarunt. Poſtulat hoc commerciorum veneranda fides, qua florere cœpit, & ad ſummum faſtigium merito ſuo pervenit potentiſſima veſtra Respublica, requirit æquitas & juſtitia Dilectionis & amplisſimi Ordinis Veſtri, quæ non patitur litibus non neceſſariis peregrinos deſtineri. Exigit denique Noſtrum quoque erga Dilectionem Veſtram & magnificam Venetorum urbem ſingulare & perpetuum ſtudium: pro quo abunde nobis ſatisfactum fuiſſe a Dilect. Veſtra dum demum judicabimus, quando commendationem hanc Noſtram valuiſſe, & ſociis Thuringenſibus, Clientibus Noſtris, profuiſſe plurimum intellexerimus. Bene valeat Dilectio Veſtra & a Nobis omnia humanitatis & benevolentiæ officia expectet. Datæ Dresdæ Cal. Jan. Anno M. D. LXXX.

(XXXVIII.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad ALPHONSUM II. Ferrariæ Ducem, quibus ſe ſemper operam pollicetur daturum, quo ejus expectationi omnibus amoris & obſervantiæ ſtudiis ſatisfacere poſſit, 1580.

CUm Nos iter Danicum ingreſſi longius a ditionibus noſtris abeſſemus, venit Dresdam Conſiliarius & Legatus Dilect. Veſtræ, Dominus Renatus Cotus, cum iis mandatis, quæ Dilectio Veſtra illi ad Nos perferenda dederat. Quem etſi

etsi coram, ut cupiebamus, audire non potuimus: tamen de omnibus, quæ Dilectionis Vestræ nomine Consiliariis Nostris exposuit, certiores postea redditi sumus diligenter, adeoque inde facile perspeximus, Dilect. Vestram nostri memoriam cum summa benevolentia non tantum fideliter retinere, sed cumulare etiam omnibus humanitatis atque amoris officiis. Quamobrem non jam, ut eundem erga Nos animum perpetuo conservet, rogamus; ne de constantia fortissimi Principis dubitare videamur: sed gratias potius hoc nomine amanter agimus, & omni nobis diligentia elaborandum esse existimamus, ut expectationi Dilect. Vestræ pari amoris atque observantiæ studio satisfaciamus. Quod cum in rebus omnibus, tum vero in causa hac maxime, quam Dilectio Vestra Nobis jam antea per Dominum Renatum & nunc iterum diligentissime commendavit, præstare valde cupimus. Quos porro Dilectionis Vestræ Legatus de suavissimo filio Nostro rumores sparsos in Italia fuisse ostendit, de his Nobis nihil constat: at si illi iter aliquando in Italiam suscipiendum esset; nullius equidem hospitio & patrocinio libentius uti vellemus, quam Dilect. Vestræ, in cujus amore atque benevolentia acquiescere posset tutissime. Fuit præterea Nobis jucunda commemoratio illa necessitudinis, quam Dilectionis Vestræ Legatus inter utriusque Nostrum familias intercedere declaravit. Hanc autem, ut Nos perpetuis beneficiis & studiis augere & tueri; ita Dilectionem Vestram felicissimis rerum successibus

antea redemptas, & contra pacta conventa aversas justissime vendicant, vel quia ad consequendum id, quod suum est, legitime vigilarunt. Postulat hoc commerciorum veneranda fides, qua florere cœpit, & ad summum fastigium merito suo pervenit potentissima vestra Respublica, requirit æquitas & justitia Dilectionis & amplissimi Ordinis Vestri, quæ non patitur litibus non necessariis peregrinos destineri. Exigit denique Nostrum quoque erga Dilectionem Vestram & magnificam Venetorum urbem singulare & perpetuum studium: pro quo abunde nobis satisfactum fuisse a Dilect. Vestra dum demum judicabimus, quando commendationem hanc Nostram valuisse, & sociis Thuringensibus, Clientibus Nostris, profuisse plurimum intellexerimus. Bene valeat Dilectio Vestra & a Nobis omnia humanitatis & benevolentiæ officia expectet. Datæ Dresdæ Cal. Jan. Anno M. D. LXXX.

(XXXVIII.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad ALPHONSUM II. Ferrariæ Ducem, quibus se semper operam pollicetur daturum, quo ejus expectationi omnibus amoris & observantiæ studiis satisfacere possit, 1580.

CUm Nos iter Danicum ingressi longius a ditionibus nostris abessemus, venit Dresdam Consiliarius & Legatus Dilect. Vestræ, Dominus Renatus Cotus, cum iis mandatis, quæ Dilectio Vestra illi ad Nos perferenda dederat. Quem etsi

etsi coram, ut cupiebamus, audire non potuimus: tamen de omnibus, quæ Dilectionis Vestræ nomine Consiliariis Nostris exposuit, certiores postea redditi sumus diligenter, adeoque inde facile perspeximus, Dilect. Vestram nostri memoriam cum summa benevolentia non tantum fideliter retinere, sed cumulare etiam omnibus humanitatis atque amoris officiis. Quamobrem non jam, ut eundem erga Nos animum perpetuo conservet, rogamus; ne de constantia fortissimi Principis dubitare videamur: sed gratias potius hoc nomine amanter agimus, & omni nobis diligentia elaborandum esse existimamus, ut expectationi Dilect. Vestræ pari amoris atque observantiæ studio satisfaciamus. Quod cum in rebus omnibus, tum vero in causa hac maxime, quam Dilectio Vestra Nobis jam antea per Dominum Renatum & nunc iterum diligentissime commendavit, præstare valde cupimus. Quos porro Dilectionis Vestræ Legatus de suavissimo filio Nostro rumores sparsos in Italia fuisse ostendit, de his Nobis nihil constat: at si illi iter aliquando in Italiam suscipiendum esset; nullius equidem hospitio & patrocinio libentius uti vellemus, quam Dilect. Vestræ, in cujus amore atque benevolentia acquiescere posset tutissime. Fuit præterea Nobis jucunda commemoratio illa necessitudinis, quam Dilectionis Vestræ Legatus inter utriusque Nostrum familias intercedere declaravit. Hanc autem, ut Nos perpetuis beneficiis & studiis augere & tueri; ita Dilectionem Vestram felicissimis rerum successibus

gaudere animo cupimus. Datæ Sverini in Megolopyrgo XVII. Cal. Maji Anno M. D. LXXX.

(XXXIX.)

Litera CHRISTIANI, Principis Electoratus Saxonici Hæreditarii, ad ALPHONSUM II. Ferrariæ Ducem, quibus ipsi pro singulari, quo in se ferretur amore, ingentes grates persolvit, ac vicissim omnia peculiaris observantiæ & studiosi cultus officia pollicetur, 1580.

Serenissime Princeps, Domine & cognate charissime.

EA est erga magnos heroës mea observantia, & paternas amicitias retinendi studium, ut alterutrum horum mihi multum animi addat ad colendum, & omnibus, quibus maxime possum, rebus demerendum Excelsit. Vestr. Quæ cum clarissimo viro, Domino Renato Coto mandaverit, ut salutem mihi diceret, & benevolentiam Excelsitatis Vestræ erga me pluribus verbis declararet: tantus ad voluntatem meam pristinam cumulus accessit, ut antea dilexisse tantum; jam vero unice amare mihi videar Excelsitatem Vestram, cujus officium, quod mihi, si forte Italiam inviserem, liberalissime repræsentari jussit, adeo gratum & jucundum accidit, ut nullum gratias satis digne agendi modum inveniam. Itaque hoc tantum maximopere & reverenter rogo, ut Excelsitas Vestra suam hanc erga me benevolentiam perpetuo conservet, sibique certo persuadeat, eum esse me, qui Excelsitatem Vestram cum ob multiplices & præclaras virtutes miretur & suspiciat: tum vero propter amo-

Digitized by Google

amorem erga me ſingularem omnibus obſervantiæ officiis ſtudioſe colat & amplectatur. Bene valeat Excelſitas Veſtra. Datæ Sverini in Megalopyrgo XVII. Cal. Maji, Anno M. D. LXXX.

(XL.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad STEPHANUM, Poloniæ Regem, quibus ipſi militem quendam veteranum, manu & ſcientia rei militaris inſignem, auſpiciaque Polonica contra Moſcos ſequi flagrantem, ſtudioſe commendat, 1580.

P. P.

QUo celebrior & illuſtrior eſt fama & juſtior cauſa belli a Ser. Veſtr. Reg. adverſus immaniſſimum Moſcoviæ Tyrannum ſucepti; eo major eſt bonorum & fortiſſimorum militum cupiditas adjungendi ſe caſtris Serenitatis Regiæ Veſtræ, quos ſplendor & rerum geſtarum inſtitutarumque gloria ita incendit, ut relictis propinquis & neceſſariis ſuis eo ſe conferre conſtituerint, ubi Serenitati Reg. Veſtræ operam egregiam adverſus hoſtem navando maximopere declarare & reipſa comprobare poſſint fidem, conſcientiam & fortitudinem ſuam: Hunc igitur equeſtris Ordinis hominem, quem ſcimus a juventute ſua ſub fortiſſimis belli ducibus duodecies ſtipendia cum laude abſolviſſe; & exiſtimamus pulcherrimos Serenitatis Veſtræ Regiæ conatus manu & ſcientia rei militaris vel maxime adjuvare poſſe: noluimus ſine literis Noſtris dimittere: non quod illum commendatione Noſtra magnopere indigere arbitremur,

Digitized by Google

ſed ut ipſi ad Seren. Veſtr. Regiam aditum pateſaceremus, ac teſtimonium tribueremus virtuti ejus debitum. Quæ cum ita ſint, a Seren. Veſtr. Regia amanter & officioſe petimus, ut clientem hunc Noſtrum in militum ſuorum album adſcribat, eoque loco conſtituat, quem voluntas & animus ejus pro chriſtianæ Reipublicæ ſalute, & Seren. Veſtr. Regiæ laude pugnandi ſtudio flagrantiſſimus meretur & poſtulat. Id ſi faciet Ser. Reg. Veſtra, non male profecto rationibus ſuis conſulet, & caſtra ſua optimi militis atque equitis ſtrenui virtute hac occaſione aucta eſſe ſentiet: & nos exiſtimabimus officium in hoc genere noſtrum, aliquoties jam iteratum non ingratum eſſe Seren. Veſtr. Regiæ, quam bene valere cupimus, & pro commodo Chriſtianitatis lætiſſimis glorioſæ victoriæ ſucceſſibus utã ex animo cupimus. Dresdæ prid. Calend. Nov. Anno M D LXXX.

(XLI.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad ELISABETHAM, Angliæ Reginam, de abuſu commerciorum per mercatores Britannicos in Saxonia & reliquis Germaniæ partibus inſtitutorum ejusque remotione aquitatis legibus conſona agentes, 1581.

Domina & Cognata Noſtra chariſſima.

LIteræ Ser. Veſtræ Regiæ Non. Apr. ad Nos apud divum Jacobum ſcriptæ vix tandem Nobis XVI. Cal. Jul. ſunt redditæ: ex quibus intellexi-mus, rumores ad Serenitatem Veſtram Regiam perlatos

latos fuiſſe: Interdictum a Nobis promulgatum iri, quo Britannici nominis negotiatoribus uſus commerciorum in ditionibus Noſtris prohiberetur: præterea, quod Privilegia aliquot retro ſeculis a Civitatibus Hanſæ maritimæ in Anglia quiete uſurpata inique labefactari dicerentur. Qua de re etſi reminiſcimur, ante ſesquiennium ad Nos perſcriptum fuiſſe; mercatores quosdam Anglos Londini ſocietatem iniiſſe, & auctoritate publica obtinuiſſe, ut aliis nullis quam illis, qui in horum ſociorum numero eſſent, negotiatio pannorum Londinenſium libera relinqueretur: atque hinc fieri, cum ante id tempus panni a civibus Hanſæ maritimæ in Germaniam, nullo prohibente importati, & mediocri pecunia venditi fuiſſent: ut jam horum pretia in immenſum augerentur, idque detrimentum publice ad omnem Germaniam redundaret; tamen Nos hactenus de tota re neque comperimus quicquam amplius, neque in animum induximus unquam, commerciorum exercendorum poteſtatem cuiquam adimere, aut ejusmodi quid ſtatuere, unde moleſtia crearetur Serenitati Veſtræ Regiæ, a qua Nos beneficium accepiſſe, grato recordamur animo; vel ejusdem ſubjectis populis, quos favore ſingulari proſequimur. Quamobrem cum hæc ita ſint, Nos & candorem atque prudentiam & ſummam æquitatem atque juſtitiam Serenitatis Veſtræ Regiæ laudamus plurimum: candorem quidem & prudentiam, quod præclare de Nobis exiſtimaverit; neque temere perſuadere ſibi paſſa fuerit; nos re non ſatis ante explicata & cognita aliquid adverſus negotiato-

res Britannicos decreturos esse: æquitatem vero & Justitiam, quod de controversia hac nullius unquam Principis Judicium se velle subterfugere significat. Sic itaque futurum est, si forte Civitates Hanseæ negotium hoc ad Suam Cæs. Majestatem & Ordines Imperii Germanici aut jam antea retulerunt, aut relaturi sunt postea: & Seren. Vestr. Regia rationes suas profiteatur & edat, ut tota res ex bono & æquo tandem ita componatur, quo jura vicinitatis undique sarta & tecta permaneant. In quam partem cum Seren. Vestram Regiam sponte sua propendere videamus; nullum equidem Nobis rogandi & admonendi locum reliquit amplius: ac potius æquitate & humanitate literarum suarum adeo sibi Nos devinxit, ut nihil in Nobis unquam passuri simus desiderari, quod ad ornamentum & decus Serenitatis Vestræ Regiæ pertinere cognoverimus. Cui omnia læta & prospera ex animo optamus & precamur. Dresdæ XIII. Cal. Julii, Anno M D LXXXI.

(XLII.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad WILHELMUM, Mantuæ Ducem, quibus ab eo obnixe contendit, ut Andreæ Pauli, Ablegato suo, summam in omnibus, quæ prolaturus esset, fidem adhibeat, 1581.

P. P.

CUm pro ea necessitudine, quam cum Serenissima Allobrogum Domo constitutam jam diu habemus, hoc tempore ad Dilectionem ejus nobilem & clarissimum virum Consiliarium Nostrum & fide-

fidelem Nobis dilectum Dominum Andream Pauli JCtum mitteremus, ut is Noſtro nomine Dilectioni ejus ea officia præſtaret, quæ ſummorum Principum liberis poſt obitum parentum ab amicis & propinquis tribui ſolent, benevolentia & amore erga Dil. Veſtram Noſtro impulſi, eidem præcepimus, ut ex itinere inſtituto deflectens ad Dilectionem Veſtram iret, & noſtris illam verbis ſalutaret officioſe, ac porro id, quod præſentes de Noſtris rebus coram communicaturi eſſemus, inter Nos idem expediat ille & conficiat pluribus. Quamobrem maximopere etiam atque etiam rogamus, ut hunc Conſiliarium Noſtrum Dilectionem Veſtram convenientem ad ſe non gravate admittat, & benigne audiens Nos audire putet, ſibique certo perſuadeat, quæ de Noſtro erga Dilectionem Veſtram animo loquetur, ex Noſtro eſſe profecta pectore & huc ſpectare potiſſimum, ut amicitia Noſtra, quæ officiis ab utroque Noſtrum ante hac culta eſt, & coletur deinceps ſanctiſſime, confirmetur etiam vehementius. Quod ut Nos valde cupimus, ita gratiſſimum Dilectioni Veſtræ fore animo confidimus; quam omnibus quibus gaudet & delectatur rebus, abundare & florere optamus maxime. Dresdæ 6. Calend. Februarii Anno 1581.

(XLIII.)

Literæ CHRISTIANI, hæreditarii Electoratus Saxonici Principis, ad CAROLUM EMANUELEM I. Sabaudiæ Ducem, quibus mortem Parentis ipſius nuper defuncti dolens, felix

ipſi imperium precatur & amicitiam mutuis officiis excolendam amanter offert, 1581.

QUa obſervantia Sereniſſimum Principem, Dominum Emanuelem Philibertum, Dilectionis Veſtræ Patrem piæ recordationis ſemper coluerim, ſum ipſe mihi teſtis. Nam quo major inter Dilectionem ejus & Parentem meum erat conjunctio, eo magis ego Dil. ejus appetebam, ſic ut velut alterum parentem venerarer vivum, & jam defunctum lugeam, ut filius. Auget autem mihi dolorem etiam Illuſtriſſimi & charisſimi Patris mei moleſtia, quam ex hoc caſu traxit acerbiſſimam: de qua re pluribus ſcribere non auſim, ne Dilectioni Veſtræ vulnus, quod graviſſimum ex obitu paterno accepit, refricare videar. Etſi autem tali tempore aut conſolari amicorum eſt, aut polliceri; tamen conſolatione non utar, quod ſciam Dilectionem Veſtram & natura & ſtudio ita animatam eſſe, ut caſus humanos pie & fortiter ferre poſſit. Quod vero pollicear nihil habeo aliud, quam benevolentiam, amorem & ſtudium erga Dilectionem Veſtram meum ſingulare, quod equidem re potius, quam verbis declarare cupio. Extremum illud eſt, ut optimis votis omnibus proſequar ſuſceptam a Dilectione Veſtra paternarum ditionum adminiſtrationem, quam cupio & opto, cum gloriæ divinæ ſervire imprimis, tum vero ſummam dignitatem adferre Dilectionis Veſtræ ornamentis, & commodis: quibus mirabiliter faveo, quod hæc pro illuſtri Parentis mei erga Dilectionem Veſtram plane paterno adfectu & meo amore fraterno omnino mihi communia eſſe,

Digitized by Google

eſſe, exiſtimo cum Dil. Veſtra, quam bene valere ex animo cupio; & ut ea me dignetur benevolentia, qua ſui ſtudioſisſimos & amantiſſimos Principes amplecti ſolet, amanter rogo. Dresdæ, 5. Id. Febr. Anno 1581.

(XLIV.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad HUGONEM DE LUBVERDALE, Magnum Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſtrum, cui collatam nuper miro totius collegii equeſtris conſenſu ſupremi Magiſtri dignitatem amanter gratatus, felices glorioſosque contra immaniſsimum Chriſtiani nominis hoſtem precatur ſucceſſus, 1582.

Salutem Dilectioni Veſtræ dicimus, & operam Noſtram in omni officiorum genere promptiſſimam deferimus!

Excellentisſime Princeps, Domine & Amice charisſime.

AMplisſimo Rhodiorum Equitum Ordini ſemper tribuimus plurimum, quod is pro Chriſtiana Republica adverſus immaniſſimos ejus hoſtes in perpetua ſtatione excubet, eaque perſequatur bella, ex quibus vera gloria naſcitur. Quamobrem ut ante hac non absque dolore animi cognovimus: non nihil importunitate quorundam motum fuiſſe, quo fortiſſimus optimorum equitum ordo perturbaretur; ita jam lectis Dilectionis Veſtræ literis, quæ magni Nobis fuerunt, duplici adfecti ſumus lætitia, cum quod turbas illas ſopitas eſſe, tum vero

vero, quod Dilectio Veſtra ad faſtigium honoris, quod in hoc Ordine ſummum eſt, evectam fuiſſe, ex illis perſpeximus. Tam itaque Dilectioni Veſtræ quam toti optimorum equitum collegio ex animo gratulamur: huic quidem, quod rebus contentione ſociorum exacerbatis eum Ordinis ſui Principem deſignaverit, qui eximia fortitudine, gravitate, prudentiaque ſua & multo rerum uſu ſingulorum ſtudia ad concordiam mutuam adducere, & præſtanti magnitudine animi & conſilii rationes Mahumeticas frangere & hoſtem hunc a Chriſtiana Republica longisſime, abigere atque arcere poſſit; Dilectioni Veſtræ vero, quod ſummo omnium Equitum magnoque conſenſu eum dignitatis gradum conſecuta fuerit, in quo de Chriſtianitate benemerendi & nomen ſuum immortalitati conſecrandi, maximam facultatem a Deo maximo optimoque habet. Omnia Dilectionis Veſtræ conſilia pro ſalute & quiete Reipublicæ Chriſtianæ ſuſcepta fortunari valde cupimus: ac pariter ex animo optamus, ut Dilectio Veſtra Magiſtratum hunc pro ſua ſuorumque Equitum gloria & commodo publico feliciter adminiſtret, eamque contra Chriſtiani nominis hoſtem gerat, quæ ab omnibus ſumma cum admiratione laudentur. Ad quam rationem, ſi Nos quoque aliquid afferre poſſumus, Dilectioni Veſtræ totique optimorum equitum ſocietati omnem Noſtram benevolentiam, officia, curas & cogitationes pollicemur: adeoque Dilectionem Veſtram rectisſime valere, adverſusque hoſtis Chriſtianitatis victoria perpetua gaudere cupimus. Auguſtæ Vindelicorum Pridie Non. Auguſti Anno 1582. *Inſcri-*

Inſcriptio.

Excellentiſſimo Principi, Domino HUGONI de LUB- Verdale, magno Hoſpitalis Hieroſolymitani Magiſtro.

(XLV.)

Literæ AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad STEPHANUM Poloniæ Regem, quibus debitam ſibi ab eo pecuniæ ſummam, Alberti Ziſwickii, Internuntii ejus, cura probe repraſentatam eſſe teſtatur, 1582.

P. P.

ETſi Nos pro' pecunia credita gratiarum actionem, a Ser. Veſtr. Regia non expectabamus, quod & debito amicitiæ Noſtræ mutuæ officio hac in parte perfuncti eſſe videremur; & Ser. Reg. Veſtræ tam animo, quam re ipſa gratiſſimam eſſe ſciremus. Tamen Seren. Reg. Veſtræ verbis Legatus ejusdem dignisſimus, generoſus vir, Dominus Albertus Ziſwickii gratias Nobis diligentiſſime egit, & pecuniam debitam probe repræſentavit. Ut autem pro Ser. Reg. Veſtræ erga Nos perſpectiſſima fide & integritate & conſtantia dubium de ſolutione Nobis nullum unquam fuit: ita egregium erga Nos Seren. Veſtr. Regiæ animum, quem Nobis Dominus Albertus oſtendit, amanter amplectimur, &, ut hunc erga Nos perpetuo habeat, omnibus, quibus maxime poſſumus, rebus ſtudebimus. Reliqua ex Domino Alberto, cui & literarum cautiones, & gemmas apud Nos depoſitas reſtitui juſſimus, cognoſcere poterit Ser. Reg. Veſtra, cui valetudinis integritatem, & omni-

um

Digitized by Google

um rerum feliciſſimos ſucceſſus precamur ex animo. Dresdæ 18. Cal. Decembr. An. 1582.

(XLVI.)

Literæ AUGUSTI, Saxonum Electoris, ad STEPHANUM, Poloniarum Regem, quibus pro Fabiano a Dohna ejusque fratribus, ſuis in Livonia prædiis immerito exutis, ſollicite intercedit. 1583.

P. P.

ERga Baronum Donenſium familiam mirifice ſemper adfecti ſumus: quod cognoviſſemus ex vetuſta hac & nobili domo multos fortes & rebus Mavortiis gerendis eximios viros fuiſſe progreſſos. Quorum in numero cum Dominum Fabianum & ejus fratres eſſe judicemus, perinviti equidem accepimus, avitæ ipſorum virtuti fortunam adeo eſſe iniquam, atque ut non tantum in impreſſione hoſtili cæteris ſuis bonis & poſſeſſionibus Livonicis dejecti, ſed malevolorum etiam nonnullorum culpa & obtrectatione prædio Rotenbeiſio exuti fuerint. Etſi autem indignus iſte virorum fortiſſimorum caſus non parum Nobis moleſtiæ attulit: tamen non medioeriter recreati fuimus, tam cogitatione ſapientiæ & æquitatis illius ſingularis, quæ Serenitati Regiæ Veſtræ omnium tam ſummorum, quam infimorum hominum amorem, ſtudia, admirationem & obſervantiam pasſim conciliat; quam quod certis actionibus cognoverimus, Dominum Fabianum bello Moſcovitico Ser. Veſtr. Regiæ non pœnitendam ſuo loco & ordine navaſſe operam. Quibus de cauſis in hanc opinionem diſcęs-

diſcesſimus, ut plane ſtatuamus, Ser. Veſtr. Regiam, pro ſingulari bonitate & juſtitia ſua, minime paſſuram eſſe, ut fratres Donenſes, non male de Republica meriti, in tantis incommodis & difficultatibus hæreant diutius. Et quod Domino Fabiano fortaſſe hac in parte alii obfuturum exiſtiment, id Nos Ser. Veſtr. vel in primis commendaturum eſſe exiſtimamus hominem acrem & induſtrium, qui bello Moſcovitico feliciter confecto, e patria eo ſe contulerit, unde ad Seren. Veſt. Regiam aliquando rei militaris ſcientia & uſu inſtructior & auctior redire & pro acceptis beneficiis talem ſe præſtare poſſit, qualem & nos fore ipſum confidimus, & Ser. Veſtr. Regia omnino eſſe cupit. Quæ cum ita ſint, non ideo ſcribimus hæc, quod ad optimum patronum clientibus fidelisſimis commendatione Noſtra opus eſſe quicquam putemus: ſed ut benevolentiæ Noſtræ, qua Dominum Fabianum & Fratres ejus benignisſime amplectimur, aliquod apud Ser. Veſt. Regiam judicium & teſtimonium extet. Quam ſi fratres Donenſes ad fortunas ſuas reſtituet, non tantum ſolita erga omnes ſua æquitate & juſtitia uſam eſſe, ſed Nobis etiam id tributum fuiſſe, libenter profitebimur: quod ſummopere optamus & cupimus, & ut omnino faciat, Ser. Reg. Veſtram amantisſime etiam atque etiam rogamus. Cui tum a Nobis grati animi memoriam perpetuam; tum a fratribus Donenſibus ſubjectisſimæ voluntatis ſtudia & obſequia omnia repromittimus, ex animo optantes, ut Ser. Veſtra Regia perpetuo recte valeat, Dresdæ Id. April. Anno 1583.

(XLVII.)

(XLVII.)

Literæ AUGUSTI Saxoniæ Electoris ad EMANUELEM PHILIBERTUM, Sabaudiæ Ducem, quibus ab eo, ut Alphonsum, Finali Marchionem, ab illatis illi actionibus benigne absolvere, eique, quæ majores ejus a Domo Sabaudica jure beneficiario acceperunt, clementer restituere haud graveur, diligenter efflagitat, 1583.

P. P.

CONvenit hic Nos Illustrissimus Princeps Dux Alphonsus, Princeps Finalii, atque Dilectioni Vestræ mirificas apud Nos gratias egit, quod literas Nostras pro illo scriptas præcipuum aliquod pondus habuisse diceret, & decreto interposito omnem sibi offensam, quam apud divum Dilectionis Vestræ Parentem contraxerat, penitus condonatam esse prædicaret: seque paratissimum esse ostenderet, ea omnia gratissimo animo præstare, quæ Patronum a beneficiario Cliente postulare par est. Fuit Nobis id tam jucundum, ut officio Nostro defuisse videremur, nisi Dilectionem Vestram voluptatis hujus, quam ex gratulatione Domini Marchionis sentiebamus, participem feciissemus, ac pariter ostendissemus beneficium Dilectionis Vestræ optime positum, fuisse collatum in virum Principem, quem & animo & re ipsa gratissimum atq; memorem esse experti essemus. Nunc igitur non modo ex commendatione Nostra priore nihil remittimus, sed eo quoque vehementius a Dilectione Vestra omni studio atque cura contendimus, ut reliquum hujus negotii, pro quo æque ac si res nostra ageretur, laboramus

ramus, ex voto Domini Marchionis plane expediat, ac primum quidem procuratori fiſci ſui mandet, ſi quam ante id tempus Domino Marchioni actionem intulit, eam deinceps penitus aboleri jubeat, neque reum hoc nomine amplius omnino peragat. Deinde, ut Dilectio Veſtra Domino Marchioni bona omnia, quæ Majores ipſius a Sereniſſimis Sabaudiæ Ducibus, jure beneficiario acceperunt, abſque ulla diminutione benevole concedat: & horum univerſorum inveſtituram, ut vocant, per mandatarium ſuum petenti benigne tribuat, eaque de re diplomata ad exemplum inveſtituræ veteris, abſque mutatione, prioribus plane conformia, expediri, iisque Privilegia avita pari cum vetuſtis tenore inſeri & dari jubeat: & ne ſingula enumeremus, totum deniq; Marchionem tanquam unum de familia Noſtra commendatum ſibi habeat, omnique eo favore & benevolentia, qua nos proſequitur, amplecti & in numero ſuorum habere dignetur. Idque ut Dilectio Veſtra plane faciat, tanto Nos ſtudio etiam atque etiam rogamus, ut majore non poſſimus. Confirmabit profecto Dilectio Veſtra ampliſſime clientelas a majoribus ſuis acceptas, & non tantum Dominum Marchionem cognoſcet in Dilectionis Veſtræ officio & fide eſſe ſingulari, ſed Nos quoque obligabit arctiſſime præſertim, ſi ex literis Dilectionis Veſtræ cognoverimus, commendationem hanc Noſtram Domino Marchioni profuiſſe plurimum. Bene valeat Dilectio Veſtra, cui Nos omnium rerum felicisſimos ſucceſſus ex animo optamus. Auguſtæ Vindel. 5. Non. Jul. Anno 1583.

(XLIIX.)

Litera AUGUSTI, Electoris Saxoniæ, ad GENUENSIS REIPUBLICÆ DUCEM, quibus ipsi Christophorum ab Haugwitz studiose commendat, 1583.

P. P.

ADmiratione & celebritate amplissimæ Genuensium Reipublicæ impulsus Cliens Noster Christophorus e Nobili Haugwitiorum familia ortus, iter a Nobis in Italiam suscepit, ut inter prædiarios milites, quorum ope Charitas Vestra utitur, stipendia faciat. Etsi autem fide, industria atque virtute sua inter hos facile locum aliquem se repertrum esse confidat: tamen literas quoque Nostras veluti testimonium aliquod fortitudinis atque integritatis suæ, huc accedere voluit; quas Nos illi, cum favore & benevolentia Charitatis Vestræ dignissimum esse sciremus, negare non debuimus. Hunc igitur Haugwitium Charitati Vestræ ita commendamus, ut virum nobilem, militem optimum, & Genuensium Reipublicæ addictissimum, pro cujus salute, si ita res atque tempus postulet, neque in prima acie pugnare, neque sanguinem profundere dubitabit. Quicquid igitur in clientem hunc Nostrum liberalitatis atque benevolentiæ Charitas Vestra contulerit, id & collatum optime & Nobis gratissimum; tum vero Reipublicæ Genuensi futurum erit fructuosum: quam Nos fortissimorum virorum præclaris studiis perpetuo florere & Charitatem Vestram rectissime valere cupimus. Ex arce Nostra Dresd. 7. Id. Julii, Anno 1583

(XLIX.)

Digitized by Google

(XLIX.)

Litera CHRISTIANI, *hæreditarii Electoratus Saxonici Principis, ad* CAROLUM EMANUELEM, *Sabaudiæ Ducem, quibus ipsi se tenerrimo in eum amore flagrare, nuntiat, 1583.*

Sereniſſime Princeps,

Veſtræ Excelſitati omnia honoris & obſervantiæ officia a Nobis ſint paratiſſima.

Domine & agnate obſervantiſſime.

QUod Excelſitas Veſtra Noſtri memoriam cum ſumma benevolentia retinet, id Nobis longe eſt gratiſſimum. Cum enim ſemper Nobis optaverimus, complecti Excelſitatem Veſtram virtute, gloria, ætate, honoribus, ingenio & animo florentem; quid Nobis poteſt eſſe jucundius Principis literis, quem ſemper fecimus maximi? Itaque tantus his ipſis ad Noſtrum erga excelſitatem Veſtram ſtudium obſervantiæ cumulus eſt additus, ut nihil magis jam cupiamus, quam ut facultas nobis detur ornandæ Excelſitatis Veſtræ. Cui diligentiam, fidem & obſequium Noſtrum in omni genere officii, quod ad honeſtatem & gloriam ſpectat, ita profitemur & pollicemur, ut ſi quod intelligamus aut ad commodum aut ad voluntatem Excelſitatis Veſtræ pertinere, noſtra ſponte id ſimus facturi, & libenter & ſedulo. Bene valeat Excelſitas Veſtra, & Nos, ut inſtituit, perpetuo redamet. Dresdæ 10. Cal. Septembr. Anno 1583.

(L.)

Litera AUGUSTI, Saxoniæ Electoris, ad HENRICUM III. Galliarum Regem, quem ſerio & amice rogat & obteſtatur, ne aures ſuas ſeditioſis perditiſſimorum hominum conſiliis patere, ac ſe contra fideles & devotos ſibi cives incitari patiatur, 1584.

Auguſtus Domino Henrico, Regi Galliarum!

EX iis literis, quibus Serenitas Regia Veſtra Nos ad ſuſcipiendam cauſam pacis publicæ nuper amantiſſime hortata fuit, facile perſpeximus, quam vehementer de incolumitate Imperii Germanici ſollicita eſſet. Unde tanto referendæ gratiæ ſtudio incenſi fuimus, ut pari ſollicitudine pro dignitate & commodis Serenitatis Veſtræ Regiæ adficiamur. Quare cum hoc tempore ad Nos deferretur: eſſe quosdam maleferiatos homines, qui Serenitati Regiæ Veſtræ tranquillitatem Regni ſui invideant, & hoc agant, ut Gallia pacificis quondam ſtudiis florentiſſima, in quiete ſua, in qua reſpiraſſe nonnihil videtur, turbata, bellorum civilium turbis iterum involvatur: faciendum Nobis pro Noſtra erga Serenitatem Veſtram Regiam obſervantia putavimus, ut hac de re ad eandem ſcriberemus; non quod Nobis ullum eſſet dubium, quin Serenitas Veſtra Regia præclara illa & ſalutaria ſua edicta, quibus pax Galliæ reſtituta nuper fuit, firma & inviolata eſſe velit: ſed quod metueremus, ne inquieti iſti homines, qui nihil aliud cupiunt, quam, ut

cum

cum pernicie & interitu potentisſimæ Nationis Gallicæ Pontificia Tyrannis reſtauretur, Serenitatem Veſtram Regiam etiam invitam inteſtinorum bellorum calamitatibus implicent, eoque tandem redigant, ut ad imperium & nutum Romani Præſulis ea facere & ſtatuere cogatur, quibus & ſalus animarum & omnes ſubditorum fortunæ evertantur. Pro Noſtro igitur perpetuo erga Serenitatem Veſtram & inclytum Galliarum Regnum amore & ſtudio Serenitatem Veſtram Regiam etiam atq; etiam ſerio & fideliter monemus, rogamus & obteſtamur, ne aures Regiæ ſeditioſis perditisſimorum hominum vocibus pateant: neve incitari ſe ab his patiatur contra ſuos fideles & pietatis veræ amantes cives, qui omnia hactenus paſſi ſunt, ut & Deo Optimo Maximo honorem ſuum, & Serenitati Regiæ Veſtræ obedientiam & ſubjectionem debitam præſtarent. Quos peſtes iſtæ hominum Pontificiæ ob hanc ſolum cauſam oderunt, & funditus extirpatos volunt, ut exhauſtis & proculcatis Regni Gallici viribus, Serenitas Veſtra Regia cum ſumma ſua, tam rerum, quam exiſtimationis & quod caput rei eſt, animæ etiam jactura irrecuperabili Pontificis Romani tyrannidi & libidini exponatur. Qui Pontifex cum hactenus Reges & Principes Orbis Chriſtiani præſtigiis & ſuperſtitione circumventos ſub pedibus ſuis preſſerit, adeoq; omnes omnium Provincias compilaverit, ægerrime fert, potentiam ſuam ac effrenem omnia pro arbitrio in re Eccleſiaſtica & publica ſtatuendi licentiam attenuari & minui. Hujus igitur jugo Tyrannico, ut & ſe & Regnum ſuum eximat, ſeque in libertatem ſuam ex turpiſi-

Digitized by Google

ma ſervitute magno & excelſo animo vindicet, eosque, qui diverſum ſuadent, non aliter atque manifeſto deprehenſos hoſtes dignitatis Serenitatis Regiæ Veſtræ & Reipublicæ Gallicæ præſentiſſimas peſtes averſetur & abigat; Ita Nos fideliter Serenitatem Veſtram Regiam hortamur & rogamus, ut ſuadere melius nil poſſimus, ſi noſtra & Patriæ Noſtræ dignitas ſumma & ſalus ageretur. Id ſi fieri fecerit Ser. Reg. Veſtra, & ſibi & Regno ſuo rectiſſime conſulet, adeoque ipſi Deo præpotenti gratiſſimum faciet: & non tantum in hac vita rebus abundabit omnibus, ſed hinc etiam aliquando diſcedens, ſempiterna beatitudine fruetur, & nomini Sui gloriam, celebritatem & immortalem famam toti poſteritati commendabit. Quæ Nos omnia Serenitati Regiæ Veſtræ ad ſalutem tam animi quam corporis, & Regni ſui incrementum perpetuum feliciter evenire ſincere optamus. Datæ Auguſtæ Misnenſium 3. Non. Febr. Anno 1584.

(LI.)

Litera CHRISTIANI I. Electoris Saxoniæ, ad HENRICUM, Navarræ Regem, quibus ipſi ſpondet, ſe nullam, qua in redhoſtimentum amicæ illius humanitatis, curam, operam, ſtudium & obſervantiam ſuam declarare poſſit, prætermiſſurum eſſe occaſionem, 1586.

SErenitatis Regiæ Veſtræ Legatus dignisſimus, Dominus Jacobus Segurius Pardelianus, ut Nobis literas reddidit a Ser. Regia Veſtra, plenas benevolentiæ & officii: mirifico ſermone ſubſecutus

tus eſt humanitatem literarum. Jucundiſſima Nobis illa ratio fuit, ex qua facile perſpeximus, quanti Nos Serenitas Regia Veſtra faciat. Itaque Nobis ipſi amicitiam ejus Regiam gratulati ſumus, quam ut is, quem Principem virtute, pietate & dignitate præſtantem officioſe obſervamus & colimus, ac pariter ut fratrem noſtri cupidiſſimum amplectimur & exoſculamur: cui porro etiam pro egregio hoc erga Nos animo gratias immortales agimus: & ut benevolentiam, quam literis & ſermone Legati ſui Nobis declaravit, perpetuo conſervet & tueatur, etiam atque etiam rogamus: certoque ſtatuat, nihil ſibi a quoquam tam eſſe promptum & paratum, quam curam, operam, ſtudium & obſervantiam Noſtram, quæ omnibus, quibus maxime poſſumus, rebus, ita Serenitati Veſtræ Regiæ declarare cupimus, ut diligentia Noſtra vincat expectationem Serenitatis Regiæ Veſtræ, cui vitæ longævæ diuturnitatem cum valetudinis integritate & rerum omnium ſucceſſu felicisſimo conjunctam precamur ex animo. Dresdæ Non. Febr. Anno 1586.

(LII.)

Literæ CHRISTIANI, Saxoniæ Electoris, ad CAROLUM EMANUELEM, Sabaudiæ Ducem, quibus ipſi, parentem ſuum, Auguſtum, glorioſiſſimæ memoriæ, pie nuper defunctum eſſe, nuntiat, 1586.

QUæ fuerit Illuſtriſsimi parentis Noſtri erga Serenisſimam familiam Veſtram benevolentia, non arbitramur obſcuram eſſe cuipiam: & Nos

ipsi, quanti hunc illo semper fecerit, testes sumus: divum Patrem Dilectio Vestra non secus ac fratrem amplectabatur, atque ita colebat, ut nulli Principum plus tribueret, nemini magis confideret, neque alium æque diligeret & observaret. Hocce vivo exemplo omnem in Dilectionem Vestram, veluti alterum filium, transferebat amorem, quem vicissitudine officiorum indies auctum constantissime retinuit: donec tandem hinc secum in cœlum extulit: cum ad 2. Februarii inter preces & gemitus Nostros, quod non sine magno animi dolore scribimus, exspirans, omnibus bonis & patriæ amantibus civibus, ardentissimum autoritatis desiderium tantum reliquisset, quantum nec ferre quidem potuissemus: nisi coram vidissemus, cognovissemus & interfuissemus ipsimet: quanta ille fiducia consiliorum & laborum suorum omnium, quos in vita pie & innocentissime acta, pro rei Christianæ & salutis publicæ commodis laudabili instituto susceperat & impenderat, in unius Salvatoris Nostri Jesu Christi merito plane acquiescens absque ulla doloris & diffidentiæ significatione, christiane & placidissime obdormiret: sic ut de asseveratione filii Dei, qua ipse omnes sibi uni confidentes, nullisque suis propriis virtutibus ad cœlum intentos beatos esse, clarissime pronunciat: exploratissimum Nobis sit, charissimum Parentem Nostrum nequaquam extinctum, sed ex hac rerum humanarum perturbatione & confusione ad lætissimam beatarum animarum consuetudinem profectum esse, ubi ævo deinceps fruatur sempiterno. Quam verissimam consolationem in hanc epistolam includere

dere nobis visum est, ut qua unica re in summo mœrore vel maxime sustentari Nos sentimus, eadem etiam Dilectionis Vestræ levaremus dolorem, quem pro suo erga beatum parentem Nostrum animo singulari & amore in Nos fraterno, hoc tristi nuncio accepturam esse non ambigimus. Adeoque Dilectionis Vestræ amicitiam omnibus deinceps officiis persecuturi sumus, ut intelligi possit, beati parentis Nostri amorem erga Dilectionem Vestram cum reliqua nos hæreditate ita crevisse, ut hujus accessione magno cumulo auctam esse appareat eam benevolentiam, quam jam diu habuimus erga Dilectionem Vestram, cui ut pari erga Nos studio & eadem voluntate idem præstare possit, velle enim non dubitamus, perpetuam valetudinis integritatem & rerum omnium successus lætissimos precamur ex animo. Dresdæ Prid. Cal. Martii, Anno M. D. LXXXVI.

(LII.)

Litera CHRISTIANI, *Saxoniæ Electoris, ad* CAROLUM EMANUELEM, *Sabaudiæ Ducem, quibus miras humanæ fortunæ vices in Parentum utriusq; nuper placide defunctorum casu dolens, ei de recens nato in spem familiæ Celsissimæ filiolo Principe, candide gratulatur, 1586.*

P. P.

CUm more humano miras fortunæ vices nos experiri paucis mensibus Deus Ter Opt. Max. voluerit: nihil quidem in dolore nostro, quem ex utriusque parentis obitu summum accepimus, nos æque confirmavit atque vox illa divina,

qua omnes, qui unice filii Dei merito firma fiducia adhærentes ex hac vita discedunt, perpetuo deinceps beati pronuncientur. Etsi enim pro nostra erga beatos parentes nostros pietate & amore naturaliter insito casus isti acerbissimi non parum Nos adflixerunt: tamen cum exploratum nobis sit, pie & christiane utrumque obdormivisse, cogitatione ita erigimur, ut voluntatem Nostram ad nutum divinum, quoad ejus per humanæ naturæ imbecillitatem fieri potest, accommodemus. Atque hæc eadem Dilectioni Vestræ adscribenda esse existimemus, quod ex literis ejus non leve beati parentis nostri desiderium eluceat. Ac scimus profecto illum, dum vixit, Dilectionis Vestræ quondam patrem, piæ memoriæ, coluisse ut amicum, & amasse ut fratrem: atque hoc e rebus tandem humanis exempto, omnem suum deinceps in Dilectionem Vestram tanquam in filium amorem & transtulisse & ad extremum usque spiritum conservasse constantissime. Unde nobis quoque elaborandum est, ut omnes intelligant, benevolentiæ hujus erga Sereniſſimam familiam Sabaudicam perpetuum studium a divo nostro Parente, quasi per manus traditum, magnæ curæ esse. Quamobrem omnibus Dilectionis Vestræ rebus ita adficimur, ac si nostræ essent: lætamurque imprimis, Dilectionem Vestram eleganti filiolo ex Regiæ stirpis conjuge auctam esse, eidemque felicitatem hanc toto pectore gratulamur. Deinde vero Deo auctori vitæ gratias agimus, pariterque votis exoptamus ardentibus, ut recens natus Princeps in avitas virtutes adolescat, ac porro diutissime superstes & lon-

longævus ſit, utrem olim Sabaudicam non modo in pace & otio felicisſime adminiſtrare; verum etiam Serenisſimam gentem Veſtram in ſempiternam Sabaudici nominis gloriam progenie perpetua propagare poſsit. Idque ut plane ita ratum & fixum ſit, faxit Deus æternus: cujus clementisſimæ Protectioni Dilectionem Veſtram cum lectisſima conjuge & filio dulcisſimo fideliter & amanter commendamus. Chemnitii Non. Maji, Anno M. D. LXXXVI.

(LIV.)

Litera CHRISTIANI, Saxoniæ Electoris, ad FRANCISCUM, Magnum Etruriæ Ducem, quibus ſe nihil prætermiſſurum eſſe, quo & dignitatem electoralem e voto ſuſtinere, & ſingulare ſuum erga ipſum ſtudium demonſtrare poſſit, declarat, 1586.

GRatisſimum judicium de Nobis Dilect. Veſtra facit, cum & in literis ſuis, & in ſermone, quem Horatius Urbanus ad Nos pertulit, non tantum eam jacturam, quam Sac. Rom. Imperium in funere beati patris noſtri fecit, ſucceſsione in defuncti locum noſtra reſarciri poſſe oſtendit, ſed nos etiam in benevolentiæ poſſeſsionem ſuæ collocat, quâ olim beatum patrem noſtrum proſecuta fuit. Atque ut amoris ſui deinceps in Nos transferendi egregiam & propenſam voluntatem mutua benevolentia Noſtra nos poſſe perſpicere confidimus: ita omni cura & diligentia etiam atque etiam contendendum nobis erit, ut opinionem, quam Dilectio Veſtra de nobis honorificam habet, meritis no-

Digitized by Google

noſtris comprobemus. Quamobrem nihil unquam prætermiſſuri ſumus, quo vel hanc Imperii Rom. dignitatem ſuſtinere, vel noſtrum erga Dilectionem Veſtram ſingulare ſtudium declarare poterimus. Idque ſatis arbitrati ſumus reſcribere Dilectioni Veſtræ hoc tempore, quo a Nobis Horatius Urbanus proficiſcitur, cui pluribus verbis coram expoſuimus, quæ ipſum Dilectioni Veſtræ de Noſtro erga eandem animo referre voluimus. Ex hoc igitur, ut cætera cognoſcat & nobis ſuam perpetuo benevolentiam conſervet, majorem in modum rogamus Dilectionem Veſtram, quam recte valere, & rerum ſucceſſu lætiſſimo gaudere, amanter cupimus & optamus. Dresdæ Calend. Junii, Anno M.D. LXXXVI.

(LV.)

Litera CHRISTIANI, Saxoniæ Electoris, ad HENRICUM, Navarræ Regem, quibus ipſi de quadruplici ex hoſtibus reportata victoria gratulatus, nihil ſibi de promiſſis ipſi auxiliis conſtare aſſerit, ac ut illi, ſedatis turbis, alma quiete frui ſecuro liceat, ardenter precatur, 1587.

QUo loco Seren. Reg. Veſtræ hoc tempore res ſint, cum ex ejusdem literis XV. die Novembris datis; tum vero ex ſcripto Nobis a D. Jacobo Segurio huc transmiſſo cognovimus. Quemadmodum autem pro Legationis nuper in Galliam miſſæ officio gratiarum actionem nullam deſideramus; ac potius dolemus, quod illa, uti cupiebamus, ex ſententia non ſucceſſerit, ac pro Noſtra erga Serenitatem Regiam Veſtram voluntate hactenus

tenus valde adficimur; ita ex animi ejus magnitudine ac imprimis cœleſtis præſidii fiducia magnam voluptatem capimus, nihilque plane ambigimus, quin idem ille juſtiſſimus armorum arbiter Deus, qui hoſtium iratorum conatus, quatuor inſtructiſſimis exercitibus diſſipatis, nuper debilitavit & fregit, porro etiam Serenitatem Regiam Veſtram ita pie & fortiter animatam ab inimicorum violentis conſiliis mirabiliter ſit liberaturus. Quod vero Seren. Veſtra Regia de promiſſis ſibi jam dudum auxiliis ſcribit, id cujusmodi ſit, non ſatis adſequimur: neque tale quid a Nobis factum eſſe recordamur. Et meminit adhuc absque dubio D. Jac. Segurius, non modo, quid binis ipſi literis anno præterito reſponderimus, ſed & quid haud ita dudum Luneburgi cum ipſo ſit actum. Quia vero poſt ipſum congreſſum Illuſtriſſimo Principi, Domino Joanni Caſimiro, Rheni Palatino, conſanguineo & adfini Noſtro chariſſimo, de rerum ſumma cogitationes Noſtras miſſis litteris aperuimus: in illa ſententia graviſſimis de cauſis etiam nunc acquieſcimus, & quod ad ſalutem totius Galliæ optimum eſſe judicamus, fraterne, fideliter etiam atque etiam monemus. Siquidem ex literis Serenitatis Regiæ Veſtræ compoſitionis ſpem deſideratiſſimam concepimus, ut omni ſtudio in eam rationem incumbat, quo pax nihil habitura ſit impietatis & inſidiarum; ſed Eccleſiæ Chriſti ſalutaris & Serenitati Regiæ Veſtræ honorifica concilietur: poſitque ſalva & incolumi, quoad ejus fieri poteſt, Patria, pietatis & quietis reſtitutæ gloria florere, fortunisque abundare omnibus Seren. Regia

Ve-

Veſtra, quam protectioni atque tutelæ divinæ votis commendamus omnibus. Dresdæ IV. Non. Febr. Anno M. D. LXXXVII.

(LVI.)

Litera CHRISTIANI, Saxoniæ Electoris, ad MAURITIUM, Haſſiaci Landgraviatus Principem, quibus ipſi pro transmiſſis ſibi in obitum Parentis ſui verſibus & literis amantiſſime ſcriptis, decentes refert grates, & auſpicatiſſimos in ea, quam ingreſſus erat, optimarum artium paleſtra, ſucceſſus ſincere precatur, 1587.

P. P.

NOs vero, cognate charisſime, fateri, quod res eſt, oportet, ſummum nobis luctum beati parentis noſtri obitum attuliſſe. Vix enim grave illud vulnus, quod ex morte materna acceperamus, conſenuiſſe nonnihil videbatur, cum idem acerbiſſimo hoc caſu plane recrudeſceret, & mœror tanto cumulo augeretur, ut nos penitus oppreſſurus fuerit, niſi Filii Dei vox nos confirmaſſet, qua aſſeveratur, ne minimum quidem capillum e vertice noſtro abſque Dei voluntate effluere poſſe. Hinc cum certi eſſemus, beatum parentem noſtrum a Deo ad æternam lucem ex his mundi caduci tenebris evocatum eſſe: Divino quidem conſilio ita refragandum non erat, ut quisquam Nos putaret, non tam deſiderium parentis adempti ægre ferre, quam felicitati ejus, qua jam in cœlis animus illius fruitur, invidere: quamvis autem cum eo præclare actum eſſe intelligamus, quod ſpe atque fiducia omni ſua in merito Jeſu Chriſti penitus fixa, ludi-

Digitized by Google

ludibria hujus vitæ cum cœlo commutaverit, tamen hæ cogitationes noſtræ ſæpius impediuntur, cum conſideremus, quanta Nos hic relicti non tantum in rerum omnium perturbatione, & metu periculorum impendentium verſemur; ſed quam grave etiam onus ejus perſonæ, quam ipſe magna cum laude bonorum omnium in Imperio Germanico geſſit, nobis deinceps ſubeundum ſit. Id vero ut ſuſtinere poſſimus, Dilectio Veſtra ita Nobiscum caſtas preces & pia vota conjunget, uti noſtræ conſolationis cogitatione opitulatur, verſibus & literis ſuis, amantisſime ſcriptis: ex quibus facile poteſt perſpici, quanti beatum parentem Noſtrum ſemper fecerit. De cujus erga totam Illuſtriſſimam familiam Haſſiacam olim benevolentia, & qua imprimis, dum viveret, charitate Dilectionem Veſtram complexus fuerit, etiam pluribus ſcripturi eramus, niſi verendum Nobis eſſet, ne Principis quondam Dilect. Veſtræ amantisſimi deſiderium, quod in literis & verſibus Dilectionis Veſtræ elucet, etiam magis incendamus: hoc igitur agamus deinceps, ut paternam amicitiam nobis quaſi per manus traditam mutuis ſtudiis & officiis colamus, iisque communem ſolemur dolorem. Quod ſane de Dilectione Veſtra ſperamus & de Nobis eidem promittimus. Bene valeat Dil. Veſtra, ut in laudabili illo ſtudiorum ſuorum pulcherrimorum curſu felicisſimos progreſſus facere & paternas laudes virtutibus ſuis exhaurire poſſit. Dresdæ Id. Martii Anno M. D. LXXXVI.

(LVII.)

Digitized by Google

(LVII.)

Litera ORDINUM REGNI POLONIÆ, *ad* JOACHIMUM FRIDERICUM, *Electorem Brandenburgicum, quibus ipsi Sigismundum hæreditarium Regni Sveciæ Principem, pluralitate votorum in Poloniæ Regem, reclamante saltem exiguo, qui Maximiliano Austriæ Archiduci faveret, Procerum numero, electum esse nuntiant, atque ab eo, ut predicto Archiduci viam, qua in solium Poloniæ penetrare satageret, violentam omnimodo dissuaderet, submisse contendunt, 1587.*

Illustrissime Princeps, Domine Observandissime.

QUomodo electio Regis Nostri peracta a Nobis fuerit, non dubitamus Illustrisimam Celsitudinem Vestram ex Legatis suis, quos ad eum conventum miserat, jam ante perspexisse: simul autem illud cognovisse, cum Serenissimus Sigismundus Princeps & electus Rex Sveciæ, communibus omnium fere Senatorum, ac maximæ partis nobilitatis suffragiis, in nostrum quoque Regem electus, atque ab Archiepiscopo, ut Senatus Principe, Rex renuntiatus esset, triduo post Serenissimum etiam Archiducem Maximilianum a quinque circiter Senatoribus, paucissimis autem ex Nobilitate, iisque magna ex parte illorum familiaribus, cæteris omnibus invitis ac reclamantibus, regem proclamatum fuisse. Quem etsi eo nomine pro prudentia ejus nihil magnopere vel juris sibi vindicaturum, vel gravius etiam quid tentaturum Nobis persuadeamus, ut omnia tamen vereamur, cum familiarium

ejus

Digitized by Google

ejus Potentia, tum commune periculum Christianitatis, in quod sine dubio universa Christianitas ventura esset, nos sollicitos habet. Non modo enim duo vicina eaque potentissima Christianitatis Regna mutuo atque intestino bello implicarentur; verum ne Orientis etiam arma, quæ melioribus temporibus vix sustinere Christianitas potuerit, nunc alienissimo ejus tempore commoveantur, verendum videmus. Hisce igitur rebus adducti non committendum existimavimus, quin ad Illustrissimam etiam Celsitudinem Vestram ea de re scriberemus. Diligenter autem ab ea quoque petimus, ut pro eo loco, quem in Imperio hoc & quasi statione Orbis Christiani tenet, ipsa etiam autoritate sua efficiat, prohibeatque, ne quid a quoquam suscipiatur, quo non modo Pax cum vicinis a multis seculis culta violetur, verum salus etiam publica in discrimen aliquod adducatur. Id etsi cum universæ Christianitatis commodo maxime conjunctum erit; non minus tamen Nos etiam plurimum semper eo nomine debere Illustriss. Celss. Vestræ statuemus, cui omnia fausta ac felicia a Deo Opt. Max. precamur. Ad Varsaviam die 26. Aug. Anno Domini 1587.

Nota: *Ejusdem tenoris litera ad reliquos etiam S.R. Imp. Septemviros data fuerunt.*

(LVIII.)

Litera ORDINUM REGNI POLONIAE, *ad* SIXTUM PAPAM V. *cui Sigismundum, hereditarium Regni Svecia Principem, ad solium Regni Polonia evectum, ipsi autem a refra-*

(LVII.)

Literæ ORDINUM REGNI POLONIÆ, ad JOACHIMUM FRIDERICUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ipſi Sigismundum hæreditarium Regni Sveciæ Principem, pluralitate votorum in Poloniæ Regem, reclamante ſaltem exiguo, qui Maximiliano Auſtriæ Archiduci faveret, Procerum numero, electum eſſe nuntiant, atque ab eo, ut prædicto Archiduci viam, qua in ſolium Poloniæ penetrare ſatageret, violentam omnimodo diſſuaderet, ſubmiſſe contendunt, 1587.

Illuſtriſſime Princeps, Domine Obſervandiſſime.

QUomodo electio Regis Noſtri peracta a Nobis fuerit, non dubitamus Illuſtriſsimam Celſitudinem Veſtram ex Legatis ſuis, quos ad eum conventum miſerat, jam ante perſpexiſſe: ſimul autem illud cognoviſſe, cum Sereniſsimus Sigismundus Princeps & electus Rex Sveciæ, communibus omnium fere Senatorum, ac maximæ partis nobilitatis ſuffragiis, in noſtrum quoque Regem electus, atque ab Archiepiſcopo, ut Senatus Principe, Rex renuntiatus eſſet, triduo poſt Sereniſsimum etiam Archiducem Maximilianum a quinque circiter Senatoribus, paucisſimis autem ex Nobilitate, iisque magna ex parte illorum familiaribus, cæteris omnibus invitis ac reclamantibus, regem proclamatum fuiſſe. Quem etſi eo nomine pro prudentia ejus nihil magnopere vel juris ſibi vindicaturum, vel gravius etiam quid tentaturum Nobis perſuadeamus, ut omnia tamen vereamur, cum familiarium

ejus

ejus Potentia, tum commune periculum Christianitatis, in quod sine dubio universa Christianitas ventura esset, nos sollicitos habet. Non modo enim duo vicina eaque potentissima Christianitatis Regna mutuo atque intestino bello implicarentur; verum ne Orientis etiam arma, quæ melioribus temporibus vix sustinere Christianitas potuerit, nunc alienissimo ejus tempore commoveantur, verendum videmus. Hisce igitur rebus adducti non committendum existimavimus, quin ad Illustrissimam etiam Celsitudinem Vestram ea de re scriberemus. Diligenter autem ab ea quoque petimus, ut pro eo loco, quem in Imperio hoc & quasi statione Orbis Christiani tenet, ipsa etiam autoritate sua efficiat, prohibeatque, ne quid a quoquam suscipiatur, quo non modo Pax cum vicinis a multis seculis culta violetur, verum salus etiam publica in discrimen aliquod adducatur. Id etsi cum universæ Christianitatis commodo maxime conjunctum erit; non minus tamen Nos etiam plurimum semper eo nomine debere Illustriss. Celsf. Vestræ statuemus, cui omnia fausta ac felicia a Deo Opt. Max. precamur. Ad Varsaviam die 26. Aug. Anno Domini 1587.

Nota: *Ejusdem tenoris litere ad reliquos etiam S.R. Imp. Septemviros date fuerunt.*

(LVIII.)

Litera ORDINUM REGNI POLONIAE, ad SIXTUM PAPAM V. cui Sigismundum, hereditarium Regni Svecie Principem, ad solium Regni Polonia evectum, ipsi autem a refra-

Etariis & seditiosis quibusdam Maximilianum, Austriæ Archiducem, oppositum esse referunt, ac, ut ea, qua polleret autoritate, dissidium & pericula inde metuenda, paterne averteret, submisse committunt, 1587.

Sanctissime ac Beatissime Pater & Domine, Domine clementissime.

POst oscula pedum beatorum, nostrumque humillimam commendationem; primum illud Sanctitati Vestræ significandum existimamus, cum post mortem laudatissimæ memoriæ Serenissimi Stephani Regis, novo Regi eligendo diem edixissemus, ad eundemque legitime convenissemus, more institutoque Regni hujus pristino, liberis suffragiis Nostris electum in Regem a Nobis esse Serenissimum Sigismundum Principem, electumque Regem Sveciæ. In quo etsi, multa a Nobis spectata sint, ut propinqua cum Jagellonibus prioribus Regibus nostris cognatio: memoria lectissimæ fœminæ matris ejus, Reginæ, quæ in hunc diem in Regno nobiscum est, sororis Germanæ: Regni deinde tam vicini, & cum quo præsertim non leves Regno huic controversiæ intercedant, conjunctio; non minus tamen, quod in omnibus rebus familiam decet, religionem, pietatemque ejus propositam in eo habuimus, quodque ita a præstantissima fœmina matre sua institutum sciremus, ut Sanctitatis Vestræ ac Sanctæ Sedis Apostolicæ autoritatem omnibus in rebus secuturum, dubitare non debere videremur. Quibus nominibus cum de tali Rege non modo Nobis, verum uni-

ver-

versæ Christianitati merito gratulari deberemus, quominus perfecta gratulatio hæc sit, paucorum quorundam sive cupiditas, sive dissensio facit, qui cum ab initio ob privatas quasdam rationes suas omnes fere publicas actiones impediviſſent, atq; ita rem duxiſſent, ut magna pars Nobilitatis, cujus in electionibus Regum præcipua autoritas esse solet, deliberaretur; tandem Senatus fere omnis, ac maxima pars Nobilitatis ejus, quæ subsiterat, re inter se communicata, in eam sententiam necessario eundum sibi statuerunt, ut nulla ulteriore mora interposita, ad electionem tandem accederent. Itaque Archiepiscopo, qui moribus Regni hujus & vivo Rege illi proximus, & eodem mortuo princeps dignitate in Senatu est, præeunte, cæteris Episcopis, Senatoribusque omnibus fere assentientibus, nobilitate autem maxima postulante, eundem Serenissimum Principem Sigismundum Regem renunciarunt. Quo omnium consensu etsi nemo erat, quin alios ab instituto suo facile deductum iri existimaret: tanta tamen eorum obstirmatio fuit, ut cum septem soli Senatores sententiam dixiſſent, quinque, reliquis duobus absentibus, ex nobilitate autem non pluribus sexaginta, partim familiaribus, partim consanguineis suis assentientibus, cæteris vero etiam ex iis, qui aliorum consiliorum illorum socii fuerunt, publice protestantibus, præterea autem exulibus & proscriptis contra leges Regni omniumque gentium jus adhibitis, Serenissimum Archiducem Maximilianum, alium Regem, per unum ex numero suo Episcopum Kioviensem, in Episcoporum Ordine postremum,

eundemque nondum a Sanctitate Vestra consecratum, non tam renuntiare, quam invitis & reclamantibus omnibus imponere auderent, quo non tam jus aliquod, quam causam armorum alicui minus fortassis juris atque pacis amanti, qualem Serenitatem suam esse minime existimamus, præberent. Itaque cum Serenitatis suæ pietatem atque prudentiam cogitamus, ut tale regnum, quod primum alterius sit, deinde eo modo, ac per tam paucos homines, partim etiam conquisita nonnullorum infimorum hominum suffragia, delatum sibi sit, cum suo tum universæ Christianitatis periculo accipiat, adduci se passurum, minime Nobis persuademus. Cum verò Legatorum ac familiarium ejus studia consideramus, ne ab aliis Serenitas ejus seducta ulterius fortassis, quam vel sibi, vel Regno huic, vel etiam universæ Christianitati expediat, progrediatur, non possumus non vereri. Id autem cum Serenitatis Vestræ, ut universæ Christianitatis Parentis autoritate maxime averti non solum possit, verum etiam debeat: ut inter gravissimas cogitationes suas non minimum huic curæ temporis Serenitas Vestra impertiatur, quo disidium id non tam tollatur, quam sine causa non suscipiatur, diligenter Sanctitati Vestræ supplicamus. Præterquam enim, quod inter duas gentes vicinas, & quæ non minimam partem Christianitatis constituant, non sine periculo dimicari posset, hujusmodi etiam causam hanc esse sine dubio Sanctitas Vestra perspicit; quæ non modo Christianos populos inter se commissura esset, verum Orientis fortassis etiam arma alienissimo Christianita-

nitatis tempore, in Christianos commotura; quo magis pro paterna sua cura ac pietate nihil intermissuram Sanctitatem Vestram Nobis persuademus, quo præsenti periculo obviam eatur. De Rege Nostro Nobisque omnem vicissim observantiam Sanctitati Vestræ ac Sanctæ Sedi Apostolicæ polliceri multis non debemus; cum ea sine scelere intermitti a Nobis non possit. Illud autem confirmare non dubitamus, si quis ad debitam Nostram pietatem, ex hac etiam Sanctitatis Vestræ pro nobis atque Regno hoc cura, cumulus accedere possit, facturos Nos omnibus rebus, ut gratissima mente beneficia sua complecti Nos Sanctitas Vestra intelligat. Cui Nos omnes atque singuli Regni hujus salutem atque rationes humiliter commendamus. Dabantur ad Varsaviam die 26. Aug. Anno M. D. LXXXVII.

(LIX.)

Litera ORDINUM REGNI POLONIÆ, ad MAXIMILIANUM, Archiducem Austriæ, quibus ipsi, nuntiato Sigismundi Regis in Poloniam adventu, serio suadent, ut ab omni, quam in Regnum istud pararet, vi abstinens, Legatos suos benigne audire ac plenam eis fidem adhibere dignetur, 1587.

Serenissime Princeps, Domine observandissime.

SErenissimum Sveciæ Principem, Sigismundum, etsi unanimi omnium Nostrum consensu Regem a Nobis electum jam ante etiam Serenitas Vestra cognoverit: cum tamen per suos quique Pa-

latinatus ita etiam conveniſſemus, ut in eandem electionem denuo conſenſum ſumma omnium voluntate præſtaremus; non modo idem iterum Serenitati Veſtræ nunciandum, verum in Regnum etiam eum jam veniſſe, atque per Pruſſiam adventare ſignificandum putavimus. De Serenitatis Veſtræ nominatione ab aliis quibusdam deinde interpoſita, pluribus quidem nunc cum Serenitate Veſtra diſputare nolumus: ipſam enim pro prudentia ſua, cum a quot & a quibus, tum quomodo nominata ſit, æſtimaturam Nobis perſuademus: eo magis autem mirum nobis viſum eſt, eo Serenitatem Veſtram a paucisſimis quibuſdam impelli ſe paſſam eſſe, ut vi etiam Regnum ingredi conata ſit. Nos quidem pro priſtina amicitia, quæ inter Nos & vicinos Serenisſimæ domus Auſtriacæ populos a multis ſeculis jam intercesſit, adhuc hortari Serenitatem Veſtram non dubitamus, ut potius eam amicitiam, quam Serenitatis Veſtræ Majores cum Regis noſtri majoribus Jagellonibus ſemper coluerunt, ipſa quoq; colere malit; quam ut Regnum alienum contra omnium fere eorum, qui conferre id debeant, voluntatem, certo periculo, incerto autem eventu adjungere conetur, perſuaderi ſibi patiatur. Quod cum prudentia ejus atque juſtitia digniſſimum erit, tum ut nobis perſuademus, non modo Sereniſſimæ domus Auſtriacæ ditionibus, verum univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimum. Quid enim jure gentium ipſo, ſi Serenitas Veſtra ulterius progrediatur, ſuſcipiendum Nobis ſit, Ser. Veſtra videt; majorum nimirum Noſtrorum

rum exemplo atque instituto, non modo de propulsandis injuriis, verum iisdem referendis cogitandum nobis esse. Plurib[us] cum Serenitate Vestra Legati Nostri, Magnifici & generosi Joannes Tarlo de Szczekarzovice, Palatinus Lublinensis, Stanislaus Bykowski, Castellanus Conarien[sis], Georgius Radossowski, Succamerarius Velunensis, Stanislaus Rozen de Roznow, Adamus Gorayski de Goray agent: quibus, ut plenam fidem Serenitas Vestra adhibeat, rogamus. Quod reliquum est studia ac paratissimam voluntatem nostram Serenitati Vestræ deferimus. Sub Visficia, in conventu generali, die 8. mensis Octobris, Anno Domini 1587.

(LX.)

Litteræ MAXIMILIANI, *Archiducis Austriæ, ad* ORDINES REGNI POLONIÆ, *quibus se in Poloniam non aliena appetendi, sed sua occupandi proposito venisse affirat, eosque ad amicos secum, si placeret, tractatus amanter invitat,* 1587.

Reverendissimis, Illustribus, Spectabilibus, Magnificis, Generosis, Nobilibus sincere Nobis dilectis N. iis omnibus, qui ex Statibus & Ordinibus inclyti Nostri Regni Poloniæ in Urbe Cracovien[si] congregati sunt, Maximilianus Dei gratia electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Archidux Austriæ &c.

Reverendiſſimi, Illuſtres, Spectabiles, Magnifici, Generoſi, Nobiles, ſincere Nobis dilecti,

Salutem & benevolentiæ Noſtræ affectum!

Sicuti pridie Dominum Palatinum Lublinenſem cum reſponſo noſtro, ad veſtra poſtulata ſalvum ad Vos remiſimus; ita etiam cum his Noſtris reliqui ejus Collegæ, viri ornatiſſimi, ad Vos venient. Ex quibus quidem, quo animo erga hoc inclytum Regnum affecti ſumus, intelligere poteritis. Cæterum, quoniam Nos nuper ex relatione oratoris Noſtri Feliciani Bagonis in Herbenſtein percepimus, Sinceritates Veſtras in congregatione illa Veſtra, ad quam per vos vocatus fuit, conqueſtos eſſe, quod Nos contra compactata Regnorum Poloniæ & Bohemiæ, huc armata manu ea intentione veniremus, ut Regnum violenter occuparemus, ac libertates Veſtras & aliorum Regnicolarum infringamus ſupprimamusque, & ideirco Sinceritates Veſtras petiviſſe, ut tale noſtrum propoſitum ex mala informatione manans, in melius commutare, ſanioraque conſilia amplecti ac ad Regni confinia reverti velimus: ea ſane res præter omnem expectationem Nobis accidit. Nam plane Nobis perſuademus, plerisque ex Vobis ſatis ſuperque conſtare, nihil alienius ab inclyta Noſtra Domo Auſtriæ, Nobisque ejus conſortibus omnibus eſſe, quam aliena & ad Nos nullo jure pertinentia ullo modo invadere, ſed potius aliis, quibus ejusmodi aliquando injuria facta fuit, omni noſtra poſſibili opera & adjutorio ſuccurrere. Prout

ized by Google

ut ſpecialiter Nos Deum optimum maximum teſtem vocamus, quod potius hujus Veſtri ampliſſimi Regni tranquillitatem, quietem, incolumitatem, ſalutem & imprimis libertatis Veſtræ conſervationem, ac fidelem tutelam, quam vel minimam ejus læſionem, imminutionem, ſeu infrinctionem ex animo optemus; & ita quidem, ut pro ea ac communi veſtra proſperitate, vitam ac ſanguinem ipſum, profundere ſemper quam paratiſſimi futuri ſimus, nedum contrarium, ut præfertur, in animo habeamus. Et propterea Sinceritates Veſtras omni ſtudio quam enixiſſime hortamur ac requirimus, ut aliud de Nobis a nemine ſibi perſuaderi ſinant, ſed de hac noſtra aſſertione ac declaratione plusquam certiſimæ eſſe, ac absque omni hæſitatione plane ſibi de Nobis polliceri velint; nobis ipſarum & totius Regni ſalutem felicitatemque perinde ſemper ac vitam Noſtram propriam commendatam futuram; nosque adeo libertates, immunitates, prærogativas, jura, decreta, conſtitutiones, ſanctiones ac conſuetudines Veſtras omnes & ſingulas, perpetuo quam firmiſime, non ſolum ipſos obſervaturos, ſed etiam apud alios earum manutentionem fideliter procuraturos; & ut ſummatim dicamus, totum Noſtrum Regimen ita inſtituturos eſſe, ut omnibus præſentibus ac poſteris liquido appareat, nos nihil proprii, ſed rem ac utilitatem ſaltem Veſtram & totius Regni agere ac quærere: prout parati ſumus Sinceritatibus Veſtris omni meliori modo ac forma ſufficienter cavere, & ſi de eo per aliquot ſuos Legatos ulterius Nobiscum aliquid tractare voluerint, gratiſſimi ii

nobis erunt. Et cum haud gravatim cum iis de omnibus rebus vel personaliter, vel per aliquot Nostros Consiliarios conferemus; tum vobis hisce Nostris sancte recipimus, ipsos adeo liberos, tutos ac salvos futuros, ut singulis horis, quandocunque illis libuerit, ad Vos ac Nos redire & iterum reverti poterint, sine omni fraude & dolo. Et hæc sunt, quæ Sinceritatibus Vestris ad relationem dicti Baronis ab Herberstein, amanter replicare voluimus. Et sicuti vobis omnibus ac singulis gratia Nostra optime propensi sumus, ita etiam Sinceritates Vestras bene feliciterque valere optamus. Prout etiam ipsum Baronem de Herberstein hac de re ad vos remittere voluimus, cui in iis, quæ vobis oretenus exponet, Sinceritates Vestræ omnimodam fidem secure habere poterunt. Ex prædio Rakowicza vigesima die Octobris, Anno Domini 1587.

(LXI.)

Litera ORDINUM REGNI POLONIÆ, ad MAXIMILIANUM, Archiducem Austriæ, quibus sancte spondent, se Legatos ejus, omni, quo deceret, honore, excepturos esse, modo in eorum numero vel comitatu Poloni non sint, 1587.

Serenissime Princeps, Domine observandissime.

EX literis Friderici a Zierothin Baronis, non satisfeciisse Serenitati Vestræ perspeximus salvum conductum eum, qui in Legatos, quos ad Nos missuram se ostendit, heri a Nobis Sinceritati Vestræ transmissus fuit. Maxime quidem id requirere

rere Serenitatem Veſtram animadvertimus; quod Polonos, qui circa Serenitatem Veſtram ſint, excludamus. In quo non tam Serenitati Veſtræ a Nobis præſcribitur, quam univerſæ Nobilitatis decreto potius, quantum ea in re Nobis fieri poſſit ac debeat, nobis ipſis præſcriptum eſt. Itaque ne Serenitas Veſtra in aliam partem id accipiat, ampliusve id a Nobis contendet, quod in Noſtra ipſorum poteſtate non eſt, itèrum a Serenitate Veſtra petimus. Aliis rebus ita cautum Legatis, quos præter Polonos miſſura ad Nos Serenitas Veſtra eſt, exiſtimamus; ut nihil in eo genere amplius deſiderari a Nobis poſſe ſtatuamus, niſi forte familiæ Legatorum & commorationis eorum diſerta mentio a nobis requiratur; quorum altera ſub ipſorum Legatorum nomine ſatis comprehendi, altera non neceſſaria Nobis videbatur. Cum enim tempora hæc nullam moram ferre videamus, quantum in Nobis erit, quam primum Legationem ſuam expoſuerint, ut ſine mora ad Serenitatem Veſtram eos remittamus, operam dabimus. Quod ſi tamen hac quoque in re amplius a Nobis caveri illis debet, vel harum literarum autoritate præſtare id non dubitamus: ut quos præter Polonos, Legatos ſuos mittendos ad Nos Serenitas Veſtra duxerit, eos omnes & ſingulos cum familiaribus ſuis tute ac ſecure ſine omni periculo ad Nos venturos, & donec a Nobis dimiſſi fuerint, commoraturos, inde autem ſine ulla injuria ſuo commodo atque arbitratu, cum omni comitatu ſuo, ad Serenitatem Veſtram ſalvos & incolumes ſe recepturos, ſancte & firmiter, ſub fide & honore

no-

noſtro promittamus, caveamusque, quemadmodum vi præſentium cavemus, ſpondemusque. Serenitati cæteroquin Veſtræ obſervantiam ſtudiumque noſtrum deferimus, optimamque valetudinem a Deo Optimo Maximo precamur. In ſuperiorum autem omnium fidem, qui a nobis eam ad rem deputati fuerunt, hisce manibus ſuis ſubſcripſerunt ſignaque ſua appoſuerunt. Datum Cracoviæ, die 27. Menſis Octobris, Anno Domini 1587.

(LXII.)

Literæ credentiales, quas MAXIMILIANUS, Archidux Auſtriæ, Oratoribus ſuis ad ORDINES REGNI POLONIAE tradidit, 1587.

Maximilianus Dei gratia electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ &c. Archidux Auſtriæ.

Reverendiſſimi, Illuſtres, Spectabiles, Magnifici, Nobiles & generoſi, ſincere & grate Nobis dilecti.

MIttimus Oratores Noſtros ad Sinceritates Veſtras, Ladislaum Poppel, Baronem a Lobkowiz, ſupremum Camerarium Noſtrum, commendatorem Joannem Kobenzl de Proſſek & Moſſa, intimos Conſiliarios Noſtros, & Danielem Princz, Sac. Cæſ. Majeſtatis ac Noſtrum Conſiliarium, qui Noſtram de iis, quæ per oratores ſuos nobis ſcripto obtulerunt, ſententiam ſcripto item comprehenſam, ipſis traderent, atque ubi opus fuerit, coram verbis quoque uberius explicarent. Quibus ut plenam fidem adhibeant, & quæ ſecum deferent

rent ſcripta, omnia publice perlegenda curent, ut omnes proceres ac nobiles atque omnis conditionis homines probe intelligere poſſint, quibus rationibus freti huc venerimus, Sinceritates Veſtras benigne hortamur. Ad ea autem, quæ reſponſionem requirunt, ut quamprimum reſpondeant, oratoresque Noſtros ad Nos ſine longiori mora remittant, benevole poſtulamus. Datum ex Monaſterio Mogilano 28. die Octobris, Anno Domini 1587.

(LXIII.)

Litera FRIDERICI WILHELMI, Pupillorum Saxon. Curatoris & Electoratus Saxonici Adminiſtratoris, ad SIGISMUNDUM III. Poloniæ, quibus ipſi felices cum Anna, Archiducisſæ Auſtriæ hymenæas gratulatus, cauſas, cur feſtivo nuptiarum actui præſens adeſſe nequeat, exponit, 1590.

GRatiſſimæ Nobis fuerunt, Rex Sereniſſime, cognate plurimum obſervande, quæ per generoſum Dominum Joannem Schardituki redditæ Nobis ſunt literæ. Longe vero gratius ipſum, quod per eundem Nobis prolixe expoſitum eſt, negotium. Sicut enim perantiqua eſt, quæ inter utramque illuſtrem Saxonicam & Jagellonicam Domum intercedit, neceſſitudo; ita eandem felici matrimonio Veſtræ Serenitatis & Sereniſſimæ Principis Annæ Auſtriacæ &c. cognatæ Noſtræ chariſſimæ, renovari, ex animo lætamur. Quamobrem Veſtræ Serenitati de felicisſimo conjugii auſpicio, toto pectore gratulamur, Deumque precamur, ut has nuptias Veſtræ Serenitatis Regno Poloniæ, & toti

toti demum Reipublicæ Christianæ secundas esse velit. Cæterum quod Vestra Serenitas & nobis, quis nuptiis dictus sit dies, significare, & nos ad earundem festivitatem invitare voluerit; agnoscimus equidem Vestræ Serenitatis singularem erga nos benevolentiam juxta ac humanitatem. Etsi autem nihil Nobis erat prius, nihil antiquius, quam Vestræ Serenitatis petitioni & expectationi satisfacere: is tamen est hujus Provinciæ status, ea conditio, ut non modo gravissimis negotiis occupati simus, sed & absque præsentissimo periculo Nobis diutius abesse non liceat. Amanter igitur oramus, ne ægre hoc ferat Vestra Serenitas, neque de Nostra propensa voluntate dubitet. Quod restat Vestr. Serenitati omnia Nostra studia & officia libenter offerimus, daturi operam, ut Vestra Serenitas intelligat, nihil obstare, quo minus Vestra Serenitas optima quæque sibi de Nobis polliceri debeat, ac tuto etiam possit. Vestram Serenitatem optime valere exoptamus. Torgaviæ 3. Non. Martii Anno 1590.

Fridericus Wilhelmus,
Dux Saxoniæ.

(LXIV.)

Literæ FRIDERICI WILHELMI, Pupillorum Saxon. Curatoris & Electoratus Saxonici Administratoris, ad SIGISMUNDUM III. Poloniæ Regem, quibus ipsi pro benevolo ad nuptias Sereniſſimæ ſuæ ſororis invitatione decentes perſolvit gratias, 1593.

Lite-

LIteras Seren. Veſtræ, Sereniſſime Rex, 9. Novembris recens elapſi Warſaviæ datas, quibus a Nobis poſtulat Serenitatis Veſtræ aulicum, generoſum Paulum Aretzitzevoki a Serenitate Veſtra ideo miſſum, ut ad nuptias Sereniſſimæ Dominæ, Serenitatis Veſtræ ſororis, Sveciæ Infantis, cum Illuſtriſſimo Domino cognato & amico Noſtro, Domino Jo. Georgio, Marchione Brandenburgico, Adminiſtratore Epiſcopatus Argentinenſis, Stockholmi celebrandas, Serenitatis Veſtræ nomine Nos amanter invitet, libenter audire, & vel per Nos ipſos, vel per Legatos Noſtros feſtivitati nuptiali intereſſe, & ita amorem noſtrum erga Serenitatem Veſtram teſtari velimus, prompto & benevolo accepimus animo. Quamvis autem prædictus Dominus Legatus Serenitatis Veſtræ coram ſua Nobis non expoſuerit mandata: attamen eadem ex Brandenburgo, ſub dato 6. Novembr. in ſcriptis Nobis expoſuit, quæ una cum iis, quæ a Serenitate Veſtra ad Nos perſcripta ſunt, hoc demum die ad Nos perlata ſunt. Compertum ex his omnibus habemus ſingularem Serenitatis Veſtræ erga Nos amorem & benevolentiam, & quod cognationis Serenitas Veſtra & adfinitatis & neceſſitudinis vincula inter Serenitatis Veſtræ, noſtramque domum Saxonicam firma & infracta & plurimis modis corroborata eſſe cupiat. Quocirca de hac matrimoniali conjunctione inter Serenitatem Veſtram Regnumque Poloniæ & Sveciæ, Illuſtriſſimamque domum Brandenburgicam utrique familiæ gratulamur. Præſentiam Noſtram quod attinet, quæ a Nobis ipſis, aut per Legatum Noſtrum

ſtrum a Serenitate Veſtra deſideratur, cum ad omnia, quæ ad conſervationem amicitiæ, & conjunctionem animorum inter Serenitatem Veſtram & Nos pertinere poſſunt, pro virili Noſtro prompti ſimus, ad temporis circiter diem nuptiis deſtinatum parati & ad ea, quæ Seren. Veſt. & Domui Brandenburgicæ poterunt eſſe accepta, erimus propenſi: viciſſim non dubitantes, Serenitatem Veſtram adfinitatis & amicitiæ jura erga Principes Germaniæ, univerſamque Germaniam, patriam noſtram, illibata conſervaturam. Eandem protectioni divinæ Nos ex animo commendamus. Datum Torgæ 3. Non. Dec. 1593.

(LXV.)

Litera RUDOLPHI II. Romani Imperatoris ad THEODORUM IVANOWITZ, Czarum & Magnum Ducem Moſcoviæ, Aaronem Walachiæ Principem, & Januſium Zbaraviæ Ducem pro Stanislao Clopiizio, Exercitus Zaporovienſis Seniore, commendatitia, 1594.

RUdolphus II. Romanorum Imperator, Sereniſſimo ac Potentiſſimo Duci THEODORO IWANOWITZ Czaro & Magno Duci Ruſſiæ, Wlodomiriæ, Moſcoviæ, Novogrodiæ: Illuſtribus AARONI Principi Walachiæ, JANUSIO Duci Zbaraviæ & Palatino Brezlavienſi, cæterisque exercitus Zaporovienſis militibus ſalutem & animum benevolum, ac gratiam Noſtram Cæſaream. Dilectioni Veſtræ & vobis amanter, benevole & clementer ſignificamus, quod præſentium exhibitor generoſus & fortis Stanislaus Clopitzius Senior exer-

Digitized by Google

exercitus Zaporoſvienſis coram Nobis comparuerit, Nobisque ſervitia ſua militaria adverſus perpetuum Chriſtiani Nominis ac fidei hoſtem Turcam, una cum octo vel decem millibus ſuorum commilitonum, nempe Coſacorum humiliter obtulerit, Nosq; illum cum dictis copiis (ſiquidem gentem Coſacorum liberam, & operam militarem, quibuscunque velint, ad libitum navare poſſe profitetur) ad expeditionem Noſtram bellicam contra Turcam, quam propterea, quod pacem, quæ inter Nos mutuo intercedente juramento religioſe ſancita & firmata fuerat, perfide violaverit, & provincias Noſtras ſuperiori tempore hoſtiliter invaſerit, apparamus, clementer receperimus, tum quod illi vexillum Noſtrum Cæſareum, Imperiali Aquila inſignitum, quo ſecundum morem militarem, quam diu in ſervitiis Noſtris fuerit, utatur, tradi mandaverimus, ſperantes non tantum Regno Noſtro Hungariæ & vicinis Provinciis Noſtris, ſed toti Reipublicæ Chriſtianæ, cujus hic potiſſimum res agitur, magnum emolumentum atque commodum inde acceſſurum eſſe. Quandoquidem in hunc modum cum illo transegerimus, ut omnes ſuos conatus in id maxime intendant, quo Tartaris a Turca evocatis, viarum Tranſitus intercludant, Illosque inhibeant, ne in fines noſtros irrumpant, ſimulque pro viribus enitantur, ut in Turcæ Regionem trajecto Danubio in Seliſtriam incurſionem faciant, & obvia quæque longe lateque ad Adranopolim usque vel ulterius igne & ferro depopulentur, vaſtent ac peſſumdent, neque ſolum hoſti occaſionem præbeant exercitum ſuum diſtrahendi & in plures partes

dividendi, verum etiam ista locorum desolatione commoditatem cibariorum & commeatus eripiant. Cavemus tamen, ne vel Regno Poloniæ, Provinciisque ad illud pertinentibus, vel aliis Christianorum Principum locis ac dominiis ullam molestiam aut damnum ullum quovis nomine & prætextu inferant, sed potius ab iisdem auxilium, opem ac promotionem exspectent. Quapropter Dilectiones Vestras amanter & fraterne, vosque alios benigne ac clementer cohortamur, ut nostrum hoc pium institutum, & toti Reipublicæ christianæ salutare futurum, approbare & præfato Clopitzio copiisque cum ipso profecturis, non modo nihil impedimenti & molestiæ inferre, sed magis pro Dilectionum Vestrarum & Vestro erga sacrosanctam fidem Catholicam promptissimo studio, tum erga Nos quoque & sacrum Romanum Imperium benevolentia atque devotione, eorum conatus juvare ac promovere, illisque per loca Vestra tam terra quam aqua liberum transitum permittere & viarum securitatem concedere velitis, quo opus hoc magnum necessariumque recte ad effectum atque optatum finem deducere possint. In his nobis Dilectiones Vestræ & Vos rem gratissimam & Christianæ Reipublicæ utilissimam, Dilectionibus autem Vestris & vobis ipsis longe honorificentissimam facturi estis, quod Nos fraterne, & benevole ac clementer, quoties se obtulerit occasio, Nostræ benevolentiæ ostensione & Cæsarea gratia compensare & recognoscere non intermittemus. Datæ in arce Nostra Regia Pragæ 3. Februarii Anno 1549.

(LXVI.)

(LXVI.)

Litera RUDOLPHI II. Rom. Imperatoris, ad SENATORES REGNI POLONIÆ, quibus eos, quæ ratione cum Chlopizio circa bellum Turcis inferendum & coercendos ab Hungariæ finibus Tartaris conveniret, edocet, eumque omni modo sublevari rogat, 1594.

RUdolphus II. Romanorum Imperator Senatoribus Regni Poloniæ. Literæ Veſtræ ad diem 18. Aprilis Varſavia ad Nos datæ, in quibus de egregio Stanislao Chlopizio conquerimini, rectè Nobis allatæ & perlectæ ſunt. Quanquam autem non dubitemus, Vos pro Veſtra prudentia, & Noſtrarum literarum exemplo, quas Chlopizio circa initium menſis Februarii Pragæ ex aula Noſtra Cæſarea diſcedenti clementer dari juſſimus, haud obſcure intellexiſſe, quid Chlopizius a Nobis in mandatis habeat: tamen ut omni ſcrupulo Vos liberemus, paulo fuſius, quomodo ſe tota hæc res habeat, vobis exponendum cenſuimus. Poſtquam Chlopizius de bello inter Nos & Turcarum Regem gliſcente inaudiverat, nosque de apparandis rebus bellicis & conſcribendis copiis deliberaremus, in Noſtram Aulam Cæſaream tunc forte advenit, & Nobis ſervitia ſua militaria cum octo vel decem millibus Coſacorum Zaporovienſium contra Turcas, & præcipue Tartaros [in] Regnum Noſtrum Hungariæ perrumpere conaturos, devoto animo obtulit: aſſerens Coſacos iſtos eſſe liberos & nulli Domino parere, ſed operam ſuam militarem, unde potiſſimum viverent, pro libitu addicere & navare, qui-

bus velint; atque ideo prompti & alacriter ſub Noſtro & ſacri Romani Imperii vexillo in hac duntaxat expeditione adverſus Turcas & Tartaros, magno cum emolumento totius Reipublicæ Chriſtianæ militaturos. Hæc cum altius perpenderemus, & non tam ex uſu noſtro & Regni Noſtri Hungariæ, quam univerſæ Chriſtianitatis futura conſideraremus, facile in eandem ſententiam ivimus, committendo ipſi, ut cum dictis Coſacis Zaporeſcenſibus, quorum majorem partem in procinctu jam eſſe ajebat, Tartaris in Chriſtianorum Regiones impreſſionem facturis ſeſe opponeret, tranſitumque intercluderet, ac ipſis quoque Turcis, ſi poſſet, detrimentum inferret, impediretque, quominus totas vires ſuas in Hungariam converterent, ex qua in vicinas Provincias & Regna vi & armis viam ſibi facile aperturi eſſent. Qua conditione tamen iſtud a Chlopizio & Coſacis ad effectum perduci debeat, ex iis ipſis literis, quas Chlopizio ſuper ea re tradidimus, manifeſto apparet, ubi inter cætera ſic expreſſe legitur. Cavemus tamen, ut hanc expeditionem ita aggrediantur & ſuſcipiant, ne vel Regno Poloniæ Provinciisque ad illud pertinentibus, vel aliis Chriſtianorum Principum locis ac dominiis ullam moleſtiam, nec damnum ullum quovis nomine vel prætextu inferant. Et ſane polliciti Nobis fuimus & adhuc certo pollicemur, tale Noſtrum inſtitutum, ſiquidem pactis & fœderibus nequaquam adverſatur, vobis, quibus Tartari viciniores ſunt, & per quorum loca tranſitum jam diu animo conceperunt, non ingratum eſſe futurum; cum vos non lateat, quæ Tartarorum immanitas & barba-

ries

ries ſit, qui quocunque ſe vertunt, obvia quæque nulla datæ fidei nec ullorum pactorum habita ratione, proſternunt, vaſtant & deſolata relinquunt. Quapropter cum eum in modum ſeſe res habeat, Nobisque propoſitum non fuerit, præter pacta & fœdera, quæ inviolata maxime cupimus, cuiquam in Regno Poloniæ quicquam committere, Veſtrum erit de nobis & Noſtro erga Rempublicam Chriſtianam pio ac paterno affectu, & propenſa voluntate bene ſentire, nihilque ſiniſtre interpretari, ſed potius opus hoc tam neceſſarium, & toti Reipublicæ Chriſtianæ imprimis ſalutare, communi Veſtro conſenſu approbare, juvare & omnibus modis promovere. Quod Vos pro Veſtro in bonum & commodum publicum egregio ac debito ſtudio, lubenti & alacri animo facturos eſſe non tantum penitus Nobis perſuaſum habemus, verum etiam ut omni contentione faciatis, benigne vos hortamur & requirimus, quos bene & feliciter valere cupimus. Datum Pragæ 3. Junii, Anno 1594.

(LXVII.)

Litera RUDOLPHI II. Romanorum Imperatoris, ad STATUS ET ORDINES REGNI HUNGARIÆ, quibus eos ob cladem a Turcis illatam inſtanti vere ſatis vindicandam ſolatus atque ad conſtantiam maximopere hortatus, quosdam e medio ſuo Conſiliarios eligere jubet, qui accedentibus e Tranſylvania, Walachia & Moldavia Deputatis, ipſis cum agere poſſint, 1594.

Rudolphus II. Romanorum Imperator Stephano Feyerkowy Episcopo Nitriensi Locum tenenti, cæterisque universis Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ.

Reverendi, Spectabiles, Magnifici, Egregii, ac Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti:

Quæ superioribus diebus in Insula Chalokeor vocata circa exercitum Nostrum gesta sunt, & quam inopinata illos calamitas obruerit, sic etiam recentem celebris confinii Jaurinensis amissionem, non sine singulari animi perturbatione intelleximus. Etsi vero non dubitemus inde & Regno Nostro Hungariæ & vicinis etiam Regionibus ac Provinciis Nostris magnam consternationem incussam esse, multosque de salute ac permansione sua mire sollicitos, varias cogitationes volvere: quia tamen externa auxilia, uti vobis omnibus optime constare non ambigimus, in tam celeri necessitate & contra tam potentem hostem, undique subito comparari nequiverunt, & alioquin exitus seu fortuna belli, non semper in unam eandemque partem inclinet, sed promiscue modo illi nunc huic vel faveat vel adversetur, animum propterea non despondendam esse, neque spem felicioris rerum exitus abjiciendam & patienter ferendam benigne censemus, sic enim Deus Optimus Maximus peccatis populi sui offensus, hostibus contra gentes invalescere nunc concessit, rursus propitius & reconciliatus iram suam misericordia temperabit, & iniquum hunc casum pietate sua vindicabit, iramque suam in hostes Nostros convertet. Nos vero prout hactenus semper,

per, quoad uſpiam poſſibile fuit, Regni hujus ac Veſtri omnium fidelium ſedulam ac plane paternam curam geſſimus, ita deinceps quoque nullo pacto deerimus, ſed omni contentione animi Noſtri omnia ea, quæ non ſolum ad Veſtram ulteriorem permanſionem & ſalutem, & ad Regni hujus Noſtri Hungariæ reliquias conſervandas, verum etiam Deo auxiliante ad amiſſa recuperanda, Regnumque hoc plane liberandum & priſtino decori & libertati reſtituendum idonea & neceſſaria videbuntur, clementer curaturi ſumus: idque non tantum propriis viribus, ſed externorum etiam Principum & ſacri Romani Imperii auxiliis. Qua de cauſa potiſſimum Imperialia Comitia nuper in Noſtra Imperiali Civitate Ratisbona celebravimus, Deoque propitio ad bonum quoque finem perduximus, & proximo vere ſat copioſa auxilia omniaque faciliora & paratiora, volente Deo, expectamus. Cum autem hoc tempore ſingulari Dei Optimi maximi providentia & diſpoſitione, non ſolum Tranſylvania, verum etiam Walachia & Moldavia, jugum Turcicum, quo a tanto tempore duriter preſſi fuerunt, a cervicibus ſuis excutere, ac Nobiſcum contra hoſtes præfatos pacta & fœdera inire, & ſe cum Regno hoc Noſtro Hungariæ denuo omnino conjungere cupiant, ejusq; rei gratia jam quoq; Legatos ſuos in itinere habeant, quorum adventum indies præſtolamur. Idcirco fidelitatem Veſtram & veſtrum ſingulos benigne hortamur & requirimus, ut avitæ, virtutis & conſtantiæ ac fortitudinis veſtræ militaris memores, nequaquam in perturbato hoc rerum ſtatu animum deſpondere, ſed in bonam & certam ſpem victoriæ & liberationis Veſtræ ere-

cti ſicuti hactenus laudabiliter feciſtis, in officio fideliter & obedienter perſeverare nihilque eorum omittere velitis, quæ ad reſiſtendum viriliter & fortiter hoſti atrociſſimo, ejusque vires, priusquam exercitum ſuum in hyberna deducat, attenuandas & infringendas, magis commoda & neceſſaria exiſtimaveritis. Hortamur præterea vos & committimus Vobis clementer; poſtquam præfatarum trium Provinciarum Legatos jam ad nos appropinquare certo intelligimus; ut ſine ulla mora ſtatim viſis præſentibus, e medio Veſtri tres aut quatuor præcipuos Conſiliarios Noſtros ad præmiſſos tractatus habiles & idoneos deligere, eosque una cum fideli Noſtro Reverendo Joanne Kutaſſy, Epiſcopo Jaurinenſi, locique ejusdem Comite, perpetuo Conſiliario, & per dictum Regnum Noſtrum Hungariæ Aulæ Noſtræ Cancellario, cum plena poteſtate agendi, tractandi & concludendi, quanto citius, & priusquam dicti Legati huc veniant, in aulam Noſtram mittere & expedire velitis & debeatis, quo cum præfatis Nuntiis & Deputatis Noſtris; tum de Tranſylvanicis, Moldavicis & Walachicis rebus, tum vero de aliis ad Regni hujus Noſtri utilitatem & incolumitatem ſpectantibus commodius agere, & tempeſtive ante prædictorum, ut præmiſſum eſt, Legatorum adventum deliberare & concludere poſſimus. In quo rem Nobis gratam & patriæ Veſtræ neceſſariam & ſalutarem facturi noſtramque ſeriam & omnimodam voluntatem executuri eſtis; de cætero gratia & clementia Noſtra erga Vos omni benigne ſumus propenſi. Datum Pragæ 7. die Octobr. 1594.

(LXIIX.)

(LXIIX.)

Litera RUDOLPHI II. Roman. Imperatoris, ad SIGISMUNDUM, Transylvaniæ Principem, quibus ipsi ad bellum contra Turcas strenue continuandum sedulus suasor est, ac omnia, pro posse suo, auxilia promittit, 1595.

Rudolphus II. Romanorum Imperator Sigismundo Principi Transylvaniæ.

Illustrissime Princeps, Noster charissime.

QUod Dilectio tua arma adversus communes Christiani nominis ac fidei hostes, Turcas & Tartaros, alacri animo dudum sumpserit, atque in eo virtutem, pietatem ac industriam suam, cum erga Nos tum universam Rempublicam Christianam haud obscuris exemplis testata sit; præterea hucusque rem adversus dictos hostes in partibus illis tam strenue & fortiter gesserit, gratissimum sane Nobis accidit, meritoque Dilectionem tuam ob id laudamus & benignitate Nostra Cæsarea impense complectimur. Quamvis autem de Dilectione tua firmissimam spem conceperimus, quod ea ita perseveratura, nec a virtute, constantia & fide sua quicquam sit remissura, uti quidem rei magnitudo in primis postulat, tamen has Nostras Cæsareas ad Dilectionem tuam per præsentem hominem Nostrum, donec alios brevi submittamus, Nuncios, benigne dandas esse censuimus, eandem obnixe & paterne commonefacientes atque exhortantes, ut constantissimo animo in laudabili proposito suo ac pia intentione perstet, bellumque hoc sacrum Dei

Digitized by Google

optimi maximi auſpiciis feliciter cæptum, adverſus perfidum & impium hoſtem, qui toti Chriſtiano Orbi avidiſſime inhiat, & ſupremum excidium minatur, Nobiscum & cum ſacri Romani Imperii Electoribus ac cæteris Principibus Europæ continuet, tum omnia ea, uti hactenus, ita impoſterum cum immortali Nominis ſui gloria præſtet, quæ ex Noſtro, imo ſuo & totius Reipublicæ Chriſtianorum emolumento & ſalute fore prudenter intellexerit. Ante omnia vero a venenatis Turcarum blanditiis ac blandis inſidiis ſibi diligentiſſime caveat, cum nullum ſit dubium illos manibus pedibusq; laboraturos, ut Dilectionem tuam una cum Waivodis Moldaviæ & Walachiæ, vel multis pollicitationibus, vel etiam acerbis comminationibus, a Noſtra conjunctione ad partes ſuas abducant, ac deinceps longe triſtiſſimo & immaniſſimo jugo in retia ſua pertractos ſubjiciant. Vicisſim Nos Dilectioni tuæ ſub verbo Noſtro Cæſareo promittimus, quod ejus & dictorum Waiwodarum ſummam ac paternam curam ſemper geremus, validiſſimasque copias tam equitum quam peditum, cum aliis rebus bello neceſſariis, ad partes illas & confinia Tranſylvaniæ transmitti curabimus (uti jam illi undiq; confluunt ac in itinere ſunt) quæ quidem cum Dilectionis tuæ copiis conjunctæ in hoſtem progredientur, & numine divino auxiliante ejus conatibus ita reſiſtent, ut is intelligat, Chriſti Dei populum non frivole contemnendum belloque temere & ſine cauſa laceſſendum eſſe. Nihil præterea in partibus inferioris Hungariæ, & ubi præ-

terea

terea opus fuerit, eorum omittemus, quæ ad rem bene gerendam, distrahendasque & comminuendas hostis vires necessaria habebuntur. Promittentes igitur Nobis de Dilectione tua præclara & optima quæque, eidem felicem omnium rerum successum precamur. Datum Pragæ 7. die Mensis Maji, Anno Domini 1595.

(LXIX.)

Literæ credentiales ORDINUM REGNI POLONIÆ, quas Internuntiis suis ad CAROLUM Sudermanniæ Ducem & Senatores Regni Sveciæ dederunt, 1596.

Illustrisime Princeps,

Illustres, Magnifici & Generosi Domini, Amici charissimi & observandi.

CUm pro ea conjunctione, quæ inter Nos intercedit, mutuas utriusque Regni, ac potisimum Majestatis Regiæ Domini Nostri clementissimi rationes, merito curæ habere debeamus, non omittendum putavimus, quin in hisce publicis Comitiis habitis consiliis de iis rebus, quæ ad Regni istius securitatem pertinent, ad Illustritatem quoque & Magnificas Dominationes Vestras, ex Senatorio & Equestri Ordine Legatos mitteremus, viros illustres & generosos, Stanislaum Dzialinsky, Castellanum Elbingensem, Stanislaum Czykowsky Succammerarium Cracovienſem, & Nicolaum Sapieha, Palatinidem Minscensem, qui cum illis de rebus quibusdam hoc tempore necessariis & ad ipsius Sveciæ Regni publica commoda, dignitatemque

que Majeſtatis Regiæ ſpectantibus, publice noſtro agant nomine. Erit mutuæ benevolentiæ & humanitatis, cum amanter eos iſtic accipi; tum vero & libenter audiri, & fidem in omnibus, quæ referent, non aliam illis adhiberi, quam, ſi omnes coram cum Illuſtritate & Magnificis Dominationibus Veſtris agere poſſemus, nobis ipſis adhiberent; Fidei autem & officii in Majeſtatem Regiam, promptum in iis omnibus ſtudium, ab Illuſtritate & Magnficis Dominationibus Veſtris declarari. Quod quidem Nobis plane pollicemur. Noſtra quoque ſtudia ipſis porro prolixe deferimus, ac eas in felicisſimo tranquillisſimoq; Regni illius ſtatu bene valere cupimus. Datæ Warſaviæ in publicis Regni Comitiis, die 7. Menſis Maji, Anno Domini 1596.

Illuſtritatis Veſtræ,

ac Magnificarum & generoſarum Dominationum Veſtrarum

Studioſisſimi

Stanislaus a Karnkow; Dei gratia Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas.

Georgius Cardinalis Radzivilius. Dux in Olyka & Nieſwies, Epiſcopus Cracovienſis, Dux Senerienſis ac Sac. Imp. Rom. Princeps.

Andreas Cardinalis Battoræus a Szomlio, Adminiſtrator perpetuus Epiſcopatus Warmienſis in Pruſſia.

Hero-

Digitized by Google

Hieronymus, Comes a Rosdrozow, Episcopus Wladislavienſis ac totius Pomeraniæ.

Bernhardus Macieovius, Episcopus Luceorienſis.

Laurentius Gosliczky, Episcopus Premisliensis.

Petrus Tyliczky, Episcopus Culmenſis in Prusſia.

Paulus Voluczky, Episcopus Camenecenſis.

Janusius, Dux in Ostrog, Castellanus Cracovienſis, Czerkasienſis, Wlodimirienſisque &c. &c. Capitaneus.

Christophorus Radzivilius, Dux in Buerzede, Dubinky, Palatinus Vilnenſis, Magni Ducatus Lithuaniæ generalis exercituum Capitaneus, ac Sac. Rom. Imp. Princeps.

Georgius Mniſſeck, Palatinus Sandomirienſis, Leopolienſis, Samborienſis, Sanocenſis, &c. &c. Capitaneus.

Nicolaus Christophorus Radzivilius, Dux in Olicka & Niesſiesz, Palatinus Trocenſis, Capitaneus Sawlienſis, ac Sac. Rom. Imp. Princeps.

Nicolaus Tierley in Dambrouicza, Palatinus Cracovienſis, Novæ Civitatis, Kazimirienſisque Capitaneus.

Hieronymus Goſtomsky de Liezenicze, Palatinus Poſnanienſis.

Hiero-

Digitized by Google

Hieroymus a Lasko, Palatinus Siradiensis, Marienborum, Swanenburgensis &c. Capitaneus in Livonia.

Stanislaus Minsky, Palatinus Lancicienſis, Plocenſis &c. Capitaneus.

Andreas Leſczinsky, de Leſzno, Palatinus Breſtenſis, Cujavienſis.

Hieronymus Paris, Palatinus Mazoviæ.

Conſtantinus Dux Oſtrogiæ, Palatinus Kiovienſis.

Johannes Sieneinsky, Palatinus Podoliæ.

Nicolaus a Dzalin, Palatinus Culmenſis in Prusſia, Capitaneus Bratianenſis.

Ludovicus a Mortangen, Palatinus Pomeraniæ, in Prusſia, Capitaneus Pokrzywnicenſis.

Andreas Zaviſſa, Palatinus Minſcenſis.

Stanislaus Comes a Tharnow, Caſtellanus Sandomirienſis, Buſcenſis Stobnicenſisque Capitaneus.

Johanes Konarzky de Kobilinie, Caſtellanus Caliſienſis.

Nicolaus Naruſevicius, Caſtellanus Samogitiæ.

Petrus Niſczicky, Caſtellanus Belcenſis,

Petrus de Micow Miskowsky, Caſtellanus Voinicenſis.

Stanislaus Bikowsky, Caſtellanus Lanſcicienſis.

Stnis-

Digitized by Google

Stanislaus Craſinius, Caſtellanus Podlaſienſis.

Stanislaus a Dzialin, Caſtellanus Elbingenſis.

Andreas Fierly de Dambrowicza, Caſtellanus Radomienſis.

Johannes Oſſowsky, Caſtellanus Zaviſcheſtenſis,

Andreas Zebrzidowsky in Weczburg, Caſtellanus Sremenſis.

Laurentius Trczinsky, Caſtellanus Lubaſovienſis.

Johannes Skarſcawsky, Caſtellanus Jarnovienſis.

Georgius de Konopat, Caſtellanus Culmenſis.

Stanislaus Golsky, Caſtellanus Hallicienſis, Capitaneus Barenſis.

Adamus Mniſewsky, Caſtellanus Livenſis.

Nicolaus Zebridovius, ſupremus Marſchalcus Regni, Generalis Cracovienſis, Capitaneus Steczicienſis, Lanskorunenſis, Sratiſnenſisque &c.

Andreas Czarnkovius, Caſtellanus Naclenſis, Capitaneus Inowladislavienſis.

Andreas Zborovius a Ritſian, Caſtellanus Biccenſis.

Johannes Zamoiſcius, Regni Poloniæ Cancellarius & exercituum generalis Capitaneus.

Leo

Leo Sapieha, Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius, Capitaneus Slonimenſis.

Johannes Tarnowsky, Vicecancellarius Regni Poloniæ.

Gabriel Voina, Vicecancellarius Magni Ducatus Lithuaniæ.

Johannes Fierley de Dambrowicza, Theſaurarius Regni Poloniæ, Lublinenſis Capitaneus.

Demetrius Chaleczky, Magni Ducatus Lithuaniæ Theſaurarius.

Chriſtophorus Monividus in Dorochoaſtaie, Pocillator Magni Ducatus Lithuaniæ, Marſchalcus pro tunc Equeſtris Ordinis, & Nunciorum terreſtrium nomine, manu propria.

(LXX.)

Reſponſoria CAROLI, *Sudermanniæ Ducis & Regni Sveciæ Gubernatoris, ad præinſertas* ORDINUM REGNI POLONIAE *credentiales, 1596.*

Carolus Dei Gratia, Regnorum Sveciæ, Gothiæ, Wandaliæque Hereditarius Princeps & Gubernator, Sudermanniæ, Nericiæ, Wermelandiæque &c. Dux.

Illuſtriſſimi, Reverendiſſimi, Illuſtres, Reverendi, Magnifici & generoſi, amici & vicini ſincere Nobis dilecti.

Dilectionibus Veſtris & Vobis, ſalutem precati, Noſtra ſtudia, officia, omnemque benevolentiam

tiam amanter & benigne, prout poſtulat uniuscujusque ſtatus atque conditio, deferimus. Literæ a Veſtris Dilectionibus & Vobis redditæ Nobis ſunt, quas illuſtres, Magnifici & generoſi, Stanislaus Dzialynski, Caſtellanus Elbingenſis & Senator Regni Poloniæ Stanislaus Czykowsky, terræ Cracovienſis Succammeratius generalis, & Nicolaus Sapieha, Palatinides Minſcenſis & Secretarius Regius, Oratores Veſtri, cum mandatis ad Nos miſi attulerunt, quos cum benigne audiri peteretis, Veſtræ autoritati & amicitiæ id tribuimus, ut ad audiendum eos Stockholmiam, quo iidem Oratores Veſtri appulerant, ſtatim petere contenderemus, ibique Veſtra poſtulata cognovimus. Cumque paucis interjectis diebus nomine Regiæ Majeſtatis Sveciæ & Poloniæ, Domini Agnati & fratris Noſtri chariſſimi, illuſtres & Magnifici Domini, Ericus Brahe, comes Wiſingsburgenſis, & Arvidus Guſtavi, in Boxholm, populares Noſtri pene eadem, quæ Veſtri Oratores in mandatis habebant, literisq; a Regia Majeſtate ſuperiore æſtate Nobis redditis ſimillima, idiomate patrio exponerent, ipſorum relationi eodem idiomate paucis poſt diebus reſpondimus, quod reſponſum poſtea a Svetico in Latinum converſum, veſtris etiam Oratoribus dari juſſimus, quo perluſtrato intelligeris certe, non iis tantum querimoniis, quas Legati Veſtri prolixa Oratione retulerunt, verum aliis etiam criminationibus, quæ vos ſuperioribus temporibus latuerunt, eſſe reſponſum. Unde Dilectiones Veſtræ & Vos judicare poteritis, non omnibus, qui novos rumores hinc in inclytum Regnum Poloniæ perferunt & ſpargunt, eſſe fidem

adhibendam. Hoc igitur reſponſo Oratoribus Veſtris dato, Dilectionibus Veſtris & Vobis ſatisfeciſſe Nos plane confidimus. Regiam Majeſtatem etiam ſatisfactionem Noſtram accepturam Nobisque æquiorem fore, omnino perſuaſum habemus. Et quidem Dilectiones & Magnificentiæ Veſtræ ſibi de Nobis omnem amorem, benevolentiam & optima quæque polliceantur, quicquid enim pro utriusque Regni conjunctione mutua amicitia & vicinitatis jure Veſtris Dilectionibus & Vobis præſtare poterimus, paratiſſimos Nos experiemini. Regiæ Majeſtati etiam, Domino Agnato & Fratri Noſtro chariſſimo, quantum in Nobis erit, & quæcunque ipſius Regiæ Majeſtati Naturæ, propinquitatis & datæ fidei jure debemus, ad ea omnia præſtanda nihil faciemus reliqui, ejusque Majeſtatem & Veſtras itidem Dilectiones & Vos divinæ benedictioni commendamus. Datæ Stockholmiæ 7. Calend. Novembr. Anno 1596.

Carolus Dei Gratia, Regnorum Sveciæ, Gothiæ, Vandaliæque Hereditarius Princeps & Gubernator, Sudermanniæ, Nericiæ Wermelandiæque &c. Dux.

CAROLUS

Inſcriptio.

Illuſtriſſimis, Reverendiſſimis, Illuſtribus, Reverendis, Magnificis & generoſis Dominis Senatoribus & Ordinibus inclyti Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, amicis & vicinis noſtris, ſincere nobis dilectis.

(LXXL)

Litere RUDOLPHI II. Romanorum Imperatoris ad Clementem Papam IIX. a quo reverenter contendit, ut ſibi adverſus Turcas exercitatæ militum manu ſuppetias ire & ſuam circa rerum gerendarum nervum penuriam, aliquali pecuniæ ſumma ſublevare haud gravetur, 1595.

Rudolphus II. Romanorum Imperator, Clementi Papæ VIII.

Beatisſime in Chriſto Pater,

PErcuſſerunt haud dubie Sanctitatis Veſtræ æque ut Noſtrum animum, ea, quæ Noſtris in Hungaria nuper adverſa contigerunt. In quibus, ut præpotentis Dei manum agnoſcimus, ita ſpe nova in eadem defixa, rationes Nobis ſolidas certasque ineundas ducimus, ut quæ minus proſpere ceſſerunt, qua fieri poſsit celeritate corrigantur. Cum itaque in omnes Chriſtiani Orbis ſive propinquas ſive remotas Nos partes convertimus, in primis ſeſe Sanctitas Veſtra offert, a qua dum auxilia quærenda ſunt, ſecundum Deum auſpicemur: neque Nobis dubitare in mentem venire poteſt, quin Sanctitas Veſtra præſenti neceſsitate ſibi ob oculos poſita, paternæ liberalitatis ſinum, & propter maximas rerum Noſtrarum anguſtias benevole apertura ſit, ut inſigne iis, a quibus opem flagitamus, exemplum, quo animentur & excitentur, Nobisque adeo ipſis ſubditisque Noſtris præbeat. Quod eo magis futurum eſt, ſi Sanctitas Veſtra, licet his literis Noſtris non rogetur, quaſi ſpon-

te ſua, non expectato ſolenniore, quem mittere decrevimus, Legato Apoſtolicum zelum in hac graviſſima naufragantis Chriſtiani Imperii tempeſtate Regnique Hungariæ gemitu, ultro oſtenderit, Nobisque auxilia ſe digna, prout maxime res laborans publica requirit, quam primum decreverit. Non jam præteriti temporis defectus, quid fieri potuerit debueritve, urgendi, ſed præſentis periculum & quid in poſterum ſtatui conveniat, ſpectandum, ut ſuperiores calamitates felicioribus deinde ſucceſſibus compenſentur. In celeritate vero ſpes omnis ſita eſt, ut hoſtis conſilia, priusquam redintegratis ille viribus in ulteriores ſeſe ditionis Noſtræ partes explicet, latius diffundat, anteverta-mus. Quam breve autem Nobis temporis inter-vallum ad Nos armandum detur, Sanctitas Veſtra conſpicit: conſpicimus ipſi quoque Nos, quam feſtinandum, quam maturandum ſit. Eaque de cauſa jam nunc, quæ per hos dies meditati ſumus, conſilia exequimur: ad ſacri Romani Imperii ſeptemviros, quorum, conſilio & aſſenſu in iis, quæ in Imperio hac hieme urgenda ſint, opus eſt, Legatos celerrime dimittimus: Regnorum Noſtrorum ditionumque conventus indicimus; Principes exteros, a quibus ſubſidia ſperanda putamus, Legationibus ac literis interpellamus: ex peculiari ac privato patrimonio Noſtro, ut lectam externi militis manum conducamus, ac multiplicibus tanti belli oneribus proſpiciamus, magnas pecuniarum ſummas conflandas ſtatuimus: nihil denique in cæteris intentatum relinquimus. Ad quod quidem eo magis animamur, ne pacem diverſis modis calli-

callide oſtentatam amplectamur, quod multis inſignibus, quas divino auxilio per hos annos obtinuimus, victoriis, & quidem in conflictu nupero, ubi majorem Turcæ quam Noſtri cladem acceperunt, & ſi minus idem Noſtris feliciter evenerit, didicerimus eum, qui ſuperiore ætate invictus habebatur, vinci ac ſuperari hoſtem poſſe, ſi ea, quæ in Noſtris deſiderata fuere, corrigantur. Corrigentur autem, uti plane confidimus, ſi ope celeri inprimis Sanctitatis Veſtræ & aliorum deinceps Principum, periti & exercitati militis exercitum primo ſtatim vere in promptu habuerimus, priusquam hoſtis equitatum, cui præſidit, per revireſcentis anni tempus inſtauret. Præcipuam enim calamitatis, quam hactenus accepimus, cauſam fuiſſe, neceſſe eſt quilibet fateatur, quod propter auxilia, quæ paſſim urſimus, tarde impetrata, tarde armare exercitum, & quidem ex propinquioribus tantum nationibus hoc anno potuerimus, cui Sanctitatis Veſtræ auſpicia defuerunt. Quibus, ſi hanc, quam modo paramus, expeditionem auſpicari dabitur, ſpe firma nitimur fore, ut omnia deinceps felicius proſperiusque ſuccedant. Si vero (quod abſit) iis Nos deſtitui contingeret, videt Sanctitas Veſtra, ut reliqui Italiæ Principes eo exemplo a conferendis auxiliis abducendi ſint, quorum ſane intereſt communes Chriſtiani Numinis ac Nominis hoſtes tempeſtive ab Italiæ finibus arceri, cum non minus illi Italiam, quam ante pedes vident, quam Germaniam, Nationibus barbaris undique confluentibus, tanquam diverſa in magnum quoddam mare flumina exonerent ac longe lateque ſeſe effundant; & mox æſtuantis inſtar & exundantis

Oceani Alpes ipſos, & quicquid in Italiam objectum eſt, ceu aggerem quendam aut disjiciant, aut tranſcendant, non aliter atque Gothi olim ac Vandali, aliæque remotæ gentes, una cum Germanis in ſuam multitudinem pertractis, tranſcenderunt. Sed hæc Sanctitas Veſtra pro ſumma ſua prudentia ultro penſitabit, aliisque Italiæ Principibus ſolicite penſitanda ſuadebit, ut tum a Sanctitate Veſtra, tum ab aliis, nulla mora interpoſita (neque enim ullam hæc ſumma rerum neceſſitas moram patitur) certum reſponſum accipiamus, ne longa, quemadmodum ante hac, expectatione ſuſpenſi, inter incerta hærere ac fluctuare conſilia cogamur, quo nihil in præſenti periculoſius, nihil eſſe perniciosius poſſit. De his autem Noſtro nomine cum Sanctitate Veſtra diligentius Reverendiſſimi Cardinales Matrucius & Parravicinus, & Seſſæ Dux, Sereniſſimi Regis Catholici, avunculi Noſtri charisſimi, Orator, agent, benevole patienterque eos, dum nondum peculiarem iſthic oratorem habemus, audiri cupimus, Nosque ac ditionem Sanctitati Veſtræ etiam atque etiam commendamus, quam Deus Optimus Maximus quam diutisſime Nobis incolumem velit. Datum Pragæ 26. Nov. Anno Chriſti 1596.

(LXXII.)

Litera FRANCISCI MENDOZAE, *Admiralii Arragonum, ad* THEODORUM, *Epiſcopum Paderbornenſem, quibus ipſi ſuadet, ut Lutheranos e ſua diœceſi faciat confeſtim extorres, niſi milites ſuos famelicos, ingenti erga eos odio flagrantes, in ſua diœceſi velit pidere ſævientes*, 1599.

Illu-

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Princeps ac Domine.

QUid acerbitatis & irritamenti malorum bellum in ſe habeat ſecumque trahat, nemini ignotum eſt. Unde Illuſtriſſimam & Reverendiſſimam Dominationem Veſtram ſcire volumus, Regium exercitum, non voluntate aut libidine, ſed neceſſitate communis periculi & utilitatis in Weſtphaliæ oras introductum ac per ſtipendiorum prorogationem pabuliq; inopiam licentius latiusq; vagatum. A Veſtræ illuſtriſſimæ ac reverendiſſimæ Dominationis Diœceſi vix poſſumus cohibere famelicum & nudum militem, cum in caſtris noſtris paſſim divulgatum ſit, Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ ſubditos magna ex parte hæreticorum deliramenta & inſanas opiniones ſequi, ſæpe in conventibus publicis tumultuari, ac violentam Religionis libertatem poſcere, concionatores Lutheranos ſuis ſumptibus in primaria civitate Paderbornenſi ſuſtentare, & contra voluntatem Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ fovere ac retinere. Quapropter Illuſtriſſima ac Reverendiſſima Dominatio Veſtra videat, quo pacto amoveat tempeſtive tales ſectarios, ne flagellum etiam in innocentes accerſat. Addo & hoc, ſi longior hyems cogeret Nos nolentes etiam ad Veſtram Diœceſin declinare & invenirentur hujusmodi Diaboli ſeductores in civitate, miles Catholicus neque a ſuſpendio illorum, neque a rapinis (quod ubique alioquin prohibemus) aliorum Civium ſibi poſſet temperare, qui-

bus nihil gratius erit, quam audire, ſuos ſubditos eſſe obedientes, & in fide Catholica ſtabiles. Deum rogantes, Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dominationem Veſtram diu incolumem ſervet. Ex Caſtris in Rees 10. Dec. Anno 1599.

Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. Dominationi Veſtræ

addictiſſimus

Magnus Admirallius
Arragonum.

(LXXIII.)

Litera FRIDERICI WILHELMI, Pupillorum Saxon. Curatoris & Electoratus Saxonici Adminiſtratoris, ad HENRICUM IV. Galliæ Regem, quibus ſibi ſuisque pupillis pecuniam, quam ipſi olim Chriſtianus I. Elector Saxoniæ, & Johannes Guilielmus Pater ſuus mutuo dederant, reſtitui modeſte petit, 1601.

Serenisſime & Chriſtianisſime Rex.

SErenitati Veſtræ amicitiæ & familiaritatis Noſtræ officia ſemper ſunt parata. In quo ſtatu & quidem ſatis difficili Sacrum Romanum Imperium & dulciſſima Patria Germania, nec non (ut multi prudentes Regos & Principes jam dudum judicarunt) univerſa Chriſtum profitentia, & ſua adhuc libertate pollentia Regna propter violentas invaſiones Sultani Turcici in Hungaria, finitimisque

Digitized by Google

que oris conſtitutæ ſint, Serenitati Veſtræ, tanquam Chriſtianiſſimo Regi ſatis liquet. Nec ambigimus, Serenitatem Veſtram pro ſua inſigni prudentia & rerum uſu, ſibi vicinæ & amicæ illi patriæ Noſtræ ex animo condolere. Dum enim ex Noſtro Nos modulo & pede metimur, ſolicitudines illas recolligimus, quibus multis retro ab hinc annis Principes Germaniæ, atque inter ipſos illuſtriſſimus Parens Noſter, Joannes Guilielmus, Dux Saxoniæ felicis recordationis pro incolumitate & ſalute Regni Francici tum ſatis perturbati ſuas excubias egerunt. Atque in primis boni illius animi & amoris reminiſcimur, quibus decimo abhinc anno Illuſtriſſimus quondam ille Chriſtianus Elector Saxoniæ una nobiscum & aliis Principibus Germaniæ Serenitati Veſtræ præſto fuere, nec ſtudiis nec ſumptibus parcendo, quo Serenitatis Veſtræ Regiæ dignitas tum non extra diſcrimen conſtituta in ſuum decus; & totum Regnum Franciæ alias florentiſſimum, tum vero inteſtinis diſſidiis ſatis laborans in nitorem priſtinum vindicaretur. Ea omnia, uti a nobis, & felicis memoriæ Electore Chriſtiano, nec non aliis Principibus optimo animo erga Serenitatem Veſtram profecta ſunt: ita etiam Serenitati Veſtræ grata fuiſſe quam plurimis indiciis conſtat: finem vero eundem, in quem collinearunt actiones, nimirum Franciæ tranquillitatem, conſilia iſta conſecuta eſſe, cum Serenitate Veſtra, tanquam vicino Rege, merito gaudemus. Atque idcirco Serenitati Veſtræ, totique Regno Franciæ diuturnam pacem & omnia proſpera a Deo propitio optamus, ab optimo illo

maximo precati, ut noſtræ dulciſſimæ Patriæ aliquando benigne quoque largiatur, ut ab hoſte illo ſatis potenti tuta in ſua priſtina libertate & veteri vigore permaneat, & omnibus inteſtinis ſimultatibus vacua ſit: idque Serenitati Veſtræ, pro ſua erga Germaniam vicinam amore nihil minus in votis eſſe, certo Nobis perſuaſum habemus. Verum enim vero tam arduam illam rem contra tantum & quidem communem hoſtem ſe tuendi, non modo votis, ſed etiam viribus agendum eſſe, Serenitati Veſtræ ſatis notum eſt. Idcirco per integrum novennium, cum tutela Electoria, tum etiam Noſtro loco nullis curis, & pro parte noſtra impenſis pepercimus, quo vicinæ & labaſcenti Hungariæ, modo a majoribus & prædeceſſoribus Noſtris uſitato, & neceſsitate poſtulante, Sacræ Cæſareæ Majeſtati cum aliis Principibus Imperii ſuppetias & armis & pecuniis ferremus: ut patria Noſtra ab iſtis hoſtium incurſionibus, & magna illa Hungarica calamitate immunis eſſe poſsit. Quantum impendii ad hæc & alia requiſitum fuerit, Serenitas Veſtra Regia ex diuturna & gravi ſui ipſius militia facile perpendet. Sed cum a virtute etiam in ipſo periculo quid remittere, neque pium neque virile ſit; quin potius undiquaque pro tuenda patria conquirere neceſſarium & laudabile ducamus: Serenitatem Veſtram Regiam latere nolumus, cum ex rationibus ſiſci illuſtriſſimorum pupillorum agnatorumque Noſtrorum; tum etiam æratii Noſtri, fratriſque Joannis Ducis Saxoniæ propriis diariis liquido conſtare; patrem Noſtrum ſupradictum Joh. Guil. felicis memoriæ quinqua-

quaginta tria millia florenorum Rhenanorum in usum Regni Francici impendisse, uti Serenitatis Vestræ Christianissimæ Regum Antecessorum literæ obligatoriæ testantur: atque insuper Electorem Christianum, & Nos conjunctim, ipsam Serenitatem Vestram Regiam, ad sua desideria, anno abhinc undecimo, sexaginta millibus Rhenanis mutuo datis, adjuvisse: sane dubii nihil Nobis relictum est, Seren. Vestr. Regiam pro suo Regali splendore, & erga nostram domum Saxonicam amore & animi conjunctione etiam absque interpellatione Nostra benigne curaturam esse, ut ambæ illæ summæ, cum eo, quod interest, bona cum gratia Nobis & pupillis Nostris exsolvantur. Verum enim vero Patriæ Nostræ necessitas, temporis injuria & res pupillorum Nostrorum, nostræque flagitare videntur, quo ad usus non differendos pecuniarum istarum exsolutio a Seren. Vestra Regia Nobis in promptu sit. Quo circa Nobili & Nobis dilecto viro Erasmo Brand in Hordorf dedimus in mandatis, ut Serenitati Vestræ Regiæ hasce literas offerendo, debito modo a Seren. Vestra Regia, vel ejusdem ad hoc constitutis Consiliariis, aut Thesauri præfectis petat, circiter festum Petri & Pauli a Serenitatis Vestræ Thesaurariis cum pupillis Nostris, tum etiam Nobis & fratri Lipsiæ ut satisfiat. Id futurum esse certo persuasum habemus, cum de Serenitatis Vestræ benevolentia, Regioque & liberali animo Nobis satis constet. Sane benigna illa Serenitatis Vestræ Voluntas vetat hisce Nostris desideriis, quæ æquitate & literis Regiis nituntur, quicquam addere: quin

quin immo indubitatum Nobis ſit, Seren. Veſtr. Regiam noſtras hasce literas in optimam partem accepturam, iisque annuituram eſſe. Si qua in parte Serenitatis Veſtræ Regiæ officia amicitiæ & conjunctionis Noſtræ poterunt conſtare, ad id erimus propenſi. Dab. Torgaviæ, Pridie Calend. April. 1601.

Fridericus Guilielmus,
Dux Saxoniæ.

(LXXIV.)

Literæ CAROLI IX. Sveciæ Regis, ad JOHANNEM ZAMOISCIUM, ſupremum Regni Poloniæ Cancellarium, quibus ſibi pacem, ſi æquis ea conditionibus fulciatur, maxime curæ cordique fore aſſerit, & de captivis facili ratione commutandis agit, 1602.

Salutem noſtram pro ratione temporis!

ETſi dubitandum nobis eſſe exiſtimavimus, ad te, Joannes Zaoiſcie, quicquam literarum dare: ſiquidem tu per literas, quæ nobis, cum in procinctu eſſemus ad Rigam, redditæ ſunt, nos injurioſis verbis adortus es: de quo tamen nunquam in mentem nobis venerat, quandoquidem longe aliam de te opinionem conceperamus, tum quod a Deo ſingularibus prudentiæ donis exornatus vulgo prædicerit? tum quod a Deo, jam ingraveſcens ætas tibi conceſſa ſit, dum nobis, Regio oriundis ſanguine, illud adſcribis, quod nulla unquam ratione comprobari poſſit, & res ipſa longe aliter loquatur. Quod ipſum neque te latet: & nos tum

tum temporis ad iſtas literas tuas ſatis tibi decenter reſpondimus; ut hic ea repetere neceſſe non habeamus. Verum enim vero, cum nunquam ullius hominis interitum approbaverimus, animi noſtri ſenſa tibi exponenda eſſe exiſtimavimus. Cum itaque ipſe non ignores, Carolum & Jacobum de la Gardia, olim Volmariæ Præfectos, denuo nobis per literas ſignificaſſe, te, nomine Regni Poloniæ, nobiscum, & cum Regno Sveciæ ad æquas pacis conditiones conſtituendas pronum eſſe & proclivem, intermittere non voluimus, quin tibi ad illud reſponderemus, non ignorantes, facileque intelligentes, captivis illis ſine conſenſu & mandato tuo literas ad nos mittere non licuiſſe. Proinde tibi hoc reſponſi dare voluimus, nos quemadmodum belli hujus autores non extitimus, ita neque æquas pacis conditiones unquam recuſaturos eſſe: dummodo illæ nobis, ut par eſt, offerantur, ut citra ullam conſcientiæ læſionem & Deo ipſi & toti mundo excuſati ſimus; ſi igitur a Rege Tuo, Ordinibusque Regni, hunc conſenſum & poteſtatem nobiscum tractandi habere poteris, nos ab æquis conditionibus non alieni erimus. Tu itaque nobis ſignifices, quousque tibi in hoc negotio nobiscum procedere, a Rege Ordinibusque Regni conceſſum ſit: Quod ſi tu nos docueris, de loco tecum conſtituemus, ubi utriusque Regni deſignati Commiſſarii ad æquas pacis conditiones ineundas conveniant. Et nos ex noſtris hominibus ordinabimus, qui huic negotio adſint. Interim a te certiores fieri cupimus, ſi pro more militari captivos dimittere volueris, unum nempe

pro

Digitized by Google

pro altero commutando, vel etiam omnes dimittendo, quocunque appellentur nomine. Quod ipſum & nos faciemus & interea captivos honeſte beneque tractabimus: quod & te decet, dum modo miles bonus audire cupias. Si itaque captivos illos dimittere, tibi certum eſt, quod utrinque ſine aliqua obligatione fieri addecet: volumus, ut qui noſtri apud te ſunt, in Oſilliam mittantur, quo ut & veſtri veniant, quotquot hic in Finlandia detinentur, curabimus: qui vero in Svecia ſunt, quamprimum per hyemem licebit, noſtrique ad nos appellent, ſine dolo ſub Principis dignitate Gedanum transmittemus. Quid tibi hac in re agendum cenſeas, de illa per literas, aut quacunque alia oblata occaſione nos certiores reddideris, interea fortunam tuam experiare, utque e re tua fore videbuntur, ne intermittes, nos interim ad vindictam & juſtam defenſionem, ad quam ſatis ſuperque coacti ſumus & irritati, nos pro neceſſitate parabimus. Datum Stokholmi, d. 17. Februarii Anno Domini 1602.

CAROLUS.

(LXXV.)

Reſponſoria JOHANNIS ZAMOISCII, ſupremi Regni Poloniæ Cancellarii, ad prænſertas CAROLI IX. Svecorum Regis literas, 1602.

Illuſtriſime Dux.

ACcepi tuas literas, quibus ſignificas, te initio deliberaſſe, an tibi ad me eſſet ſcribendum, propterea, quod te læſum a me exiſtimares literis, quas ad te per tubicinem, cum ad Rigam eſſes, miſis-

Digitized by Google

miſiſſem. Scribis ſecundo loco, te a tractatione pacis componendæ, inter Regna Poloniæ & Sveciæ, animum habere non abhorrentem: poſtremo adjungis de liberatione mutua captivorum. Quod attinet ad meas literas, ſcripſi more & inſtituto Majorum, qui hoſtibus ſuis, quibuscum bella, ab ipſis læſi, gererent, arma contra ipſos jure a ſe ſumpta ſemper clare & aperte denunciarent. Cujus rei exemplum in hac ipſa Livoniæ Provincia repetitur, cum ad certamen armorum ventum eſſet, & quicunque hactenus militaria imperia in Republica noſtra adminiſtrarunt, hac ſunt perpetua conſuetudine uſi: a qua ne mihi quidem ipſi diſcedendum fuit. Scripſi igitur ad te, ut ad hoſtem. Scribis eis literis te reſpondiſſe. Nullas tuas literas ea de re, ac ne tibicinem quidem, etiam dum vidi, neque quale id reſponſum fuerit, ſcio; ſimul nec, quid continuerit in ſe, ignoro. Si quid honeſtati meæ in ea adverſabitur, talem me tibi præſtabo, qualem æquiſſimum eſt, eſſe eum, qui &, quid ad honorem ſuum pertineat, norit, & vel cum profuſione vitæ tueri certum habeat. Regis filium te ſcribis, nec ego nego, addo fratrem & patruum Regium & ſanguinem tuum cum Regis mei ſanguine communem magnifacio. Velis & tu palam teſtatum orbi facere, eundem tibi carum eſſe: ac vero noli Nobilem Polonum, vetuſto genere atque in libera Republica natum, & in ea præcipuis magiſtratibus præditum contemnere, ab eo ego me contemptu vel ſenili mea dextra inſtituto militari, vindicarem. Neque tu æſtimare debes Nobilitatem Polonam ad modum nobili-

bilium aliarum nonnullarum Provinciarum, in quibus ſervitutem ſerviunt, ubi pro lubitu ad necem trahuntur, in vincula rapiuntur, bonis multantur, a Regibus & Senatu, cauſa inaudita. Sunt quidem antiquæ gentes nobilium, tot ſeculorum intervallo, jam inde a Paganismo, in familias ac ſtirpes complures diductæ, & ideo quidem tenuiores: campus tamen virtutis exercendæ omnibus patet, & virtuti præmia a majoribus propoſita ſunt, ut non ægre quivis dignus ad opes perveniat. In bonis quisque ſuis ſubditorum ſuorum pleno jure eſt Dominus. Sunt vero & tales etiam, qui & oppidorum & pagorum numero & latitudine finium & ubertate agrorum, & magnitudine fructuum, Ducibus multis externis non cedant. Quamquam ego magnitudinem & claritatem virtute, non pecuniis & agris metior. Nobilium Polonorum & Reges & Principes etiam exteri affinitatem expetivere, atque cum iis junxere: Itaque, ut tu me habebis, ita ego etiam tibi reſpondebo. Humanitate me vinci, ſalva fide erga Regem & Rempublicam, non patiar, nihil, quod ad honorem meum ſpectat, omittam. Dico igitur, te Rempublicam noſtram injuria affeciſſe; dico Regem noſtrum Regno patrio carere: te illo, cum ejus patruus ſis, potiri. Venio ad ea, quæ ad tractandum de pace ſpectant. Scribis exiſtimare te, quæ de tractatione Carolus filius & Jacobus de la Gardie tibi ſcripſerunt, me ſciente, cum in poteſtate mea eſſent, ſcripſiſſe. Equidem non is ſum, qui negem optatam mihi eſſe inter omnes Principes Chriſtiani nominis, ac maxime tam arcta ſangui-

guinis conjunctione pacem. Itaque fateor, cum quidam familiæ Veſtræ deditus & obſtrictus mentionem pacis feciſſet, doluiſſetque, quod familia Veſtra tam ſeipſam ad hunc modum oppugnaret, cum vel maxime florere poſſet: tanta generis veſtri gloria Regno Poloniæ ampliſſimo ac nobiliſſimo fratris tui filio, liberis ſuffragiis ante alios tantosque competitores delato; cumque hoc libenter Carolum filium audiviſſe, delatum ad me eſſet, fateor, inquam, me illum non prohibuiſſe, ſed cohortari juſſiſſe, ut hoc etiam ſuis literis complecteretur, id quod placere tibi ſcribis. Qua de re ad Sacram Regiam Majeſtatem per diſpoſitos equos retuli. Non, homo, ſed bellua eſſem, ſi pacem cum dignitate Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ ac æquitate conjunctam rejicerem. Si clarius de rebus iis ad me ſcripſiſſes, quomodo Regiæ Majeſtati & Reipublicæ ſatisfacere velles, quid de voluntate Regia ſperarem, facilius tibi præſcribere potuiſſem. Quidquid tamen ejus Majeſtas reſcribat, quamprimum ſcies. Humanum eſt, longius interdum primo illo animorum motu digredi, prudentiæ vero, & ingenii impetum ſuſtinere, & in viam redire. Magnam ingenii laudem omnes tibi, quibus ſpectata eſt vitæ tuæ conſuetudo, tribuunt. Nihil autem ad conjunctionem, cum propinquis & cum alienis tuendam, præſtantius, quam ſuis ſe finibus tenere, alienum non appetere, ſuum cuique tribuere, læſis ſatisfacere. Gravitas & amplitudo Regiæ Veſtræ familiæ a te id poſtulat, tuæ vero ſtirpis liberorum tam parvorum ſalus hoc uno continetur, ut in con-

cordiæ portum, ex hisce procellis, aditum tibi quæras. Sed quorsum progredior, non est meum tibi de his consulere. Utere tu ipse tuo judicio. Nunc de captivis. Hi quomodo sint liberandi arbitror te intellexisse e Carolo filio & Jacobo de Gardia, qui, qua conditione incolumes conservati sunt, tibi perscripserunt: existimo autem perscripsisse; tractantur enim & habentur bene. Nihil minus naturæ meæ est, quam in eos, qui in potestatem meam venerunt, sævire, nisi, si qui sunt, ob crudelitatem misericordia indigni. Svedici & Finonici generis militibus, qui in arcium præsidiis fuerunt, quam humanitatem declaraverim, existimo te ex ipsis intellexisse, quos incolumes a me dimissos, neque ulla ignominia notatos, non dubito a te pervenisse, nec solum ex arcibus, sed & aliis diversis locis captos dimisi. Referam ad sacram Regiam Majestatem de loco & tempore liberationis utrorumque ex parte Regia omnium Polonorum, Lithuanorum & Livonum, qui fidem Majestati & Reipublicæ servarunt, status secularis ac spiritualis, mulierumque ac puerorum: ex parte tua, Caroli, filii Jacobi Gardiæ & omnium, qui erunt Svecorum & Finnorum Livonumque tuorum, ea est causa, ut non solum captivitate, sed perduellionis crimine obstricti sint. Ad tractationem igitur pacis, ut ab initio Carolo filio declaravi, differenda est. Si deinceps voles scribere, velim, latine scribas, facilius & melius animi tui sensa intelligam, & tibi plenius rescribam. Qua lingua ad me scripsisti, est mihi ignota. Latina utrique nostrum, ut opinor, cognita, interea,

terea, dum hæc inter nos aguntur, ego non cessabo, sed, quidquid in rem Serenissimi Regis & Reipublicæ futurum existimabo, agam. Hoc tibi clare significo. Datum in Moisa circa Felinum, die 23. mensis Aprilis, Anno Domini 1602.

Scribo ad te singulari numero, te compellando, pro latinæ linguæ consuetudine, qua Imperatores etiam ac Magistratus ita compellabantur. Nec ego latine me a te aliter compellari cupio: Germanicum Du Nobilibus Polonis & Senatoribus ac Magistratibus non convenit. Inferiori ordini hominum illud relinquas. Tuæ literæ ad me perlatæ sunt X. Aprilis anni correcti.

(LXXVI.)

Literæ JOHANNIS ZAMOISCII, Supremi Regni Poloniæ Cancellarii, ad CAROLUM IX. Sveciæ Regem, quibus se ad pacem, si honestæ & æquæ ratio haberetur, pronum esse declarat, eum vero ad pugnam decretoriam, qua secum proprio discrimine totius belli justitiam propugnaret, provocat, 1602.

Illustrissime Dux.

JAm ad te dederam literas meas, quemadmodum promiseram, accepto responso a Sacra Regia Majestate de induciis & de pace tecum tractanda, easque Revaliam miseram, quas se recte accepisse, & ad te misisse, rescripsit ad me Comes Mauritius, cum mihi redditæ sunt tuæ literæ, quibus prioribus meis literis respondes, itaque non habeo, quod hisce literis tecum agam, cum plane & dilucide, tam de induciis paciscendis, quam de pace post tractan-

ctanda, ſententiam & formam, ex miſſis literis, quas jam perlatas eſſe arbitror, perſpexiſti. Nam quod ſcribis, ut demonſtretur a me locus, in quo conveniant commiſſarii, non video, in tractandis induciis hisce eorum magnum uſum fore, ſi id tamen vel ad honorem putas pertinere, vel ad devitandam tuorum invidiam, mittas licet aliquos, qui me Revalia de adventu ſuo certiorem faciant; licebit, ut obſidibus & fide publica datis & acceptis, ad pontem inter Vaiſeſteinium & Revaliam conveniant, modo tu mihi literis tuis, de conditionibus induciarum, ad meas diſerte reſpondeas, & eo, quo ſcripſiſti, modo animos Ordinum Reipublicæ noſtræ graviter a te læſos lenias. Scripſeram jam ad te antea, ut, quid eſſet tibi ſcribendum ad me, latine ſcriberes, ſcripſiſti Sveca, tua lingua, interpretatione latina, ſine chirographo, adjuncta. Quaſi difficile mihi foret, ad te Polonice aut Poloni Slavi cum ſint, Slavicis characteribus ſcribere, & interpretationem ſimul addere.

Quid juvat: bis idem agere, inanis opera & ſuperfluus labor. Nam neque mea quidquam intereſt, ſcire Svedice, neque tu Polonice diſces. In ſeriis rebus ſerio eſt agendum, & neceſſe eſt, ut ea, quæ promittes, lingua communi Chriſtianorum ſcribantur, & ab utroque ſubſcribantur: propter certitudinem & firmitatem rerum, quæ conſtituentur. Quod ad liberationem captivorum attinet, ea fieri debet, ut & Carolus filius tibi denunciare debuit, & tu poſt ſcripſiſti, & ego tibi reſcripſi, dimiſſis omnibus utrinque, præter Livones, qui ſunt Sacræ Regiæ Majeſtati & Reipublicæ per-

perduellione obſtricti. De locis, in quibus id fiat, jam ante perſcripſi: commodius vero id poſt pactas & conſtitutas inducias peragetur. Datum ex Caſtris ad Meimoiſam, die 11. Menſis Julii Anno Domini 1602.

Adjunxiſti literis tuis exemplum ſine ſubſcriptione, quas ad me dediſſe te dicis, ego quidem eas non acceperam, quibus & te nil in Regem commiſiſſe ais, meque, quod ſcripſerim Regno a te illum exutum, contumelioſe reprehendis, & a me cum aliis bellum Svedicum, Rege perſuaſo, conflatum, affirmas. Cum ea res ad alios etiam pertineat, nunc tibi nil reſcribo, ſcribam poſt e ſententia communi; nunc, cum de pace agatur, ſejungo ego cauſam meam a publica, parcam ſanguini innocentum hominum, ſi tu quoque induciis eo, quo ſcripſi, modo factis, hoc idem vis. Non fundatur ſanguis propter me vel in ſummo populorum utrinque otio, poſſumus nos duo tantum, more & inſtituto militari, ſi non detrectabis, litem inter nos definire. Miſiſti ad me exemplum latinum literarum, quas ad me jam dudum ſcripſeris, quæ ad me non pervenerunt. Nimis ignavos & tardos habes tabellarios. Meæ ad te delatæ ſunt in caſtra ad Rigam, quas ad te ex Caſtris ad Kockenhauſium 24. Septembris dederam, tuum vero reſponſum ad me perlatum eſt 8. Julii, potuit ſtatim cum eo redire, qui meas attulerat, tubicen, quem tu contra jus gentium detinuiſti, neque ad me apparet. Quod me ignominioſis tuis dictis conaris perſtringere, non eſt, quod tibi reſpondeam. Nemo eſt, qui mihi quidquam

probri objicere possit, nisi si qui ipse totus mendosus & mendax. Terrarum orbis de me deque meis rebus gestis judicium, tum omnes ætatis meæ partes in hominum luce clarissima peractæ, atque in præsens, facile orationem tuam refellent. Hæc, quæ mihi vitio vertis in literis denunciationis armorum tibi scripsi, teque ad judicium Dei, ut cum exercitu Regio decerneres, provocaram: cur id refugisti? Falso me ais scribere & impudenter, quod Regi tuo fratrisque filio Regnum eripuisti, & serenissimus Rex hoc quæritur, ut tu ipse iisdem literis agnoscis, & tu spolia ejus Regnumque possides. Prætendis in literis ad ipsum Serenissimum Regem, ejus rei causam. An non est hoc fateri, quam justam vero, judicent prudentes & æqui, culpæ summam in me nostrates que conferes, Regi, ut scribis, innocenti possessionem Regni adimis. Tutorem filii Regii, vivente Rege, agis: illum tibi mittamus: Qua spe fere infantem ad inimicum & æmulum? Cæcum orbem terrarum existimas, qui hæc qualia sint, non animadvertat. O virginalem pudorem & modestiam! En, qui alteri impudentiam objiciat? Hæc etsi vel luce meridiana clariora sint, tamen vel dextra mea senili probabo. Respondes, utrum velis? De loco & tempore constituamus, & genere armorum. In exemplo vero literarum ad illius Majestatem, a te ad me transmisso, quæ verborum contumeliæ & quæ fœditas, si recte judicas, non solum Regia Majestate, sed vel te ipso indigna. Illud vero impudentissime mentiris, harum perturbationum me causam extitisse. Quid ad me Svedica? Polonus Senator sum,

Polo-

Polonica curo, vestra neque cognita habeo, neque ulla unquam ex parte attigi: Poloniæ Regi, natione Sveco, libere ab Ordinibus electo, fidem debeo, Sveciæ nihil debeo, nec illa mihi: In ultima ego tum Valachia, adversum alterum hostem Reipublicæ, Deo propitio, injuriarum ultore, prospere rem gerebam, cum tu ne minima quidem injuria a Republica provocatus, in ejus possessiones cum exercitu derepente, cum nihil a te hostile expectaret, irrupisti. Cum etiam eodem literas tuas ad me Generosus Uladislaus Bekiesius attulisset, quibus vel mihi ipse privatim studium tuum deferebas. Itaque concutias licet totam ingenii tui intelligentiam: verses in omnes partes animum tuum, nunquam a te injustissimi hujus belli, nunquam atrociter profusi sanguinis causam & originem removebis. Quod summum, quod carissimum, quod amplissimum, Regni Ordines habuerunt, id vestræ Regiæ familiæ detulerunt, ornarunt, primo affinitate, deinde sceptris Regni. Hæccine est injuria? Hoc cur arma inopinata inferres? Considera facta tua & cogitationem seriam suscipe, & etiam atque etiam vide, quid facturus sis, quidque, ut facias, conveniat. Ego, quidquid ad honorem meum pertinet, nihil in me desiderari patiar. Dabantur Anno 1602.

(LXXVII.)

Responsoriæ CAROLI IX. Sveciæ Regis, ad præimpressas JOHANNIS ZAMOISCII, supremi Regni Poloniæ Cancellarii literas, quibus vehementer & acerbe in eum invehitur, 1602.

POsteaquam jam literæ noſtræ eſſent conſcriptæ, tuas accepimus, quibus incluſa erat ſchedula, qua reſpondes ad exemplar literarum noſtrarum, ſuperiore anno ex caſtris ad pagum Sternicum tibi transmiſſarum, & inter cætera nobis duellum offers. Scias autem, ſi nobis & genere & dignitate par eſſes, hoc tibi nullo modo denegatum iri, qua in re nullis aliis uti vellemus armis, quam ſolo baculo, quo te ita egregie unctum & depexum daremus, ut illius diei & loci noſtrique ſemper memor eſſes. Conſultius eſt, ut te contineas intra limites tuæ vocationis, & cum ſcriba ſis, arma deponas, & calamum recipias, illoque cum tuis æqualibus manus conferas. Et profecto pudor te prohibere debuiſſet, quo minus nobis Regio ſanguine prognatis duellum offeres, qui nec genere nec conditione tecum comparandi ſumus. Dabantur Anno 1602.

(LXXVIII.)

Litera JOHANNIS ZAMOISCII, ſupremi Regni Poloniæ Cancellarii, ad CAROLUM IX. Sveciæ Regem, quibus mentionem induciarum pacisque denuo injicit, & ad præcedentes dure nimis reſpondet, 1602.

ACcepi tuas literas, Carole Sudermanne, plenas tumoris, rerum inanes. Confers conflati belli ac effuſi Chriſtiani ſanguinis cauſam in Sereniſſimum Regem meum & tuum: miror id de eo a te ſcribi, quod terrarum orbi notiſſimum eſt, & pugnantia te affirmare, cum iis, quæ antea ad me ſcripſeras. Meminiſti ejus Majeſtatem hac cul-

pa

pa liberans & in alios eam referens. Ab induciis & pace juſta & honeſta non ſum alienus. Cum tractandarum induciarum cauſa miſeris tuos Commiſſarios, tum etiam ego mittam, ad iocum, de quo antea ſcripſi. De die cum nihil ſcribas, neque ego quidquam volo ſcribere. Neque enim ulla alia de cauſa eas tractari vellem, quam quod nolim me eſſe cauſam effuſionis ſanguinis Chriſtiani, ſi Commiſſarii tui juſtas conditiones, & a rationibus Sacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Regni Poloniæ ac Magni Ducatus Lithuaniæ ac inſtitutis non alienas, adferrent, poterunt coire induciæ, ſin minus, re infecta, diſcedent. Ad pacis tractationem quid requiratur, ex literis meis jam perſpexiſti. In captivis commutandis, ſtare eo debes, quod ante perſcripſiſti: ego etiam ſtabo eo, quod ad te perſcripſi: neque etiam mutare ſoleo, quod ſcripſi, aut quod effatus ſum. Familiares tui quid de te ſentiant, mitto exemplum literarum: ut cognoſcas autographum, cum ipſarum chirographum penes me eſt: non credebam iis, quæ de te ſcribunt, nunc jam credo. Quod latine non ſcripſeris, puto te id facere, aut quod ignoras eam linguam, aut quia ineptias. Utrumque non invideo tibi. Datum ex Caſtris ad Meimoiſam die 22. Menſis Auguſti Anno Domini 1602.

Scheda.

Audiebam te hominem cerebroſum & intemperantis linguæ ac vitæ eſſe. Ingenii tamen in te aliquid ineſſe putabam; ſed oſtendiſti verum illud eſſe, quod de te tui intimi familiares ſentiunt: totum effreno impetu animi ferri, non judicio re-

gi. Scripsisti ad me Schedam, qua mirari te dicis, me tibi offerre duellum, cum sim tibi impar genere & dignitate, cum tu Regio genere sis: etsi tibi par essem, te non aliis armis, quam fustibus, mecum decertaturum. Sudericæ hoc prudentiæ, cum superbias Regio genere, non militarium hominum, sed bajulorum more certamen baculorum proponere: quasi vero desint fustes in Polonia & valentes lictores, qui iis cæsos palis, majoris quam baculus amplitudinis & fastigii, suffigant, eos præsertim, qui se perduellione fœdarunt: etsi non sunt proditores per Dei gratiam in Polonia; In Sudermanniæ aula quærendi sunt. Jam vero, quod scribis de genere: eo par omnibus sum nobilibus, vel ex quibus Reges sunt prognati: & ita honestissime natus, ut quivis Regum honestissime: Titulos Ducum nec appetivi, nec oblatos accepi: contentus sum Nobilitatis Polonæ libertate. Tibi sordet nobilis, Carolus V. augustissimæ memoriæ & summi animi Imperator, cum aliquid affirmaret, id fide nobilis viri se affirmare ajebat. In te hoc solum, quod respiciam, habeo, quod eadem familia cum Serenissimo Rege meo natus sis, quod tu si curares, aliter cum eo ageres, cætera tuo ingenio, tuisque moribus digna flocci facio. Dicis, me scribam esse, & debere arma sinere. Sum Cancellarius, quod munus non impedit Electores Imperii, qui illud gerunt, quo minus priorem locum, quam alii Electores & Duces (ac tanti Duces) teneant. Sum certe Cancellarius in patria mea, amplissimoque Regno, eo jure eaque dignitate, qua ubivis vel maximi sunt. Tu fortasse Cancellarii

Su-

Sudermanniæ modo me metiebare, quos majores & excellentiores nobiles Poloni vel privati habent. Nec vero Cancellarius ſolùm, ſed etiam Generalis exercituum præfectus ſum: Arma gero pro patria, exercitusque duco ſupra viginti aliquot annos. Nomen meum notum eſt orbi terrarum: actiones meæ honeſtiſſimæ: labores, ſumptus, pericula, pro Republica ſuſcepta, tuum nomen notum paucis fuiſſet, niſi alieni Regni dominatum invaſiſſes, & quidem patruus fratris filii, vel fortaſſe putas, mei loco tironem aliquem tibi cum exercitu objectum iri; ego ſum ætate ſenili, & magna ex parte exacta. Rempublicam noſtram Regni Poloniæ, magnique Ducatus Lithuaniæ Deus optimus maximus, Divino ſuo Numine & legitimo Imperio regit, firmam ac ſtabilem conſtituit, laudique & cultui ſuo dicavit. Habet illa multos Senatores & Nobiles magnitudine animi, uſu belli ac prudentia præſtantiſſimos. Patriam tuam a me turbatam, quod ſcripſeras, dico te mentiri, & quidquid aliud contumelioſum in me ſcripſeris, aut dixeris, prorſus te mentiri dico, dicamque & ſcribam. Hæc contra meam conſuetudinem, honoris mei tuendi cauſa provocatus, & neceſſitate a te mihi impoſita, & quod tibi promiſiſſem, ita, ut tu mecum ages, me tibi reſponſurum. Jam deſino, ſatis eſt.

(LXXIX.)

Litera CAROLI IX. Sveciæ Regis, ad JOHANNEM ZAMOISCIUM, ſupremum Regni Poloniæ Cancellarium, cui ad præcedentes breviter reſpon-

respondens, se inducierum & pactis cupidissimum esse refert, 1602.

REdditæ sunt nobis Zamoiscie, literæ tuæ ex castris ad Meimoisam 22. Augusti styli novi, datæ, quibus adjuncta fuit Schedula, in qua, uti impudens & perfidus homo nos mendacii arguis, variisque convitiis agitas; verum sit tibi dictum, nos Deo volente ostensuros, quod etiam toti mundo jam innotuit, te mentitum fuisse, nos autem vera locutos: confidimusque nostram justissimam causam & veritatem ipsam, cum tuo tuorumque excidio, Deo adjuvante, manifestam fore: & licet non oporteat nos tuis impudentissimis contumeliosissimisque literis ulterius respondere: attamen, quia scribis, te sanguinis humani effusionem minime cupere: quod utinam ex animo vereque diceres, & reipsa comprobares, quam tamen labem Tyberis conjunctus cum Rheno vix eluet. Ideo admonet nos conscientia nostra, quæ semper abhorruit a profusione innocentis humani sanguinis, ut tibi ad caput causæ respondeamus. Quare si animum pacis cupidum habeas, atque nobiscum inducias pacisci velis, id Comiti Mauritio vicem nostram Revaliæ gerenti, cui id negotii dedimus, significare poteris. Tecum ulterius literas commutare instituti nostri non est: per alios tamen sententia nostra tibi innotescet. Datæ pridie Nonas Sept. Anno Domini 1602.

(LXXX.)

Responsoria JOHANNIS ZAMOISCII, supremi Regni Poloniæ Cancellarii, ad præinsertas CAROLI IX. Sveciæ Regis literas, multa bile refertæ, 1602.

Acce-

Digitized by Google

ACcepi tuas literas, Carole Sudermanne, denuo de induciis ſcriptas; Quare licet, ſi vis, Commiſſariis tuis convenire cum iis Commiſſariis, quos ad paciſcendas tecum ex autoritate Sacræ Regiæ Majeſtatis inducias delegi, & qua die aut quo in loco debeant invicem convenire, ſignificent; Tuas litteras non deſidero, & ne meas quidem ad te mittere. Satis mihi eſt, quod terrarum orbis, maxime quique Principes & Imperatores & Reges ac Duces longe honorificentiſſimas ſoleant eas ad me dare, tu, quid jus militare & honor præſcribat, ignoras, id tibi eſt diſcendum, ut ſcias, quo modo tu te gerere debeas, cum ex jure militaris honoris manus conſertum vocaris, & qui locus ac jus ſit depulſi, negative conflictus inter viros militares; ſatis te jam ipſa tua ſtoliditas & impudentia refutat, quid amplius verbis opus eſt? Ex Caſtris ad ædem Divi Petri, 10. Octobris Anno Domini 1602.

(LXXXI.)

Litera ORDINUM DOMINII MAGNAE NOVOGARDIAE, ad CAROLUM IX. Svecia Regem, a quo ſubmiſſe contendunt, dignetur ſibi magnoque Moſcovia Ducatui unum e Principibus filiis ſuis in Magnum Ducem & ſupremum concedere Dominum, 1611.

NOs Dominii magnæ Novogardiæ Ordines, utpote Metropolita, & Palatini reliqui, Knæſii, Bajori, Præfecti, Aulici, Dapiferi, Tribuni, Patricii, Mercatores, Agricolæ omnes, qui ſub magnæ Novogardiæ Ducatu continemur, Nos omnes capita noſtra inclinamus coram Magnitudine Tua.

Regiæ

Digitized by Google

Regiæ Tuæ Majeſtati ſatis cognitum erit, colluviem hominum rebellium partibus nequiſſimi Demetrii, qui ſe potentiſſimi Domini Czari ac Principis Joannis Baſilidis, Demetrii Ivanovitzii de Uglitz, filium venditaverat, acceſſiſſe auxiliaribusque copiis a Sigismundo Rege Poloniæ acceptis, *longo* tempore Moſchoviam obſidione preſſiſſe, multum ſanguinem effudiſſe, templa Dei ac cœnobia profanaſſe, ſanctorum loca ac ſtatuas violaſſe, pagos & regiones devaſtaſſe, incultasque reliquiſſe. Ea tempeſtate ſummum Imperium Moſcoviæ ac Volidimiriæ Baſilius Ivanovitz Sviſchi tenebat, cumque memoratus Nequam Moſcuam perveniſſet, ibique ſpe dominii Moſchovitici conſequendi, & Chriſtianæ eorum fidei evertendæ, ſe continuiſſet, miſit Magnus eorum Dux prædictus Sviſchius conſanguineum ſuum magnum Bajorum & Palatinum Knæſium, Michaelem Baſilium Sviſchi Novogardiam, ut dominium illud tueretur impelleretque, ut dominio Moſchovitico opem ferret. Hæc Czari mandata Vaſiliviz Sviſchi ſtrenue eſt executus, & ego Metropolita cum Bajaris ad te, potentiſſime Rex Carole, literas miſimus; quibus auxilium tuum imploravimus. Tu precibus noſtris commotus, Religionis noſtræ magnam curam geſſiſti, &, ut nos ab extrema pernicie liberares, Jacobum Pontium de la Gardie ſuprema armorum autoritate in Moſchoviam cum magno exercitu miſiſti, qui cum Bajore ac Palatino Knæſio, Michaelo Vaſilivitz Sviſchi, plurima Moſchoviæ munimenta, oppida & cœnobia occupaverat, eaque ab hoſtili impetu tuitus eſt, multis in locis hoſtem profliga-

verat,

verat, dominium Muſchoviticum a Polonorum, Lithuanorum & nequiſſimi iſtius hominis Demetrii obſidione liberaverat. Inde Jacobus Pontius Moſaiſcum usq; Polonis & Lithuanis obviam proceſsit, ſed, proh dolor! propter delicta noſtra factum, ut Ruſſi & Sveci (Peregrini a Svecis mercede conducti) in medio pugnæ ardore animos amitterent, deficerentque ad hoſtes. In patriam deinde Majeſtatis tuæ ſupremus Dux rediit, hoſtis vero in malo ſuo propoſito perſeverans, undique victor volitabat. Quare, cum potentiſſimus Dominus Czarus, & totius Ruſſicæ nationis ſummus Princeps, ſe nullo modo Ruſſos liberare poſſe cerneret, in cœnobia ſe contulit, formamque angeli aſſumſit. Quo facto Moſchovitici Domini Bojarini &c. a Sigismundo Rege Poloniæ petierunt, ut filium ſuum Uladislaum Dominum ac Magnum Ducem ſibi permitteret, quod Stanislaus Zolkevius vi oſculi S. Crucis firmavit. Rex vero Poloniæ pacta eludens, filium ſuum in Ruſſiam non miſit, ſed vi armata primariam eorum urbem Moſcuam occupavit, magnamque tyrannidem in ea exercuit, donec Moſcovitæ cæterique Ordines impulſi fuerint Regem Poloniæ, filium, omnemque eorum poſteritatem regno Moſcovitico abdicare, nos quoque cum illis unanimi conſenſu decrevimus, ipſis ut hoſtibus reſiſtere, ac pro patriæ ſalute, nec vitæ, nec fortunis parcere. Literas præterea a Moſcovitico Domino d. 2. Julii datas ac propriis manibus ſubſcriptas, accepimus, quibus jubemur, hic Novogardiæ cum Regiæ Tuæ Majeſtatis ſupremo Duce tali modo tranſigere, ut nempe unum ex Regiæ Tuæ

Maje-

Majeſtatis filiis nobis permittas, quem Czarum ac totius Ruſſiæ, omniumque ejus Dominiorum Principem conſtituamus. Quamvis vero Zarvicius Palatinus, Baſilius Ivanoviz Butterlin, cum Majeſtatis Tuæ ſupremo Duce ſæpius de hoc egerint; negotium tamen hoc ad optatum finem perduci non potuit. Poſtremo anno hoc 7119. die 16. Julii providentia Dei accidit, ut Majeſtatis Tuæ ſupremus Dux Jacobus Pontius armis exterius munimentum civitatis Novogardiæ occuparet, cumque in molimine arcis expugnandæ conſtitutus eſſet, nos Novogardiæ Ordines & cæterarum urbium cives de Chriſtianorum ſalute cogitare cœpimus. Itaque juramento & S. Crucis oſculo Tibi, Potentiſſime Rex Carole, fidem noſtram hac ratione firmavimus, ut tu nempe, Rex Potentiſſime, nos conſervares, imperio protegeres, unumque ex filiis, quem potiſſimum velles, aut Guſtavum Adolphum, aut Carolum Philippum, nobis in Czarum ac Magnum Ducem omnium Ruſſorum, Novogardiæque dominii offerres, cui etiam nos absq; dolo malo omnem fidem & obedientiam exhiberemus. Vice verſa, Regiæ Tuæ Majeſtatis ſupremus Dux, tribuni, Præfecti equitum & Aulici, nomine totius Svecici exercitus tacto S. Evangelio, cum nobis & toto Novogardiæ dominio convenerunt, ut tu, Rex Potentiſſime, noſtri defenſionem ſuſciperes, & alterum filiorum ad nos mitteres. Nos viciſſim ab ipſo impetravimus, ne aliam præter hanc Chriſtinam Religionem nobis obtruderet, nec pateretur quemquam ob eam cauſam ſpoliari aut injuſta nece affici, tum junctis potius cum reliquis Ruſſis viribus,

omni

omni conatu rebelles & hoſtes, utpote Lithuanos & Polonos, profligaret.

Interea Jacobo dicto audientes ſumus, omniaque apud nos rite geruntur, ſummam quoque operam nobiſcum dat, ut refractarias arces, oppida & munimenta ad obſequium futuri Ducis rediganţur. Miſſi denique ſunt legati, viri cujuscunque ordinis lectiſſimi & honoratiſſimi, qui de his tranſigerent, & ab Rege ipſo pacta confirmari curarent. Actum Novogardiæ Anno mundi $\frac{1611}{7119}$. die 27. Auguſti.

(LXXXII.)

Literæ CAROLI, *Epiſcopi Vratislavienſis, ad* LAURENTIUM, *Archipræſulem Gneſnenſem nec non Regni Poloniæ Primatem, quibus ab eo obnixe contendit, velit Sigiſmundo III. Poloniæ Regi ſedulo ſuadere, ut Eccleſiæ ſuæ ab addictis Auguſtanæ Confeſſioni per Sileſiam hominibus nimium quantum afflictæ quantocyus ſuppetias iret, 1619.*

Carolus Dei gratia Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Adminiſtrator Magni Generalatus Pruſſiæ, Magiſter Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam, Epiſcopus Brixinenſis & Vratislavienſis, Comes Hapsburgi & Tyrolis &c.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Amice charisſime.

PRovocavit nos, Reverendiſſimam Dominationem Veſtram hiſce noſtris compellare literis,

Majeſtatis filiis nobis permittas, quem Czarum ac totius Ruſſiæ, omniumque ejus Dominiorum Principem conſtituamus. Quamvis vero Zarvicius Palatinus, Baſilius Ivanoviz Butterlin, cum Majeſtatis Tuæ ſupremo Duce ſæpius de hoc egerint; negotium tamen hoc ad optatum finem perduci non potuit. Poſtremo anno hoc 7119. die 16. Julii providentia Dei accidit, ut Majeſtatis Tuæ ſupremus Dux Jacobus Pontius armis exterius munimentum civitatis Novogardiæ occuparet, cumque in molimine arcis expugnandæ conſtitutus eſſet, nos Novogardiæ Ordines & cæterarum urbium cives de Chriſtianorum ſalute cogitare cœpimus. Itaque juramento & S. Crucis oſculo Tibi, Potentiſſime Rex Carole, fidem noſtram hac ratione firmavimus, ut tu nempe, Rex Potentiſſime, nos conſervares, imperio protegeres, unumque ex filiis, quem potiſſimum velles, aut Guſtavum Adolphum, aut Carolum Philippum, nobis in Czarum ac Magnum Ducem omnium Ruſſorum, Novogardiæque dominii offerres, cui etiam nos abſq; dolo malo omnem fidem & obedientiam exhiberemus. Vice verſa, Regiæ Tuæ Majeſtatis ſupremus Dux, tribuni, Præfecti equitum & Aulici, nomine totius Svecici exercitus tacto S. Evangelio, cum nobis & toto Novogardiæ dominio convenerunt, ut tu, Rex Potentiſſime, noſtri defenſionem ſuſciperes, & alterum filiorum ad nos mitteres. Nos viciſſim ab ipſo impetravimus, ne aliam præter hanc Chriſtinam Religionem nobis obtruderet, nec pateretur quemquam ob eam cauſam ſpoliari aut injuſta nece affici, tum junctis potius cum reliquis Ruſſis viribus, omni

omni conatu rebelles & hostes, utpote Lithuanos & Polonos, profligaret.

Interea Jacobo dicto audientes sumus, omniaque apud nos rite geruntur, summam quoque operam nobiscum dat, ut refractarias arces, oppida & munimenta ad obsequium futuri Ducis redigantur. Missi denique sunt legati, viri cujuscunque ordinis lectissimi & honoratissimi, qui de his transigerent, & ab Rege ipso pacta confirmari curarent. Actum Novogardiæ Anno mundi $\frac{1611}{7119}$. die 27. Augusti.

(LXXXII.)

Literæ CAROLI, Episcopi Vratislaviensis, ad LAURENTIUM, Archipræsulem Gnesnensem nec non Regni Poloniæ Primatem, quibus ab eo obnixe contendit, velit Sigismundo III. Poloniæ Regi sedulo suadere, ut Ecclesiæ suæ ab addictis Augustanæ Confessioni per Silesiam hominibus nimium quantum afflictæ quantocyus suppetias iret, 1619.

Carolus Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Administrator Magni Generalatus Prussiæ, Magister Ordinis Teutonici per Germaniam & Italiam, Episcopus Brixinensis & Vratislaviensis, Comes Hapsburgi & Tyrolis &c.

Illustrissime & Reverendissime Domine, Amice charissime.

PRovocavit nos, Reverendissimam Dominationem Vestram hisce nostris compellare literis,

tum; ea, quam ſedi Metropolitanæ antiquitus debemus connexio; tum etiam Reverendiſſimæ Dom. Veſtr. quam ex Generoſo, Magnifico, fideli, Nobis dilecto, Sigismundo Opacki de Opacka, Regiæ Poloniæ & Sveciæ Majeſtatis & Dilectionis Camerario, & ſupremo ſtabuli Præfecto, nec non noſtro Camerario, uberrime accepimus, pia prorſus & paterna erga afflictam Eccleſiam Noſtram ſollicitudo. Experimur etenim, quanta induſtria, hoſtes Religionis Catholicæ ad opprimendum ſeſe conjungant; nec nos ad propulſandum alia methodo potentius accingi arbitramur, niſi ea, quam ſuperna unitas cunabulis Epiſcopatus noſtri Vratislavienſis primitus indiderat, vicisſim coaleſcente, quam in rem, ſedulo & antiquioribus incumbemus curis. Præterea cenſemus, Illuſtriſſimam D. Veſt. abunde perſpexiſſe, quo in diſcrimine Eccleſia noſtra Vratislavienſis, quin imo totus, qui ſupereſt Catholicus Status, calamitoſo hoc furiarum hæreticarum ſeculo volvatur, & quemadmodum virus peſtilentiſſimum ſeditionis ad funeſtam Catholicorum extirpationem dictu gravius ſerpat & invaleſcat. Non adeo quod diverſos ritus Noſtrates ſectari ſtudeant; ſed magis ut illius prætextu ad bona Eccleſiaſtica aditum ſibi parent, ea diripiant, rem ſuam per illa augeant, atque hanc patriam, quæ olim pro Romana Eccleſia ſæpe arma contra Huſſitas induit, afflictent, confundant, graviſſima ruina involvant. Incredibile enim eſt, quanta inſania Principes, præſertim hujus Provinciæ, in Bohemicas rebellionis tendiculas prolabantur, in perniciem Regis legitimi, & everſionem Religionis Catho-

licæ

licæ conjurent, articulos vere ſacrilegos, quibus Magiſtratum tam Eccleſiaſticum, quam Secularem obruere geſtiunt, unanimi ſuffragio conſtituant: quemadmodum Reverendiſima Dominatio Veſtra ex incluſo concluſionum Bohemicarum exemplo fuſius intelliget: Et niſi Chriſtianorum Regum ac Principum potentia comprimantur, brevi futurum, ut nulla ſit ſubditorum erga Principes & Antiſtites obedientia, nullus ordo, nulla ſuperioritas, nulla religio, niſi quam peſſimus quisque pro libidine animi ſuſceperit, quæ clades finibus noſtris adeo vix coercebitur, quin etiam ad vicinum Poloniæ exuberet, atque erumpat Regnum. Cui ut peſtifero, ita communi malo, extrema hac rerum viciſſitudine, aliunde facilius & tutius occurri poſſe non videmus, quam ex tutelari patrocinio, conterminî Poloniæ Regni. Inde orbata Noſtra Eccleſia defenſionem jure quaſi ſuo expetit: unde olim fundationem accepit, nec fieri poſſe autumat, ut Mater filiæ ſuæ obliviſci, multo minus eidem deeſſe unquam poſſit. Qua fiducia in Reverendiſſ. Dom. Veſt. innixi, conſilium quod ſeſe rebus afflictis inſinuat, eidem exponere ac trutinæ & cenſuræ ejus porrigendum duximus. Duces Noſtrates, qui non ita imitatores, quam autores turbarum Bohemicarum, contra Regem ſuum ſeſe exhibent, Felonia commiſſa, ut Vaſalli omnibus ſuis feudis de jure exciderunt. Executio deſideratur, quæ non incongruo forſitan contingere poſſet modo. Concluſum eſt proxima Vratislavienſi dieta; confinia Sileſiæ Regno Poloniæ contigua, omni ex parte

fossis & fortificationibus circumdare. Est autem circa eosdem limites hujusmodi confusio; ut undequaque in incerto & in lite consistant, quod etiam nullo in loco absq; controversia, præjudicio & læsione finitimi fundi, illud ipsum effici valeat. Quo quidem ex opere veluti novo & suspecto non modo inclytum Poloniæ Regnum injuriam allegare, verum etiam illi, qui in limite Regni habitant, de fundorum suorum dispendio justam querelam & gravamen depromere possint. Sub hac ansa Serenissimus Rex Ferdinandus offensis illis Regni Poloniæ Incolis, vel certe aliis, qui ad hoc negotium aptiores videantur, irruptiones in possessiones Principum conterminas; pro executione ea committere lege, ut juribus & sumptibus suis feuda juris & facti, dispositione caduca occuparent, & tamdiu eadem (subjectione tamen Regi Ferdinando salva) usurparent; quoadusque refusionem cum lucro inde excerpere & reportare possent. Super quo quidem antequam cum Serenissimo Fratre Nostro, Rege Ferdinando, ea de re quidquam communicemus; Nos prius Reverendissimæ Dom. Vestr. implorandum duximus & prudens consilium, & præsens auxilium. Præterea Reverendisimam Dominationem Vestram enixe rogamus, ut ea qua plurimum pollet & potest autoritate, imo celebri suo in protegendo Divino cultu fervore & in Ecclesiam Nostram, jam jam præcipitantem, patrocinio, Serenissimum ac Potentissimum Principem, Dominum Sigismundum III. Regem Poloniæ & Sveciæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ ac Prussiæ, &

Domi-

Dominum affinem & Patrem noſtrum obſervandiſſimum, eo diſponere & eo hortari non intermittat, ut ſua Majeſtas Regno ſuo appropinquantem & minitantem, tam ingentem Chriſtianæ Religionis cladem graſſari & tam pia avorum ſuorum ad æviternam Dei gloriam a ſtirpe fundata ſacraria, poſſeſſiones & bona, a Religioſiſſimis Principibus, locis ſanctis & Perſonis Eccleſiaſticis collata, nefandis applicari & miſere diſtrahi utilitatibus, non conniveat, quin potius pro Regia ſua virtute, omni quo poſſit modo atque ſtudio adniti dignetur; ut in cauſa Religionis & Serenisſimi Regis Ferdinandi, quæ non modo ob ſanguinis conjunctionem, verum etiam ob loci vicinitatem & contagionis periculum, maxime ad eandem pertinet, brachio & viribus ſuis, quibus ad defendendam Eccleſiæ ſalutem, cum inclytis Regni ſui Optimatibus, a Deo præ multis aliis mundi Rectoribus cumulatiſſime adaucta exiſtit, mature ſuccurrat. Serenisſimam Domum noſtram unicam hiſce in partibus Religionis Catholicæ altricem pro ea, quæ in Serenisſimam Poloniæ progeniem redundat ſucceſſione, hæreditariis Regnis & Dominiis ob cauſam Dei, tam turpiter & immerito exui non admittat. Nos vicisſim non modo erga Majeſtatem ſuam Regiam, verum etiam erga Reverendiſſimam Dominationem Veſtram, cui omne, quidquid inde in effectu boni & pii in communem religionis cauſam derivabitur, gratum & acceptum referemus cum tota Serenisſima Familia noſtra omni, quo par eſt, ſtudio & officio rependere enitemur. Datæ

in Civitate Reſidentiæ noſtræ Epiſcopalis Niſſa, die 14. Auguſti Anno 1619.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ

Amicus ſincerus

Carolus mpp.

Inſcriptio a tergo literarum conſpicua.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino LAURENTIO, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, Primoque Principi, Domino & Amico noſtro chariſſimo.

(LXXXIII.)

Literæ CAROLI, Archiducis Auſtriæ & Epiſcopi Vratislavienſis, ad LAURENTIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus ab eo ſollicite efflagitat, dignetur ſibi ſuisque capitulis conſiliis præſto eſſe, qua ratione homagium, intruſo Bohemiæ Regi proxime præſtandum caute evitare poſſint, 1619.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Amice noſter chariſſime.

EOdem tempore redditæ ſunt nobis binæ a duobus Capitulis Nazianzenis, Vratislavienſes literæ; alteræ a Capitulo Eccleſiæ Cathedralis; alteræ a Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Crucis. Quibus quid in hac rerum perturbatione ſequi, quamq; ratioem tenere debeant, & cum ab illis homagium intru-

intruſo Regi Bohemiæ, qui brevi Uratislaviam ventu-rus dicitur, requiratur; quid ſibi hac in parte faciendum ſit, conſilium noſtrum exquirunt. Id totum cum ad univerſam Diœceſim ſpectet; cum Illuſtriſſima & Reverendiſſima Dom. Veſtra communicandum merito duximus, quam & Metropolitanum Noſtrum agnoſcimus & ſingulari in dandis capiendisque conſiliis excellere prudentia non dubitamus. Proinde amanter ab ea requirimus, ut pro Metropolitani vigilantia, & pro ſuo in Nos tamque Serenisſimam Domum Auſtriacam ſtudio, quomodo utriq; huic Capitulo in præſenti negotio reſpondendum cenſeat, conſilium ſuum nobis impertiatur. Graviter quidem ab iis eo nomine peccatum eſt; quod inconſultis nobis, & ſine ſcitu Noſtro, eos articulos, quos deteſtari debuerant, juramento comprobarunt; nihilominus cum ad nos nunc confugiant, vix eſſe conſultum videtur, ut quemadmodum priora, ſic hæc quoque ſuo arbitrio agere permittantur, ſed hæc quidem non attinent, quidquid Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dom. Veſtræ videbitur, id amplectemur. Ut autem luculentius id, quod a nobis petitur, Illuſtriſſima & Reverendiſſima Dom. Veſt. cognoſcat, eas ipſas literas, quæ nobis allatæ ſunt, ad eam transmittimus. Avide igitur reſponſum illius expectabimus; cui ſtudia noſtra deferimus, & felicisſima quæque cum diuturna valetudine exoptamus. Datum Varſaviæ, die ultima Menſis Dec. Anno 1619.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dom.

Veſtræ

Amicus ſincerus

CAROLUS,

(LXXXIV.)

Literæ SIGISMUNDI III. Poloniæ Regis, ad GREGORIUM P. P. XV. belli cum Turcis ad Chocimum gesti & pacis inde secutæ seriem historicam continentes, 1621.

Sanctissime Pater,

CUm dubiis & adversis rebus meis, regnorumque meorum periculis, quæ ob illatum mihi a communi Christiani Nominis hoste Turca bellum imminebat, Sanctitatem Vestram summopere de me fuisse sollicitam satis compertum habeam; ad illam etiam imprimis de præsenti rerum mearum statu referre volui: Magnum id equidem fuisse periculum & majus reliquis omnibus, quæ unquam Respublica Christiana sustinuit, facile quivis ex eo collegerit, quod in perniciem meam vel potius totius Europæ, duo potentissimi Hostes Turca & Tartarus, ambo ingentium exercituum Imperatores & debellati Orbis terrores, uno eodemq; tempore conspiraverint, vires conjunxerint, copias omni apparatu bellico ac ea militum multitudine, quam nunquam hactenus Europa vidit, instructas, finibus ditionum mearum admoverint: eo animo, ut uno impetu, quasi nemo illis esset repugnaturus, omnia sub suam potestatem redigerent. Fateor, beatissime Pater, me expensa periculi magnitudine, merito initio addubitasse, an solius Regni mei viribus, vel primum hostis impetum sustinere possem. Videbam tot Reges, tot Imperatores ab eo hoste longe minoribus copiis cæsos victosque, vel certe turpi conditione, pace redempta, acerbissimum barbaricæ

baricæ ſervitutis jugum ſubiiſſe. Cæterum cum ſemper ea voluntate fuerim, ut optarem vel capitis mei periculo, omne catholicæ Religionis & communis ſalutis diſcrimen excipere; eo animo venienti inimico obviam eundum decrevi, ut ille intelligeret, rem ſibi eſſe cum eo Principe, qui & ſuperbi hoſtis minas contemneret & armati potentiam non reformidaret. Exercitu itaque comparato, Ducibus iis, quorum præclaram ſæpius in re militari virtutem expertus fueram, mandavit, ut in hoſtem ducerent; filium etiam meum Principem Sigismundum Vladislaum, ſummo cum Imperio ad exercitum miſi: ipſe denique advocato Procerum Regni conſilio, comitiisque ejus rei cauſa indictis, univerſis Regni Ordinibus adnitentibus, bellum totis viribus gerendum decrevi. Maturaverat hoſtis adventum ſuum, ea uſus celeritate, ut non modo uſurpatæ a Turcis profectionis morem non obſervaverit; verum etiam famam ipſam nuntiosque omnes prævenerit. Id ita fore ſuſpicati Duces mei, invocato Dei nomine, exercitum Catholico more luſtratum expiatumque, transmiſſo fluvio Tyra, qui meas hoſtilesque ditiones dirimit, in hoſtico collocarunt, caſtra, loco ad arcendum hoſtem peropportuno poſuerunt, eaque vallo & aggere munierunt. Vix crediderat hoſtis, ſuis Noſtrorumque viribus expenſis, Noſtros vel comparere auſos, falſoque ſibi renunciari exiſtimabat, eos ultro obviam proceſſiſſe: cæterum cum in conſpectu uterque eſſet exercitus, quaſi deſtinatam ſibi prædam conſpicati barbari, ita clamore excitato in exercitum meum impetum fe-

domesticis distinetur armis, magis ut ipse auxilio egeat, quam ut alteri opitulari possit. Cæteri Principes Christiani, vel a Nobis imminentique ditionibus Nostris periculo remoti, vel privatis bellis occupati, nihil certi pollicebantur. Sanctitas Vestra ipsamet tot periclitantis & pene labentis Reipublicæ Christianæ distracta curis, quantum præstare posset, jam antea mihi declarayerat. Continuis præterea bellis, & accepta superiori anno clade, vires Regni mei accisæ, in comparando quoque novo exercitu bellicoque apparatu ita exhaustæ erant, ut majoribus iisque diuturnis expensis minime sufficiant. Ab altera parte Svecus perduellis meus, Hæreticus, idemque Turcarum juratus socius traductis per mare copiis, Livoniam Juris Polonici Provinciam hoc ipso tempore infestabat: demum a Rebellibus Cæsareis, iisdemque catholici nominis hostibus Hungaris & Bohemis, omnia suspecta erant. Pacem itaque pacisque conditiones a meis præscriptas & a Turca acceptatas probavi. Factum meum is reprehenderit, qui a periculo remotus, alieno discrimine famam fortitudinis captare vellet. Sanctitatem Vestram non dubito in optimam partem accepturam pro publica salute solicitudinem meam, & eam quam secutus sum conservandi mei Regnorumq; meorum status, consiliorum rationem, Filius meus Princeps Vladislaus, ita in hoc bello versatus est, ut ejus virtus hostibus ipsis admirationi fuerit: hæc sunt Regiæ ejus indolis rudimenta, hæc heroici animi facinora, quæ ille tot jam bellis exercitatus, & ad virtutem formatus Reipublicæ Christianæ & imprimis catholicæ Religioni

gioni juvandæ deinceps devovet. Hunc ego ex me natum, iis eruditum monitis, quæ ad salutem publicam curandam pertinent, præceptis paternis obsequentem & nomini Catholico devotum, Sanctitati Vestræ tanquam communi Parenti filium commendo. Vivat in sinu Ecclesiæ sanctissimisque Sanctitatis Vestræ benedictionibus cumulatus totum se publicæ utilitati impendat. In eam spem & reliqua mea succrescit soboles, & ego ipse, qua mente juvenis fui, & nunc provecta ætate idem sentio: dulce, decorum & optabile esse pro religione Ecclesiaque Catholica mori. Ea voluntate, ut reliqui quoque Principes Christiani sint, consentientibusque studiis ad salutem communem tuendam incumbant, ego & opto inprimis & me quotiescunq; res poposcerit, & securæ sacri fœderis proponentur conditiones, si non ducem, socium certe rei gerendæ fore polliceor. Quod reliquum est me Regnaque mea gratiæ Sanctitatis Vestræ diligentissime commendo. Dat. Anno 1621.

(LXXXV.)

Literæ STANISLAI LUBIENSKII, ad CARDINALEM DE TORRES, Nuntium in Polonia Apostolicum, cui egregiis & laude dignis virtutibus conspicuo, debitum ipsi jam dudum purpuræ honorem collatum esse, submisse gratulatur, 1622.

CUm te, Illustrissime Domine, gravissimo Sanctissimi Domini Nostri judicio sacro Purpuratorum Collegio adscriptum mihi significatum esset,

set, non nova dignitatis tuæ acceſſio mihi viſa eſt, ſed quæ omnium votis jamdiu deſtinata virtutibus tuis debebatur. Ego certe ſimul ac te in Regnum hoc ſanctiſſimi Domini Noſtri & ſanctæ ſedis nomine venientem benigna fortuna in ædes meas intulit: ut vidi, ut complexus ſum, ſtatim id, quod futurum mox erat, judicavi Tibi amplisſimum deberi honorem. Taceo, quod ea familia natus es, quæ ſæpius hac purpura fulſit, fuerit id cujusdam felicitatis, quanquam & hæc ipſa comes eſt virtutis. Sed illa tua pietas, illud eximium propagandæ rei Chriſtianæ ſtudium, illa in honorificentisſimo dignitatis gradu animi moderatio, hanc Tibi dudum texebat veſtem, & ad hoc amplisſimi honoris culmen te ducebat. Suſcepiſti ſacræ Legationis munus eo tempore, cum res Noſtræ pene deploratæ eſſent, cum irruentibus barbaris nemo exterorum Nos non interituros exiſtimaret: ſed erat animi tui contemnere tanta diſcrimina, & ſi quid immineret periculi, ultro appetere. Sic per turbatas bellis civilibus Germanias tranſiiſti, ſic cineres ſemirutæ & fumantis Bohemiæ intrepidus calcaſti, ſic inter micantes Hæreticorum mucrones ſtrictosque in tuam perniciem enſes tuæ immemor ſalutis, memor officii & demandati muneris evaſiſti, & medios arduum tenuiſti per hoſtes iter; ſic fines Regni Noſtri, quaſi in tuto res Noſtræ eſſent, hilaris ingreſſus es: ſic ego te ut Angelum Domini a ſacra Sede miſſum vidi & admiratus ſum, felicitatem quandam ipſo excelſi animi vigore nobis ſpondentem. Non eſt nec erit unquam obſcura hæc tam eximia

eximia animi Magnitudo, in ſuſcipiendo & obeundo tam arduo & difficili munere, contemptisque periculis declarata: atque ut tu ea in re inſtitiſti veſtigiis majorum tuorum, ſic mox erunt eadem ſtirpe orti, qui admiratione heroicarum virtutum tuarum ad ſimiles pro Eccleſia Dei auſus excitabuntur. Floreat augeaturque tam nobilis ſanguinis propago, quæ tot in omni genere virtutis excellentes protulit viros, qui rerum geſtarum gloria, præcipuas Orbis Chriſtiani partes illuſtrarunt. Felices & Nos, qui te ſacra fulgentem purpura in Patria Noſtra conſpicimus: qui non tua ſolum cauſa, ſed Noſtra etiam gaudemus, te ea dignitate quæ ſumma eſt, eſſe auctum, cum ab omni ambitione ſemotus demandatum tibi munus in hoc arctoi orbis theatro egregia cum laude obires; cum Sereniſſimus Rex Noſter, acerrimus virtutum cenſor, in te maxime propenderet; cum omnes omnium hujus Regni Ordinum homines in admirationem amplitudinis tuæ rapti ampliſſima dignitate te dignum eſſe judicarent. Nunc certe, uti nemo eſt in tota Polonia, qui non ea dignitatis acceſſione, qua auctus es, lætetur; qui non ampliſſima quæque voveat & exoptet: ita ego ut Deus a devotis tibi animis profecta vota rata habere, teque diu incolumem eſſe velit, toto pectore eum rogo. Ex Monaſterio Tinecenſi die 24. Auguſti Anno 1622.

Inſcriptio.

Coſmo Cardinali de Torres, Stanislaus Lubienski.

Varſaviam.

(LXXXV.)

in Civitate Reſidentiæ noſtræ Epiſcopalis Niſſa, die 14. Auguſti Anno 1619.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ

Amicus ſincerus

Carolus mpp.

Inſcriptio a tergo literarum conſpicua.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino LAURENTIO, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, Primoque Principi, Domino & Amico noſtro chariſſimo.

(LXXXIII.)

Literæ CAROLI, Archiducis Auſtriæ & Epiſcopi Vratislavienſis, ad LAURENTIUM, Regni Poloniæ Primatem, quibus ab eo ſollicite efflagitat, dignetur ſibi ſuisque capitulis conſiliis præſto eſſe, qua ratione homagium, intruſo Bohemiæ Regi proxime præſtandum caute evitare poſſint, 1619.

Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Amice noſter chariſſime.

EOdem tempore redditæ ſunt nobis binæ a duobus Capitulis Nazianzenis, Vratislavienſes literæ; alteræ a Capitulo Eccleſiæ Cathedralis; alteræ a Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Crucis. Quibus quid in hac rerum perturbatione ſequi, quamq; ratioem tenere debeant, & cum ab illis homagium intru-

intruſo Regi Bohemiæ, qui brevi Uratislaviam venturus dicitur, requiratur; quid ſibi hac in parte faciendum ſit, conſilium noſtrum exquirunt. Id totum cum ad univerſam Diœceſim ſpectet; cum Illuſtriſſima & Reverendiſſima Dom. Veſtra communicandum merito duximus, quam & Metropolitanum Noſtrum agnoſcimus & ſingulari in dandis capiendisque conſiliis excellere prudentia non dubitamus. Proinde amanter ab ea requirimus, ut pro Metropolitani vigilantia, & pro ſuo in Nos tamque Serenisſimam Domum Auſtriacam ſtudio, quomodo utriq; huic Capitulo in præſenti negotio reſpondendum cenſeat, conſilium ſuum nobis impertiatur. Graviter quidem ab iis eo nomine peccatum eſt; quod inconſultis nobis, & ſine ſcitu Noſtro, eos articulos, quos deteſtari debuerant, juramento comprobarunt; nihilominus cum ad nos nunc confugiant, vix eſſe conſultum videtur, ut quemadmodum priora, ſic hæc quoque ſuo arbitrio agere permittantur, ſed hæc quidem non attinent, quidquid Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dom. Veſtræ videbitur, id amplectemur. Ut autem luculentius id, quod a nobis petitur, Illuſtriſſima & Reverendiſſima Dom. Veſt. cognoſcat, eas ipſas literas, quæ nobis allatæ ſunt, ad eam transmittimus. Avide igitur reſponſum illius expectabimus; cui ſtudia noſtra deferimus, & felicisſima quæque cum diuturna valetudine exoptamus. Datum Varſaviæ, die ultima Menſis Dec. Anno 1619.

Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dom.

Veſtræ

Amicus ſincerus

CAROLUS,

(LXXXIV.)

Litera SIGISMUNDI III. Poloniæ Regis, ad GREGORIUM P. P. XV. belli cum Turcis ad Chocimum gesti & pacis inde secutæ seriem historicam continentes, 1621.

Sanctissime Pater,

CUm dubiis & adversis rebus meis, regnorumque meorum periculis, quæ ob illatum mihi a communi Christiani Nominis hoste Turca bellum imminebat, Sanctitatem Vestram summopere de me fuisse sollicitam satis compertum habeam; ad illam etiam imprimis de præsenti rerum mearum statu referre volui. Magnum id equidem fuisse periculum & majus reliquis omnibus, quæ unquam Respublica Christiana sustinuit, facile quivis ex eo collegerit, quod in perniciem meam vel potius totius Europæ, duo potentissimi Hostes Turca & Tartarus, ambo ingentium exercituum Imperatores & debellati Orbis terrores, uno eodemq; tempore conspiraverint, vires conjunxerint, copias omni apparatu bellico ac ea militum multitudine, quam nunquam hactenus Europa vidit, instructas, finibus ditionum mearum admoverint: eo animo, ut uno impetu, quasi nemo illis esset repugnaturus, omnia sub suam potestatem redigerent. Fateor, beatissime Pater, me expensa periculi magnitudine, merito initio addubitasse, an solius Regni mei viribus, vel primum hostis impetum sustinere possem. Videbam tot Reges, tot Imperatores ab eo hoste longe minoribus copiis cæsos victosque, vel certe turpi conditione, pace redempta, acerbissimum barbaricæ

baricæ ſervitutis jugum ſubiiſſe. Cæterum cum ſemper ea voluntate fuerim, ut optarem vel capitis mei periculo, omne catholicæ Religionis & communis ſalutis diſcrimen excipere; eo animo venienti inimico obviam eundum decrevi, ut ille intelligeret, rem ſibi eſſe cum eo Principe, qui & ſuperbi hoſtis minas contemneret & armati potentiam non reformidaret. Exercitu itaque comparato, Ducibus iis, quorum præclaram ſæpius in re militari virtutem expertus fueram, mandavit, ut in hoſtem ducerent; filium etiam meum Principem Sigismundum Vladislaum, ſummo cum Imperio ad exercitum miſi: ipſe denique advocato Procerum Regni conſilio, comitiisque ejus rei cauſa indictis, univerſis Regni Ordinibus adnitentibus, bellum totis viribus gerendum decrevi. Maturaverat hoſtis adventum ſuum, ea uſus celeritate, ut non modo uſurpatæ a Turcis profectionis morem non obſervaverit; verum etiam famam ipſam nuntiosque omnes prævenerit. Id ita fore ſuſpicati Duces mei, invocato Dei nomine; exercitum Catholico more luſtratum expiatumque, transmiſſo fluvio Tyra, qui meas hoſtilesque ditiones dirimit, in hoſtico collocarunt, caſtra, loco ad arcendum hoſtem peropportuno poſuerunt, eaque vallo & aggere munierunt. Vix crediderat hoſtis, ſuis Noſtrorumque viribus expenſis, Noſtros vel comparere auſos, falſoque ſibi renunciari exiſtimabat, eos ultro obviam proceſſiſſe: cæterum cum in conſpectu uterque eſſet exercitus, quaſi deſtinatam ſibi prædam conſpicati barbari, ita clamore excitato in exercitum meum impetum fe-

cerunt, ut nonnisi victoria potiti pedem relaturi viderentur. Sed enim ea fides, constantia & virtus meorum militum fuit; ut non solum vanam barbarorum vociferationem contempserint, verum patefactis portis temere subeuntes pecudum instar eciderint, longe a Valle submotos, fugientesque in castra compulerint, cadaveribus hostium campos interjacentes straverint. Irritavit ea res barbari juvenis bilem, ut in eos quidem, qui loco cesserant, acerbissimis sæviret pœnis, alios vero propositis ingentibus præmiis ad capessendam pugnam alliceret: sed facto sæpius ejus rei experimento, totiesq; magna strage repulsis & toto campo palantibus Turcis, cum appareret copiis tantum eos superiores esse, cæterum ubi ad arma ventum fuerit, & virum viro conferas, non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis parem Polono esse Turcam; ad alias conversus artes barbarus, atque quo Nostros ea qua abundabat multitudine circumveniret, longius a castris protrahere conabatur. Sed is quoque patuit dolus, nostri enim gnari, quo hostiles tenderent conatus, explicatis sub vallo copiis pugnæ aleam se subire paratos esse ostenderunt. Ita cum hostes sæpius fusi fugatique ac propriis accedere nollent; & nostri vicissim non nisi sub ipsis castris armatam explicatamque aciem tenerent, levi deinceps certamine res acta. Ad extremum fessi hostes & spe dejecti, cum quotidie suos non in acie modo cadere, sed ex diuturno castrorum situ vulgatis passim morbis absumi, neque universa nobilitate excita in itinere esse cernerent, primi per interruntios pacis mentionem fe-

cere;

cere; ſuperbis primo, ut barbarorum mos eſt, propoſitis conditionibus; mox iis acceptis, quas ei rei cauſa ab Ordinibus Regni deſtinati bellici Conſiliarii tulerunt. Is exitus fuit tantorum, conatuum, quibus barbaries univerſa in perniciem meam, regnorumq; meorum hoc anno incubuerat. Recepit ſe Turcarum Imperator, priorq; ex campo (hæc enim una ex conditionibus latis erat) ſuas ſubduxit copias; amiſſis præcipuis quibusq; militibus, & belli Ducibus, amiſſo aut corrupto belli apparatu, victo ſimilis. Sed ego divinum excolo & agnoſco patrocinium, Deo ſalutem partam me debere profiteor. Scio me plenam non conſecutum victoriam, ſed tamen id adeptum, quod hactenus in votis Chriſtianis Principibus fuit: ut tantus hoſtilis apparatus fruſtra eſſet & ambitioſis inflatus victoriis, tandem vincere dediſceret, atq; ne palmo etiam terræ e meis ditionibus adempto arma deponeret. Neque ſcio an in præſenti rerum Chriſtianarum ſtatu magis id optabile non fuerit, quam ipſa potiri victoria: Non enim is eſt Turca, qui ſemel victus vires reſumere non poſſit: non armis, ſed ſeculis vincendus eſt. Ejus rei documento eſſe poſſunt vel Romani Imperatores, de Hungaria cum illo ambiguo ſemper Marte certantes, vel potentiſſimi Perſarum Reges tot jam ſeculis dubio eventu bella cum eo hoſte gerentes. Deſcendiſſem ego in certamen ſocialium virium fiducia, ſed quam eæ dubiæ, quam incertæ ſint, quam periculoſe eis credi poſſit, animadvertit Sanctitas Veſtra. Ardet internecino bello Germania univerſa, ac Hungariæ Bohemiæque vicina Regna. Sereniſſimus Imperator Romanus, cognatus & affinis meus, ita dome-

domeſticis diſtinetur armis, magis ut ipſe auxilio egeat, quam ut alteri opitulari posſit. Cæteri Principes Chriſtiani, vel a Nobis imminentique ditionibus Noſtris periculo remoti, vel privatis bellis occupati, nihil certi pollicebantur. Sanctitas Veſtra ipſamet tot periclitantis & pene labentis Reipublicæ Chriſtianæ diſtracta curis, quantum præſtare poſſet, jam antea mihi declarayerat. Continuis præterea bellis, & accepta ſuperiori anno clade, vires Regni mei acciſæ, in comparando quoque novo exercitu belliçoque apparatu ita exhauſtæ erant, ut majoribus iisque diuturnis expenſis minime ſuffeciſſent. Ab altera parte Svecus perduellis meus, Hæreticus, idemque Turcarum juratus ſocius traductis per mare copiis, Livoniam Juris Poloniici Provinciam hoc ipſo tempore infeſtabat: demum a Rebellibus Cæſareis, iisdemque catholici nominis hoſtibus Hungaris & Bohemis, omnia ſuſpecta erant. Pacem itaque pacisque conditiones a meis præſcriptas & a Turca acceptatas probavi. Factum meum is reprehenderit, qui a periculo remotus, alieno diſcrimine famam fortitudinis captare vellet. Sanctitatem Veſtram non dubito in optimam partem accepturam pro publica ſalute ſolicitudinem meam, & eam quam ſecutus ſum conſervandi mei Regnorumq; meorum ſtatus, conſiliorum rationem, Filius meus Princeps Vladislaus, ita in hoc bello verſatus eſt, ut ejus virtus hoſtibus ipſis admirationi fuerit: hæc ſunt Regiæ ejus indolis rudimenta, hæc heroici animi facinora, quæ ille tot jam bellis exercitatus, & ad virtutem formatus Reipublicæ Chriſtianæ & imprimis catholicæ Religioni

gioni juvandæ deinceps devovet. Hunc ego ex me natum, iis eruditum monitis, quæ ad ſalutem publicam curandam pertinent, præceptis paternis obſequentem & nomini Catholico devotum, Sanctitati Veſtræ tanquam communi Parenti filium commendo. Vivat in ſinu Eccleſiæ ſanctiſſimisque Sanctitatis Veſtræ benedictionibus cumulatus totum ſe publicæ utilitati impendat. In eam ſpem & reliqua mea ſuccreſcit ſoboles, & ego ipſe, qua mente juvenis fui, & nunc provecta ætate idem ſentio: dulce, decorum & optabile eſſe pro religione Eccleſiaque Catholica mori. Ea voluntate, ut reliqui quoque Principes Chriſtiani ſint, conſentientibusque ſtudiis ad ſalutem communem tuendam incumbant, ego & opto inprimis & me quotiescunq; res popoſcerit, & ſecuræ ſacri fœderis proponentur conditiones, ſi non ducem, ſocium certe rei gerendæ fore polliceor. Quod reliquum eſt me Regnaque mea gratiæ Sanctitatis Veſtræ diligentiſſime commendo. Dat. Anno 1621.

(LXXXV.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, *ad* CARDINALEM DE TORRES, *Nuntium in Polonia Apoſtolicum, cui egregiis & laude dignis virtutibus conſpicuo, debitum ipſi jam dudum purpuræ honorem collatum eſſe, ſubmiſſe gratulatur, 1622.*

CUm te, Illuſtriſſime Domine, graviſſimo Sanctiſſimi Domini Noſtri judicio ſacro Purpuratorum Collegio adſcriptum mihi ſignificatum eſſet,

set, non nova dignitatis tuæ acceſſio mihi viſa eſt, ſed quæ omnium votis jamdiu deſtinata virtutibus tuis debebatur. Ego certe ſimul ac te in Regnum hoc ſanctiſſimi Domini Noſtri & ſanctæ ſedis nomine venientem benigna fortuna in ædes meas intulit: ut vidi, ut complexus ſum, ſtatim id, quod futurum mox erat, judicavi Tibi amplisſimum deberi honorem. Taceo, quod ea familia natus es, quæ ſæpius hoc purpura fulſit, fuerit id cujusdam felicitatis, quanquam & hæc ipſa comes eſt virtutis. Sed illa tua pietas, illud eximium propagandæ rei Chriſtianæ ſtudium, illa in honorificentisſimo dignitatis gradu animi moderatio, hanc Tibi dudum texebat veſtem, & ad hoc amplisſimi honoris culmen te ducebat. Suſcepiſti ſacræ Legationis munus eo tempore, cum res Noſtræ pene deploratæ eſſent, cum irruentibus barbaris nemo exterorum Nos non interituros exiſtimaret: ſed erat animi tui contemnere tanta diſcrimina, & ſi quid immineret periculi, ultro appetere. Sic per turbatas bellis civilibus Germanias tranſiiſti, ſic cineres ſemirutæ & fumantis Bohemiæ intrepidus calcaſti, ſic inter micantes Hæreticorum mucrones ſtrictosque in tuam perniciem enſes tuæ immemor ſalutis, memor officii & demandati muneris evaſiſti, & medios arduum tenuiſti per hoſtes iter; ſic fines Regni Noſtri, quaſi in tuto res Noſtræ eſſent, hilaris ingreſſus es: ſic ego te ut Angelum Domini a ſacra Sede miſſum vidi & admiratus ſum, felicitatem quandam ipſo excelſi animi vigore nobis ſpondentem. Non eſt nec erit unquam obſcura hæc tam

eximia

eximia animi Magnitudo, in ſuſcipiendo & obeundo tam arduo & difficili munere, contemptisque periculis declarata: atque ut tu ea in re inſtitiſti veſtigiis majorum tuorum, ſic mox erunt eadem ſtirpe orti, qui admiratione heroicarum virtutum tuarum ad ſimiles pro Eccleſia Dei auſus excitabuntur. Floreat augeaturque tam nobilis ſanguinis propago, quæ tot in omni genere virtutis excellentes protulit viros, qui rerum geſtarum gloria, præcipuas Orbis Chriſtiani partes illuſtrarunt. Felices & Nos, qui te ſacra fulgentem purpura in Patria Noſtra conſpicimus: qui non tua ſolum cauſa, ſed Noſtra etiam gaudemus, te ea dignitate quæ ſumma eſt, eſſe auctum, cum ab omni ambitione ſemotus demandatum tibi munus in hoc arctoi orbis theatro egregia cum laude obires; cum Sereniſſimus Rex Noſter, acerrimus virtutum cenſor, in te maxime propenderet; cum omnes omnium hujus Regni Ordinum homines in admirationem amplitudinis tuæ rapti amplisſima dignitate te dignum eſſe judicarent. Nunc certe, uti nemo eſt in tota Polonia, qui non ea dignitatis acceſſione, qua auctus es, lætetur; qui non amplisſima quæque voveat & exoptet: ita ego ut Deus a devotis tibi animis profecta vota rata habere, teque diu incolumem eſſe velit, toto pectore eum rogo. Ex Monaſterio Tinecenſi die 24. Auguſti Anno 1622.

Inſcriptio.

Coſmo Cardinali de Torres, Stanislaus Lubienski.

Varſaviam.

(LXXXV.)

Digitized by Google

(LXXXVI.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Episcopi Luceoriensis & Regni Poloniæ Procancellarii, ad GEORGIUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, cui Regis sui nomine valde exprobrat, quod non impediverit, quo minus soror sua, Gabrieli Bethlemio, Principi Transylvaniæ, notorio Regni Poloniæ hosti in matrimonium collocata fuisset, 1625.

GEORGIO WILHELMO, Electori Brandenburgico, STANISLAUS LUBIENSKI, Episcopus Luceoriensis, Regni Procancellarius.

CUr Sacra Regia Majestas Dominus Noster Clementissimus, cur Ordines Regni minus probent hanc Serenitatis Vestræ, vel potius Sudermanniæ Ducis cum Bethlemio, Serenitate Vestra annuente, conjunctionem, paucis ego eo nomine a Serenitate Vestra interpellatus explicabo, ratus meam libertatem vel candorem potius in optimam partem acceptum iri. Eo animo sacra Regia Majestas Dominus Noster clementissimus, ac inclyti Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ Ordines, Serenissimam Domum Brandenburgicam, sanguinis arctiori nexu Regibus Poloniæ dudum obstrictam novissimi beneficii accessione obligandam putarunt, ut contra omnes hostes amicitiarum illustriorum incremento, paratiores tutioresque essent: sed præcipua cura Regiæ Majestati fuit, de recuperando Regno Sveciæ, quod injuste interceptum, propinquus quidem agnatus,

sed

ſed idem juratus hoſtis detinet. Ad id efficiendum quid Sereniſſimus Serenitatis Veſtræ avus, quid deinceps Sereniſſimus Parens ſe allaturos, quæ auxilia conciliaturos promiſerint, recens eſt memoria; ſed illis deeſſe fortaſſe poterat occaſio bene in hoc negotio de Sacra Regia Majeſtate merendi: Serenitas Veſtra ſtatim ac Principatus poſſeſſionem adiit, multa quoque imprimis ſigna dedit ſuæ erga Regiam Majeſtatem optimæ voluntatis, quæ tamen mox collocata in matrimonium Regiæ Majeſtatis hoſti ſorore ſua in dubium vocari potuiſſent, niſi Serenitas Veſtra conſtanti aſſeveratione, ſe inſcio id factum fuiſſe, teſtata eſſet. Non ignotæ erant Serenitati Veſtræ Regiæ Majeſtatis de minus ſincera Bethlemii erga Regiam Majeſtatem Regnumque Poloniæ voluntate graviſſimæ ſuſpiciones, inde ortæ, quod cum Turcis contra exercitus Noſtros ſteterit, quod ſæpius ad vaſtandas regiones noſtras Tartaros incitaverit, quod ſuſcipiendi contra Nos belli Osmanno Turcarum Imperatori auctor præcipuus fuerit. Iſta quidem tanquam ab homine Turcicæ ſervituti obnoxio profecta minus nos afficiebant, cæterum clandeſtinæ ipſius cum hoſte Svevo in perniciem Reipublicæ Polonæ & Regiæ Majeſtatis conſpirationes, interceptis anno ſuperiori literis deprehenſæ, affectataque ſub hoc prætextu affinitas, quo ille eſſet erga Nos animo, & quid nova hac conjunctione peteret, luculenter declararunt: Et Serenitas Veſtra hoc nomine per Internuntium Regiæ Majeſtatis interpellata, ac de perniciosis Bethlemii tentamentis edocta, quam alieno eſſet ab ineunda cum ho-

ſte affinitate animo palam oſtendit. Nunc mutatæ voluntatis ſuæ, nullam aliam Serenitas Veſtra adfert rationem, niſi quod licuerit ſemper familiæ ſuæ ſuo arbitratu affinitates contrahere: facile quidem id conceſſerim, niſi ea fides, qua Regiæ Majeſtati & Reipublicæ Serenitas Veſtra obſtricta eſt, interceſſiſſet: niſi Serenitas Veſtra feudoligio devincta, ſe hoſtibus Reipublicæ hoſtem fore ſpopondiſſet; niſi ſeria & plane paterna Regiæ Majeſtatis cohortatione, ne hominem male erga Regiam Majeſtatem animatum, nova cum hoſte Sveco affinitate conjungi pateretur Serenitas Veſtra, admonita eſſet, niſi denique Serenisſimam Sororem hoſti Reipublicæ nunquam ſe deſponſaturam promiſiſſet. Quæ cum ita ſint, facile Serenitas Veſtra ſtatuere poteſt, quid & Sacra Regia Majeſtas, quid amplisſimi Ordines, de Serenitatis Veſtræ ſincera propenſione ſint deinceps opinaturi; & quas rationes, ne quid detrimenti per eam occaſionem capiat, inituri. Illuſtraturumne ſit hoc matrimonium ſplendorem Domus Brandenburgicæ, in Dei manu ſituni eſt; verumenimvero terrent Nos ſuperiorum temporum exempla, vel triſtisſima potius ejusmodi affinitatis experimenta. Sigismundus primus Poloniæ Rex (cujus filia ſerenisſimi Serenitatis Veſtræ avi mater fuit) Iſabellam filiam Joanni Zapolio tum quidem Regnum Hungariæ Budamque ipſam tenenti in matrimonium collocaverat; ſed eo mox vita functo infauſti nominis Regina, armis Turcicis, quorum præſidio maritus nitebatur, Regno cum filio exacta, niſi in Polonia receptum habuiſſet, mendicata ſtipe victus ei quæ-

ren-

rendus fuiſſet. Nuper Sigismundo Bathoreo, cui ſi nihil domeſtici ſplendoris ineſſet, ſatis illuſtris Stephano Rege Poloniæ patruo exiſtimari poterat, magna ſpe nuptam vidimus Sereniſſimam Archiducem Auſtriæ, ſed quam triſti exitu ne commemorare quidem libet. Bethlemio an bene cum Regia Majeſtate conveniat, nobis non ſatis conſtat; erga Nos certe, qua ille ſit voluntate, communicatis cum Sveco hoſte, in perniciem Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Noſtræ conſiliis ipſe ſe prodidit. Ex uſu quidem Reipublicæ Noſtræ nunquam fuit, ut fœdus cum iis paciſceremur, qui ſub alieno vivunt Imperio. Ad me quod attinet, cum probe norim, quam propenſa voluntate Sacra Regia Majeſtas Sereniſſimæ Domui Brandenburgicæ ſemper faverit, ego quoque & fauſta quæque Serenitati Veſtræ voveo, & illud imprimis opto, ut de Serenitate Veſtra quam optime mereri poſſim. Allatæ quoque erant ad Sereniſſimum Principem Dominum Johannem Albertum, Serenitatis Veſtræ literæ, ſed cum eum titulum, qui Regum filiis judicio orbis univerſi debetur (errore fortaſſe ſcribentis) non præ ſe ferrent, ad eas nullum reſponſum dati viſum. Humillima mea obſequia Serenitati Veſtræ defero. Ciemerniciis die decima tertia Decembris Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto.

(LXXXVII.)

Literæ STANISLAI LUBIENSKII, *Epiſcopi Lucrorienſis & Procancellarii Regni Poloniæ, ad* CAROLUM a DOHNA, *Cæſareæ*

Majestatis Consiliarium, cui, quam fœde Elector Brandenburgicus datam Regno Poloniæ fidem fefellerit, nuntiat, 1627.

CAROLO à DOHNA, Cæsareæ Majestatis Consiliario, Stanislaus Lubienski Episcopus Luceorienſis, Regni Poloniæ Procancellarius.

SPerabamus equidem, Electorem Brandenburgicum vel sua sponte vel tua cohortatione, vel fidei officiique sui rationibus expensis ad causam Regiæ Majestatis & Reipublicæ consilia, conatusque suos accommodaturum, & ita fere Comes Schwartzenbergicus ejus nomine Legatione apud Sacram Regiam Majestatem functus pollicebatur. Sed ecce post discessum tuum hæc interim contigerunt. Regiomontani, quas suo ære conduxerunt peditum cohortes, has exauctoratas, præsente & inspectante Domino Electore, navibus impositas ad hostem miserunt. Excusavit hoc factum Dominus Elector, quod Magistratus Regiomontanus non sit omnino in sua potestate, & pleraque arbitratu suo agat; sed non sine risu accepta ea excusatio. Optime enim Nobis notum est nutu Domini Electoris omnia isthic geri, sed adeo parum caute negotia, quibus salus Reipublicæ innititur, tractari, ut non sine ingenti existimationis tanti Principis jactura, magna suspicio subsit mutuæ cum hoste pactionis. Impune milites Brandenburgici cum Sveticis congrediuntur, colloquia & consilia miscent, & quod nuper capti milites fassi sunt, unus idemque militum Præfectus & in exerci-

ercitu Guſtavi cohorti præeſt, & apud Electorem eodem tempore alteram ducit. Nimis incurioſi Electorales Conſiliarii videntur & publicæ ſalutis & Principis ſui dignitatis obliti: de Nobis vero ita ſentiunt, quaſi hæc animadvertere & expendere neſciamus. Sed pernicioſa conſilia ultro ſe produnt, nec diu fucata perfidia latere poteſt. Idem Comes Schwartzenbergicus receperat ſe effecturum, ut Dominus Elector ad Exercitum Noſtrum ſubmitteret mille ducentos pedites & tria tormenta majora, ad quatiendos muros apta. Poterat id fieri ſine ullo diſcrimine, dum a Noſtris Braunsberga oppugnabatur; ſed dilata res hæc, ut hoſtis de hoc ſubſidio non ſolum certior fieret, verum etiam ad intercipiendam hanc militarem manum paratus eſſet, qua de re communicata fuiſſe cum illo conſilia, ita liquide conſtat, ut negari non poſſit. Nam & Schwartzenbergicus Comes ad me datis literis quaſi præſaga mente ſcripſerat, ſe vereri, ne ab hoſte ſubſidium hoc interciperetur, & Nos id ita fore prædixeramus, factumque eſt, ut conſulto cohortes iſtæ Brandenburgicæ eo ducerentur, ubi ab hoſte ſtructæ erant inſidiæ: nec multum hoſti in his intercipiendis laborandum fuit, ultro, eo viſo, ſigna translata & infamis facta deditio. Remita fuiſſe actam fatentur nonnulli Nobiles vere Germana fide Germani, qui infamia facti moti ad Noſtros transfugerunt, teſtati flagitium hoc militaris proditionis ſibi magnopere displicere, ſeque ignaros & a Ducibus circumventos eam infamiam incurriſſe. Hæc tibi ſignificanda putavi, quem non dubito doliturum, ita Domi-

num Electorem ſuis Conſiliariis obſequi, ut ejus officium deſideretur, & hic Princeps tot a Regia Majeſtate auctus beneficiis, nequaquam illis reſpondere videatur. Exactos ex Sileſia Cæſareæ Majeſtatis hoſtes, nos & gratulamur & gaudemus: paremque in aliis locis ſucceſſum ex animo conceptis ad Deum votis optamus. Studia & officia mea tibi defero, florentemque fortunarum & dignitatis incrementis diu valere percupio. Varſaviæ Anno 1627.

(LXXXVIII.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad GEORGIUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus eum ſedulo hortatur, ut obligationis erga Poloniam ſuæque ſalutis memor, ipſi adverſus quoscunque hoſtes ſuppetias ferret, 1629.

Georgio Wilhelmo, Electori Brandenburgico, Stanislaus Lubienski, Epiſcopus Plocenſis.

ET literas meas redditas eſſe Serenitati Veſtræ non dubito, & de mea erga ſe voluntate eo Serenitatem Veſtram eſſe ſenſu cenſeo, ut mea conſilia, measque cohortationes ab amico pectore profectas, non omnino aſpernandas eſſe exiſtimet: cæterum quia in eodem adhuc hæremus vado, & officium Senatoriæ functionis a nobis poſtulat, ut ad omnes Reipublicæ partes intenti paratique ſimus, ſtudiaque eorum, qui communis Patriæ ſalutem & debent & poſſunt tueri, excitemus, nemini videri debeo importunus, ſi ſæpius Serenita-

nitati Veſtræ propoſita iteratis ſuggeſſero literis. Communis cauſa eſt, quam tuemur, patria una eademque eſt, cujus ſalus Nobis curæ eſt. Pruſſia ſine Polonia ſalva eſſe non poteſt, in eadem omnes navigamus navi: Serenitas Veſtra propior gubernaculo & clavo, quem niſi ſerio hac tempeſtate regendum ſuſceperit, non magnam laudem merebitur diſſimulatione communis periculi. Scripſi aliquando, non id præcipuum Serenitatis Veſtræ munus eſſe, ut hoſtem (cum quo Serenitati Veſtræ magna eſt ſanguinis neceſſitudo) paci amplectendæ idoneum reddat, quod quidem nemo improbaverit, ſed aliquid amplius a Serenitate Veſtra deſiderari, nimirum ut officii ſui partes diligentius expendat, quid Reipublicæ Polonæ, quid Regiæ Majeſtati debeat, æqua lance exploret. Hos intra terminos niſi Serenitas Veſtra conſtiterit, niſi palam Regiæ Majeſtati & Reipublicæ Polonæ ſtudium, fortunas, vitamque ſuam addixerit, quid de Serenitatis Veſtræ officio ſit ſera poſteritas exiſtimatura, nemo eſt, qui non videat. Fides eſt, quæ Principes ſummi ſplendoris decore illuſtrat, poſſunt (etiamſi minime licet) privati homines interdum fingere, ſimulare vultum, fortunæ ſe accommodare & magis propriæ quam publicæ ſalutis ducere rationem: Ii, qui eminent, latere non poſſunt, eorum non ſolum actiones, ſed & taciti mentis conceptus conſpiciuntur. Sunt multi, qui Serenitatem Veſtram hoc bello Pruſſico officio ſuo functam eſſe affirmant, plures, qui multa requirunt. Ego, niſi Serenitas Veſtra aperte in cauſam deſcenderit, Suamque Sacræ Regiæ Majeſtati,

quem Patris loco, idque merito colendum pridem ſibi deſumpſit, voluntatem comprobaverit, vires ſuas opesque omnes ad tuendam communem ſalutem contulerit, diverſis hominum judiciis actiones Serenitatis Veſtræ obnoxias fore prævideo. Male expendunt Regni Poloniæ vires, qui eas ita Sveticis conferunt, ut non multo plus roboris in illis eſſe judicent; fateor hunc hoſtem ſatis vigilare & accumulandis Nobis periculis, non tam boni viri, quam acerrimi hoſtis fungi officio. Turcica in Nos, Tartarica & Moſcovitica commovet arma, & jam ea nobis imminere videmus; ita tamen ab ea parte tuti ſumus, eos ferocienti barbariei exercitus objecimus, ac ſi nullum in Pruſſia & Livonia bellum haberemus. Citius Svecus fatigabitur, quam ut vires noſtras atterat, divino nutu hæc tam ampla Reipublicæ coaluit compago, niſi cœleſti Decreto diſſolvenda. Fruſtra Moſchus, fruſtra Turca, cum alia occuparet Imperia, in noſtram incubuit perniciem, & Svecus nondum expertus eſt, quid concors in ſua cauſa poſſit Polonia. Sed Serenitati Veſtræ hæc ſatis nota ſunt, cujus dignitati non bene ii conſulunt, qui Serenitatem Veſtram ſine Rege, & ſine Regno Poloniæ vel laude clareſcere, vel ſalvam eſſe poſſe cenſent. Expectamus, quid Chriſtianiſſimi Regis Orator interim efficiet; cætera Divina Majeſtas, quæ optimæ cauſæ ſemper favet, moderabitur. Obſequia mea defero Serenitati Veſtræ ejusdemque gratiæ me diligentiſſime commendo. Datum ex arce mea Pultovienſi, die vigeſima quarta Auguſti Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono.

(LXXXIX.)

Digitized by Google

(LXXXIX.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad GEORGIUM WILHELMUM, Electorem Brandenburgicum, quibus ipſi gaudium ob fidem denuo Poloniæ Regi datam mutuamque animorum conjunctionem conceptum, & ſi forſitan liberius hactenus, quam par erat, ſcripſiſſe, Electori videretur, id ex candida bene de eo merendi voluntate profectum eſſe teſtatur, 1629.

Georgio Wilhelmo, Electori Brandenburgico, Stanislaus Lubienski, Epiſcopus Plocenſis.

COnſtans mea bene de Serenisſima Celſitudine Veſtra merendi voluntas, haud ignota eſſe potuit iis, qui unquam in aula Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini mei Clementisſimi, negotia Serenitatis Veſtræ tractarunt; Ita enim exiſtimo, me ea officia, quæ Serenitati Veſtræ præſto, ſimul Reipublicæ, cujus Serenitas Veſtra pars eſt, & Regiæ Majeſtati, quam tam arcto ſanguinis nexu contingit, impendere. Itaque & Serenitatis Veſtræ Legatis ea ſuaſi, quibus ſciebam ſiniſtras quasdam ſuſpiciones, quibus dignitas Serenitatis Veſtræ opinione populari onerabatur, utcumque aboleri poſſe. Qua in re, ſi primis exorti hujus in Pruſſia belli initiis voluntati & perſuaſionibus Sacræ Regiæ Majeſtatis paritum & portus Pilavienſis meliori præſidio firmatus fuiſſet, non adeo prompta omnia ad occupandam eam Provinciam hoſtis reperiſſet. Perſuaſum fuit quibusdam, eum nihil hoſtile contra Serenitatem Veſtram attentaturum

& perinde non irritandum fuiſſe. Sed enim ii, qui ita exiſtimabant, expendere imprimis debebant, Serenitatem Veſtram & univerſos Ducatus Pruſſiæ Ordines, ſalva dignitate, ſalva fide, nihil cum hoſte commune habere poſſe, non pacta, non inducias cum eo ſancire licuiſſe, niſi quæ ex communi directi Domini ſententia & aſſenſu ſanciendæ eſſent. Eæ diſſimulationes, quibus hactenus rei gerendæ occaſiones elapſæ ſunt, & hoſti animum addiderunt, & ſtudia, ne dicam fidem tam Provincialium quam militum infregerunt. Sparſi imprimis famoſi libelli, palam diſceptatum, hoſtine adhærendum, an a ſocietate veteri diſcedendum fidesque deſerenda? & quidem impune hæc infamia ſcripta, inſpectante Magiſtratu circumferri, Legatorum Regiorum expeditionem differri, nulloque ad extremum reſponſo dato, idque ſero eos dimitti; Nos, qui Serenitatis Veſtræ dignitatis ſtudioſi ſumus, dolebamus, facileque conjiciebamus, id ſubſecuturum, ut Provinciales in varias irent ſententias & miles hoſtili imbueretur favore. Intermiſſa deinde Portus Pilavienſis hyberno tempore oppugnatio, nec in adventum hoſtis ad arcendum eum quidquam proviſum: ſed miles per præſidia ſparſus ac finibus Regni admotus, longeque a mari, ubi impietas hoſtilis impendebat, diſpoſitus: hinc illæ induciæ ſine ſcitu Regiæ Majeſtatis ex mente hoſtili ſancitæ. Nec deinceps, tot elapſis menſibus ad rem gerendam opportunis, ulla ſignificatio propenſionis erga Regiam Majeſtatem & Rempublicam voluntatis facta, non conſilia cum Regiarum copiarum ſupremo Præfecto communicata,

ta, non niſi ac ſero admodum ſubſidia militis arte hoſtili corrupti, magis oſtenſa, quam ſubmiſſa. Nunc Serenitas Veſtra videt, quid Guſtavus egerit & quo fine callida diſſimulatione mentem Serenitatis Veſtræ diſtinuerit, cum jam palam ſe hoſtem Serenitatis Veſtræ eſſe profiteatur, cum annonam & tributa imperet, cum Portorii Pilavienſis proventus intercipiat; hæc vel olim timenda, vel cavenda erant, nec in caſum, ut nihil amplius dicam, dignitas & exiſtimatio conjicienda. Nunquam hoſtis Serenitatem Veſtram aperte cum Regia Majeſtate Noſtra ſentientem, viresque conjunctas habentem, aggredi auſus fuiſſet. Nunc, cum jam, ut audio, eoque nomine magnopere lætor, Serenitas Veſtra ſolenni coram Regiæ Majeſtatis Legato declaratione animum ſuum explicaverit, nullaque amplius dubitatio ſupereſſe videatur, de propenſa Serenitatis Veſtræ erga Regiam Majeſtatem & Rempublicam voluntate; id unum agendum erit, ut hoſtis intelligat, ſe conjunctis viribus petitum iri, ſuccumbet ille, maxime cum videat ſecundos Sacræ Cæſareæ Majeſtatis exercituum ſucceſſus, cum Cæſaream Majeſtatem omnia Regiæ Majeſtatis cauſa & facere & facturum; Cum conjunctos Principes, in communi periculo, mutua ſibi auxilia laturos, ignorare non poſſit. Deum ego precor, ut hæc Serenitatis Veſtræ cum Regia Majeſtate conjunctio, ipſi & univerſæ Reipublicæ ſalutaris ſit, optatamque pacem & tranquillitatem pariat. Deinde recipio me per omnes occaſiones adniſurum, ut Serenitas Veſtra intelligat, me unum eſſe ex iis, qui Serenitatis Veſtræ dignitatis exi-

existimationisque sunt studiosi, illique bene cupiunt. Humillima obsequia mea defero Serenitati Vestræ. Varsaviæ Anno 1629.

(XC.)

Litera credentiales, quas CAROLUS I. *Magnæ Britanniæ Rex,* ROBERTO ANSTRUTHERO, *Legato suo, ad Comites Wetteraviæ dedit, 1632.*

Carolus, Dei gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, Fidei defensor &c. Illustrissimis & generosissimis Comitibus & Dynastis Wetteraviæ ex consanguineis & amicis nostris dilectissimis Salutem & Prosperitatem.

ILlustrissimi & Generosissimi Comites & Dynastæ, Consanguinei & amici nostri dilectissimi, quam grata nobis fuerit laudabilis & unanimis Illustrissimarum & Illustrium Vestrarum Generositatum libertatis tuendæ cura & alacritas; Et quam Nos tristibus, qui in Germania nuper evenere, casibus vobiscum affectos exoptata & sperata vestræ concordiæ constantia reficiat, Vir nobilis, nobis sincere dilectus Robertus Anstrutherus, Eques auratus, quem quidem publicæ Vestratis salutis consulendæ & promovendæ causa in Germaniam diserte misimus Legatum, fusius exponet. Igitur ut eidem de singulari nostro in vos omnes & erga vestrum unumquemque affectu, atque de nostro res Germanicas juvandi studio differenti aliaque nostra mandata exponenti benevolas aures & plenam fidem præstare velint, Illustrissimas Ve-

stras

ſtras Generoſitates amice rogamus, atque Deum, ut veſtra conſilia & conamina fortunet, Vosque omnes & ſingulos, veſtrosque omni cum proſperitate ſoſpitet apprecamur. Dat. e noſtro palatio Weſtmonaſterienſi 20. Dec. Anno Chriſti 1632. Regnique noſtri octavo.

Illuſtriſſimarum Veſtrarum Generoſitatum

bonus Cognatus & Amicus

CAROLUS REX.

Inſcriptio.

Illuſtriſſimis atque Generoſiſſimis Comitibus & Dynaſtis Wetteraviæ, Conſanguineis noſtris dilectiſſimis.

(XCI.)

Litera credentiales, quas CAROLUS I. Magnæ Britanniæ Rex, Roberto Anſtruthero, Legato ſuo, PHILIPPO LUDOVICO, Comiti Hanovienſi, exhibendas concredidit, 1632.

Carolus, Dei gratia Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hyberniæ Rex, fidei Defenſor &c. Illuſtriſſimo Principi Philippo Ludovico, Comiti Hanovienſi &c. amico noſtro dilectiſſimo Salutem & Proſperitatem.

Illuſtriſſime Princeps, Cognate dilectiſſime.

DE priſtina Germaniæ atque in ea noſtrorum conſanguineorum & amicorum libertate, & ſalute reſtauranda ſolliciti, noſtrum illa in loca miſimus

simus Legatum, Virum nobilem, sincere nobis dilectum Robertum Anstrutherum equitem auratum, eundemque & Illustrissimam Vestram Generositatem nostro invisere nomine, atque & nostri in eam affectus, & nostri de rebus Vestratibus animi certiores & securos reddere voluimus. Relinquentes igitur ea & alia nostra mandata vobis referenda, dicto nostro Legato amice a Vestra Gen. Illustrissima petimus, ut benigne eum & integra fide velit audire. Prosperos fortium consiliorum & conatuum exitus vobis ex animo precantes. Dab. e nostro palatio Westmonasterii 21. Dec. Anno salutis 1632. Regnique nostri octavo.

Illustrissimæ Vestræ Generositatis

bonus Cognatus

CAROLUS REX.

Inscriptio.

Illustrissimo Principi, Philippo Ludovico, Comiti Hannovienſi &c. Cognato & amico nostro dilectissimo.

(XCII.)

Responsoriæ PHILIPPI LUDOVICI, Hanoviæ Comitis, ad CAROLI I. Magnæ Britanniæ Regis præinsertas credentiales, 1633.

Augustissime ac Potentissime Rex.

A quo primum die tum ex Regiæ Vestræ Majestatis mihi bene redditis literis, tum etiam ex iis, quæ Ejusdem Legatus Vir Nobilissimus, Dominus Robertus Anstrutherus Eques auratus, mihi coram

coram pluribus explicavit, Veſtræ Majeſtatis de priſtina Germaniæ atque in ea ſuorum Conſanguineorum & Amicorum, in extremum fere diſcrimen adducta libertate & ſalute reſtauranda, ſingularem curam & ſollicitudinem intellexi, ſtatim de rebus noſtris publicis, melius, ut par eſt, ſentire & ſperare incepi, Non ignarus, quantum per Veſtræ Majeſtatis eximia cum potentia, conjunctam jam benignisſime teſtatam benevolentiam, accesſionis ad publica noſtra commoda, præcipue vero pro communi Eccleſiæ bono fieri posſit. Vera hæc & Regia ad immortalitatem via eſt, non deeſſe, ſed ſuccurrere legitime dimicantibus pro libertate & religione, rebus vita & omni temporali proſperitate apud generoſa pectora gravioribus, ſuaque ope erigere Rempublicam civilibus armis ardentem & pene oppreſſam jacentem: Nec unquam poſteritas deſinet Veſtram Majeſtatem verum fidei defenſorem perpetuis laudibus efferre, quod fluctuantem & periclitantem Eccleſiæ Orthodoxæ navem, & totius Germaniæ, imprimis vero fœderatorum & ſanguine conjunctorum libertatem & tamdiu eorundem deſideratam reſtitutionem, contra infenſisſimos & implacabiles fidei noſtræ Chriſtianæ juratos hoſtes, eximiæ autoritatis, ſapientiæ & potentiæ ſuæ pondere in tuto collocare & promovere nihil omnino intermiſerit. Ad me quod attinet, ut hac in re Veſtræ Majeſtatis petitioni & expectationi ſatisfacere enixe cupiam, facit non ſolum ſumma ejusdem autoritas, quæ apud me merito maximum ſemper valuit & valere debet, ſed etiam quod ex neceſſitudinis vinculo cum Illuſtris-

luſtriſſima domo Palatina (cujus ſalutem, quæ quidem, ut cæterorum Evangelicorum Statuum omnium incolumitas, a bonis & optatis ſucceſſibus publicis pendere omnino videtur, meam puto) quam arctiſſime ad hoc me obſtrictum & devinctum eſſe ſentiam; Qua de re & præſertim de mea in Veſtram Majeſtatem ſumma & debita obſervantia & devotione ante memoratum Equitem Nobiliſſimum Legatum pluribus jam retuliſſe & fidem feciſſe plane confido; Divinam benignitatem ex animo rogans, quod Veſtram Majeſtatem ad commodum & utilitatem totius Germaniæ, imprimis vero Eccleſiarum noſtrarum reformatarum diu rebus humanis intereſſe pati, & incolumem ſervare velit. Dab. in Urbe mea Hanovienſi Menſ. Maj. 1633.

Reg. Veſtræ Majeſtatis

devotiſſimus

Philippus Ludovicus.

(XCIII.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad FRANCISCUM CARDINALEM BARBARINUM, a quo modeſte contendit, velit ſummo Pontifici ſuaſor eſſe, ut Stanislaum Koſtkam, virum vera pietate & multis prodigiis inſignem ſanctorum numero adſcribi patiatur, 1633.

Franciſco Cardinali Barbarino, Stanislaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis.

SI quæ alia Regio, Sarmatia certe Noſtra in eo ſtatu conſtituta eſt, ut cum vero poſtrema cæte-

Digitized by Google

ris Europæ Regnis in fidem Christi conceſſerit, novis ſubinde egeat pietatis alimentis, quæ vel maxime ex ſuccreſcentibus felicium in agro Domini palmitum fructibus promanare ſolent: qualis Noſtra fere ætate extitit Beatus Stanislaus Koſtka, Societatis Jeſu alumnus, juvenis in Principe familia natus, ab ipſis incunabulis ſingulari pietate imbutus, paucis annis explevit tempora multa. Roma ipſa teſtis eſt, qualis ipſius fuerit e vita exceſſus; teſtes ii, qui patrocinio ipſius ſingularia beneficia a Deo ſe conſecutos eſſe profitentur. Nos ipſi quotidianis edocemur experimentis, quantum hic juvenis ætate maturus, & ſenex ſanctitate, in cœlo poſſit: non recenſebo ſigna & prodigia, quæ ad ſalutem publicam conſervandam, ad Catholicam Religionem propagandam, ad hæreſes extinguendas redundantia paſſi cernuntur. Illud unum concordi voce a ſanctiſſimo Domino Noſtro univerſa poſcit Sarmatia, Rexque Serenisſimus urget, ne Sua Sanctitas vota & deſideria piorum omnium differat, & ut hunc, qui in cælo Christi fruitur conſortio, in terris quoque eorum adſcribat numero, quos ſingulari ritu militaris veneratur Eccleſia. Ego ſane duplici nomine me huic juveni beato obſtrictum agnoſco, nam & nomen ipſius fero, & in hac Diœceſi ille natus eſt, cui ego paſtoralem ſolicitudinem mihi a Sede Apoſtolica demandatam debeo, Itaque majorem in modum ab Eminentia Veſtra rogo, ut huic negotio in Urbe feliciter celeriterque obtinendo & conficiendo auctoritatem ſuam, qua plurimum poteſt, accommodet: ſimulque Regnum hoc catholicum, quantæ curæ

illi sit, declaret. Humillima obsequia mea defero Eminentiæ Vestræ. Datum Pultoviæ 17. Calend. Junii Anno Domini 1633.

(XCIV.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Episcopi Plocensis, ad ANNIBALEM BENTIVOLUM, utriusque signaturæ in curia Romana Referendarium, cui Smolenscum arcta per Moschos obsidione cinctum exoptato successu liberatum esse nuntiat, 1633.

Annibali Bentivolo utriusque Signaturæ Referendario, Stanislaus Lubiensky Episcopus Plocensis.

Romam.

LÆtiora jam nunc quam antea nuncianda veniunt, posteaquam Serenissimus Rex Noster felicibus auspiciis exercitui Moschovitico Smolenscum obsidenti, suas propius admovit copias. Fretus is hostis & externis, quæ fidei catholicæ & nominis Poloni inimici submiserunt, auxiliis, & multitudine militum suorum, quos gnari Gustavicæ militiæ Magistri toto triennio exercuerant, ita Smolenscum obsidione cinxerat, ut obsessos intra muros arcte contineret, & contra eos, qui suppetias laturi essent, vallo fossaque munitis amplissimis castellis, tutum se omnino fore existimaret. Et profecto artis militaris periti fatentur, hæc ipsa castella ita structa fuisse, & ita apte disposita, ut humana vi expugnari posse non putarentur; Nam & ab exercitu, qui supra centum millibus militum constabat,

bat defendebantur, & commeatu, qui cum terra, tum flumine Boristhene inferebatur, abundabant: neque locorum iniquitas patiebatur, ut vel obsideri hostis, vel pabulatione, cum ingentem equitatum in iisdem haberet castris, prohiberi; vel denique ad campestrem pugnam aperto marte inejundam cogi & elici posset. Arcem Smolenscensem arbitratu suo quin hostis tormentorum vi quateret, cuniculos ageret, muros suffoderet, impediri non poterat; in exercitu Regio non plena viginti millia censebantur; exiguæ sane, si multitudini hostium conferantur, copiæ: Duces hostium veterani, Seinus, qui ante viginti annos hanc ipsam Smolenscensem arcem oppugnante eam Sigismundo Rege per biennium fortiter defenderat, Prosorovius inter Moschos belli virtute clarus, Alexander Lesielius Scotus, Gustavo Sveciæ Regi per omnia, quæ feliciter gessit bella, individuus Comes, & ita probatus, ut eum potissimum delegerit, cui copias a se & cæteris Principibus nomini Polono infestis, in Moschoviam missus Moschoviticoq; stipendio auctoratas regendas committeret. Hi duces, hic tam ingens exercitus, hæc, quibus castra munita erant, propugnacula humana vi cum expugnari non possent, Deus ipse suam opem cœlestem Serenissimo Regi attulit, atque magno animo hostem aggredienti præsens adfuit: itaque aliquot assultibus impugnatis Moschoviticis castris Rege ipso exercitum moderante, aciemque struente, & periculis, quæ in ejusmodi oppugnationibus accidere solent, caput Regium pro publica salute objiciente, cessit hostis & turpiter desertis munitissimis stationibus obsidio-

nem reliquit. Id celeriusne an felicius Serenissimus Rex effecerit, non facile est judicare: minus quam intra unius mensis spatium res tanta confecta, quæ nisi manifestum Dei adfuisset auxilium, per totum annum Regios conatus destinare & morari potuisset. Eo die (fuit is divo Michaeli sacer) quo Prosorovius hostium Dux e Castris profugit, Rex eidem cœlestis militiæ Principi Ædem in arce Smolescensi construendam vovit. Speramus cætera eadem felicitate successura. Quanquam ab alia quoque parte non mediocre Nobis imminet periculum, nam Turcæ ære Moschovitico conducti ingentem exercitum finibus Regni per Valachiam admovent. Sed illis quoque alter exercitus, Stanislao Koniecpolio Castellano Cracovienſi Duce, oppositus, magno animo hostis adventum præstolatur. Ego literas tuas die decima quarta Augusti scriptas accepi, quibus quod tuum propensissimum amoris affectum erga me contesteris, gratias quam possum maximas ago, meque ad obsequia Illustrissimæ Dominationis Vestræ totum do & addico. Ex arce mea Brocovienſi die secunda Novembris, Anno Domini 1633.

(XCV.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Episcopi Plocensis, ad ANNIBALEM BENTIVOLUM, utriusque signaturæ in curia Romana Referendarium, quibus ipsi Moschos ad incitas mox redactum iri, Turcicum vero bellum summa cum gentis Polonicæ laude & emolumento confectum esse refert, 1633.

Anni-

Annibali Bentivolo Utriusque Signaturæ Referendario Stanislao Lubienski Episcopus Plocensis.

Romam.

AD Smolensçum feliciter hactenus Serenissimus Rex noster rem gerit, hostem in castris delitescentem, & ab arce Smolensci longe rejectum, arcta obsidione cinctum tenet, quem magnis affectum cladibus, spes est brevi ad summas angustias redactum iri. Turcarum impii conatus in irritum reciderunt, admoverant ii finibus Regni grandem exercitum, imo fines transgressi castra castris opposuerant. Nostris Stanislaus Koniecpolius (quem dum Cracoviæ esses, vidisti) Turcis Abbati Bassa summo cum imperio præerat, olim Turcarum Imperatoris hostis & rebellis, nunc abolendæ quasi perfidiæ studiosus, & nomini Christiano infestus. Multa ille animo conceperat, sed imprimis absente Serenissimo Rege Nostro & bellum Moschoviticum gerente, Provincias Turcico Imperio vicinas & opportunas se expugnaturum, & intra fines Regni hybernaturum. Fefellit eum impia spes, nam semel collatis cum nostro exercitu signis, acceptaque ingenti clade, cum videret irritatis Nostrorum animis se tuto domum regredi non posse, nisi pace constituta, eas a supremo belli Duce latas conditiones impetravit & accepit, quas ille ex Regiæ & Reipublicæ Polonæ dignitate tulit, & nullo damno illato magna parte exercitus sui amissa domum inglorius rediit. Bellum, quod hic gerimus, pium & Christianum est: omnis quæ Turcarum, Schis-

nem reliquit. Id celeriusne an felicius Serenisſimus Rex effecerit, non facile eſt judicare: minus quam intra unius menſis ſpatium res tanta confecta, quæ niſi manifeſtum Dei adfuiſſet auxilium, per totum annum Regios conatus deſtinare & morari potuiſſet. Eo die (fuit is divo Michaeli ſacer) quo Proſorovius hoſtium Dux e Caſtris profugit, Rex eidem cœleſtis militiæ Principi Ædem in arce Smoleſcenſi conſtruendam vovit. Speramus cætera eadem felicitate ſucceſſura. Quanquam ab alia quoque parte non mediocre Nobis imminet periculum, nam Turcæ ære Moſchovitico conducti ingentem exercitum finibus Regni per Valachiam admovent. Sed illis quoque alter exercitus, Stanislao Koniecpolio Caſtellano Cracovienſi Duce, oppoſitus, magno animo hoſtis adventum præſtolatur. Ego literas tuas die decima quarta Auguſti ſcriptas accepi, quibus quod tuum propenſisſimum amoris affectum erga me conteſteris, gratias quam poſſum maximas ago, meque ad obſequia Illuſtrisſimæ Dominationis Veſtræ totum do & addico. Ex arce mea Brocovienſi die ſecunda Novembris, Anno Domini 1633.

(XCV.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad ANNIBALEM BENTIVOLUM, utriusque ſignaturæ in curia Romana Referendarium, quibus ipſi Moſchos ad incitas mox redactum iri, Turcicum vero bellum ſummæ cum gentis Polonicæ laude & emolumento confectum eſſe refert, 1633.

Anni-

Annibali Bentivolo Utriusque Signaturæ Referendario Stanislao Lubienski Episcopus Plocensis.

Romam.

AD Smolensçum feliciter hactenus Serenissimus Rex noster rem gerit, hostem in castris delitescentem, & ab arce Smolensci longe rejectum, arcta obsidione cinctum tenet, quem magnis affectum cladibus, spes est brevi ad summas angustias redactum iri. Turcarum impii conatus in irritum reciderunt, admoverant ii finibus Regni grandem exercitum, imo fines transgressi castra castris opposuerant. Nostris Stanislaus Koniecpolius (quem dum Cracoviæ esses, vidisti) Turcis Abbati Bassa summo cum imperio præerat, olim Turcarum Imperatoris hostis & rebellis, nunc abolendæ quasi perfidiæ studiosus, & nomini Christiano infestus. Multa ille animo conceperat, sed imprimis absente Serenissimo Rege Nostro & bellum Moschoviticum gerente, Provincias Turcico Imperio vicinas & opportunas se expugnaturum, & intra fines Regni hybernaturum. Fefellit eum impia spes, nam semel collatis cum nostro exercitu signis, acceptaque ingenti clade, cum videret irritatis Nostrorum animis se tuto domum regredi non posse, nisi pace constituta, eas a supremo belli Duce latas conditiones impetravit & accepit, quas ille ex Regiæ & Reipublicæ Polonæ dignitate tulit, & nullo damno illato magna parte exercitus sui amissa domum inglorius rediit. Bellum, quod hic gerimus, pium & Christianum est: omnis quæ Turcarum, Schis-

maticorum & Hæreticorum nomine continetur pestis, crudeli conspiratione Nos petit, huic Regno ideo infesta, ut eo exciso triumphet impietas. Sed Serenissimi Imperatoris & Serenissimi Regis Nostri felices successus, mirum est, quantum animi bonis omnibus addant & universum septentrionem exhilarent. Si quis in universum rem expenderit, ab hac parte salutem Reipublicæ Catholicæ dependere fatebitur; quæ bella intra viscera Christianorum Regnorum geruntur, ea civilia jure dixero. Illustrissimæ Dominationi Vestræ felicem futuri proximi anni successum ex animo opto meaque obsequia defero. Plociæ Calendis Decembris Anno 1633.

(XCVI.)

Litera GVIDONIS CARDINALIS BENTIVOLI, ad STANISLAUM LUBIENSKIUM, Episcopum Plocensem, quibus, multa sibi Patres Soc. Jesu, natione Polonos, de benevolenti ipsius, quo se prosequerentur affectu, retuliss, indeque se commoviss, ut ei opuscula sua insinceri quotidianisque officiis continuandi amoris tesseram transmitteret, nimiat, 1634.

Gvido Cardinalis Bentivolus, Stanislao Lubienski Episcopi Plocensi.

Plociam.

VEnerunt ad me postremis hisce diebus Reverendi Patres Premislaus Radnicki & Joannes Jamielkouski, e Societate Jesu, Poloni, Procuratores, multaque diserte narrarunt de benevolentissimo

tissimo affectu, quo me tua Dominatio illustrissima prosequitur. Id vero tam jucundum auribus meis accidit, quam alte cordi insedit huic singularis amoris significationi aliqua ex parte respondere. Quare cum nihil aptius in præsentia suppetat, quam mea recens edita opuscula Italice elaborata, hæc ad te statim per eosdem Patres deferenda curavi, ut si non facunde saltem ingenue amorem meum in te eloquentissimum Præsulem testarentur. Tribus illa voluminibus comprehensa videbis. Relationes primum continet, quas dum Internuntii Pontificii munus obirem in Belgio confeci. Alterum selectas Epistolas; quæ quoniam sparsim ubique non sine erroribus vagabantur, eas in ordinem coactas, in publicum dare permisi. Tertium vero memorabile bellum id persequitur, quod æque omnium nationum arma ac ingenia lacessivit. A me nominatim haud alienus ejusmodi labor videbatur, ut qui in Belgicis Provinciis desudaverim juvenis, in iisdem jam ad senium vergens exercerer, atque ita Belgicum solum, quod & mihi affinitate conjunctorum ibidem bellantium ac obeuntium sanguinem, meumque sudorem olim biberat mea nunc etiam atramenta sorberet. Hæ magnum meæ lucubrationes fructum referent, si a Tua Dominatione illustrissima, quæ quæ non solum in Polonia, verum etiam in Europa fere universa tantam eloquentiæ ac doctrinæ famam collegit, libenti animo excipiantur: quæ eo magis benevolentiæ tuæ calorem requirunt, quo in rigidum istud severumque Poloniæ cælum ab eo vestium ornatu, quem ego requirerem, nudæ proficiscuntur. Et quoniam nunciatum mihi est,

Dominationem tuam Illuſtriſſimam contexere Polonicam Hiſtoriam, hinc quotidie magis apparebit, Poloniam iis florere ingeniis, quæ & egregie faciant ſcribenda & fortiter facta ſcribant. Deum orabo, ut ſicuti tanto argumento parem ſcriptorem ſelegit, ita eidem vitæ diuturnitatem incolumitatemque ſufficiat, quo ſuis laboribus Chriſtianæ Reipublicæ majorem in modum poſſit prodeſſe. Interea Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ commodis officia mea ſemper ſpondeo fore paratiſſima. Romæ 18. Calendis Januarii Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto.

(XCVII.)

Reſponſoriæ STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad GVIDONIS CARDINALIS BENTIVOLI præinſertas Literas, 1684.

Gvidoni Cardinali Bentivolo, Stanislaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis.

Romam.

PErvenerunt tandem ad manus meas literæ Eminentiæ Veſtræ Decimo octavo Calendis Januarii datæ, longum ſane & diuturnum itineris ac temporis paſſæ diſpendium; elegantes illæ quidem graves & prudentiam longo rerum uſu quæſitam ſpirantes. Iis vero ſinceræ benevolentiæ tinctæ coloribus, ut tanti viri, qualem Eminentiam Veſtram orbis Chriſtianus & æſtimat, & admiratur animum heroicum repræſentent. Acceperam paulo ante, tria monumentorum Eminentiæ Veſtræ volumina, quibus dum obitæ a ſe functionis ſeriem exequitur,

tur, non desidem vel negligentem se in gravissimis Ecclesiasticis legationibus fuisse ostendit. Tumultuantis Galliæ sanguineas cædes, diuturnum in Belgio armorum strepitum, varias multorum Regnorum vices, leget & agnoscet, auctore Eminentia Vestra, posteritas, & tanti non ingrata beneficii Cardinalem Bentivolum non solum magnis ortum Principibus, verum etiam præclaris ingenii dotibus summum decus meruisse fatebitur. De me quid dicam? pudet me tantarum laudum, quibus me Eminentia Vestra onerat; Ora hæc septem subjecta Trioni longe remota a Parnasso rigent & frigent, ingenia nihil grande moliri vel in publicum proferre audent: Et nescio an uspiam minus grato animo, quam hic, si quis verum dixerit aut scripserit, excipiatur. Nempe liberi populi est laudari magis quam argui: olim quoque sui temporis res gestas attrectare, & nondum expiatis uncta cruoribus arma, vitia, ludusque fortunæ, Principum odia & amicitias privato contexere judicio, semper habitum periculosæ plenum opus aleæ. Qvæ res me quoque aliud conantem deterruit, ne quid tale aggrederer, quod non solum supra vires & ingenium meum esset, verum etiam grandi me sine fructu invidia conficeret. Non deerunt nec desunt audaciores alii, qui sui temporis res gestas component: me vita functo inter monumenta mea fortassis tale reperietur, quo eorum studium adjuvari possit. Cæterum quibusvis res ab aliis actas memoraturis Eminentiæ Vestræ Opera scribendæ Historiæ absolutissimum exemplar erunt, nunc mihi, quia tua & a te missa eximiæ erga me

benevolentiæ Tuæ sunt argumentum permagni semper mihi æstimandum. Diutissime vive, Eminentissime Domine, religiosissimisque ac magnis votis potiaris. Pultoviæ 10. Junii Anno 1634.

(XCIIX.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Episcopi Plocensis, ad ANNIBALEM BENTIVOLUM, utriusque Signaturæ Referendarium, cui Moscos malleum & incudem inter positos componendæ pacis desiderium præ se ferre, atque Poloniæ novi a Turcis belli periculum imminere exponit, 1634.

Annibali Bentivolo, utriusque signaturæ Referendario, Stanislaus Lubienski Episcopus Plocensis. *Romam.*

Susceptí contra Moschos a Sereníssimo Rege Nostro belli initia, quam secunda, quamque felicia fuerint, tribus ni fallor epistolis, Vir clarissime, significaveram; in quibus intellexisti exutum castris hostem, fusum fugatumque & a Smolensco rejectum, castrisque intra quæ se receperat, exercitum Regiæ Majestatis admotum, ac Moschovitas miro stratagemate nuper obsessores arcta cinctos obsidione. Hæc ad initium mensis Octobris gesta, quæ deinceps accesserint, paucis attingam. Hostis in spem advenientis subsidii ita intra munimenta se tenebat, ut nunquam copiam pugnæ (nisi aliquoties furtive) dare vellet. Magna ex parte tormentis res gesta, majori hostium, quam nostrorum exitio; omnia itinera, omnes vias præcluserat Regia Majestas, ne Nostris vel lignandi vel pabulandi

landi cauſa egredi poſſet. Ea re etſi hoſti frenum injectum videretur, nihil tamen inſigne effectum; nam cum per quatuor circiter menſes ſuperbe hanc obſidionem Moſchi ſuſtinerent, novumque exercitum, quem miſſum iri crediderant, præſtolarentur, nullas pacis honeſtæ conditiones offerri ſibi paſſi ſunt. Id cum videret Regia Majeſtas, partem juſtam exercitus in ipſa Moſchoviæ penetralia, Ducibus Kazanovio & Gaſzevio immiſit, ut &, ſi quæ hoſti venirent ſubſidia, averterent, & ipſi Moſchoviæ Metropoli, belli terrorem oſtentarent. Succeſſit ea expeditio feliciter, vidit ipſemet ſupremus Moſchoviæ Dux late collucentes ignes, ſenſit gemitum ſubditorum ſuorum, nec tamen tantum vel animi, vel virium habuit, ut ſuam ſuorumque ſalutem armis tueri & in apertum prodire auderet. Jam ii quoque, qui a Rege obſidebantur, multum de pertinacia remittere cœperunt; fortiter quidem a munitionibus ſuis ſæpius Noſtros rejecerant, tutique, ingenti vallo ſepti, videbantur, ſi ſola deeſſet, expugnat quæ cuncta, fames; hac preſſi ſub finem demum Januarii velle ſe de pace agere oſtenderunt. Nihil amplius quidem eſt quod perſcribam, ſed ſatis felicitatis haberemus, ſi hoc bello hoc tantum conſequeremur, ut diminuta hoſtis ſuperbia cum ad juſtas pacis conditiones adduceremus & a ſocietate Hæreticorum, quorum ingentibus auxiliis inſoleſcebat, ſegregaremus. Exiſtimo te non latere, quam late pateat ampliſſimus ille Septentrionis receſſus, quantum Moſchovia opibus polleat, & ſi homines ii, alioquin barbari & rudes tali diſciplina militari, ut hoc quadrien-

driennio factum est, imbuerentur, mirum quantum ad perniciem Orbis Christiani valerent. Nihil illi aliud de Catholicis sentiunt, nisi eos esse impios & Turcis & Paganis deteriores, locum quem Catholicus tetigerit, tanquam immundum verrunt & eluunt, & omnem consuetudinem Catholicorum aversantur. Notum est proxima æstate eorum pecunia Bassam Silistriensem auctoratum, ingentem exercitum finibus Regni Nostri admovisse, Hollandos, Svecos, Anglos ab iis foveri, & in odium Catholicorum conduci, pecunia item juvari; denique id unum in votis habere', ut nomen Catholicum Romanum penitus extinguant, & suum schisma vel potius manifestam hæresin stabiliant. Sed ad tractationem pacis redeo, quam sinceriori fide eos suscepturos demissiores jam illorum animi spondent, & nos iis potius, quam diuturno & difficili bello pacem confici cupimus. Nam cum proxime futura æstate ictæ cum Svecis induciæ exeant, hujus periculi maxima ratio erit Nobis habenda. Neque cum ipsis Turcis certa pax; nam etsi præterita æstate divina pene virtute Stanislai Koniecpolii, Castellani Cracovienſis, ita repressi sint, ut magna parte exercitus amissa regredi turpiter coacti fuerint, tamen hac, ut illi vocant, contumelia provocati, maxime si a Persarum Rege otium habuerint, arma & bellum spirare videntur. Cæsaris quoque non satis secunda in Germania fortuna, Nobis ut mature caveamus, nos admonet. Brevi me feliciora Illustrissimæ Dominationi Vestræ significaturum auguror; si votis Nostris Deus annuerit, quem supplices precamur,

ut

ut Sereniſſimi Regis Noſtri pro fide catholica ſuſceptos conatus ſecundet felicitetque. Sed quid hoc eſt? in omnium pene Regum Aulis ſacra fulſit purpura, Illuſtriſſimus Honoratus Noſter hoc honore dignus, cur in alio cenſu, & hujus ſortis expers? in re non multum ad me pertinente, nolo eſſe curioſus, quanquam magni iſtius viri cauſa valde cupio & Tibi, Illuſtriſſime Domine, feliciſſima quæque. Plociæ 5. Febr. Anno 1634.

(XCIX.)

Literæ STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad JOANNEM GEMBICIUM, Secretarium Regium, quibus in illum invehitur, qui Regi belli in ulteriores Moſcoviæ fines proferendi autor extiterit, & vehementer optat, ut omnibus quam primum in patriam vel victoribus, aut pacis ſaltem tutæ & honeſtæ vindicibus redire liceat, 1634.

Joanni Gembicio, Secretario Regio, Stanislaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis.

in Moſchoviam.

MAle ſit barbaræ & æterno gelu damnatæ genti, quæ vobis tantum faceſſit negotium. Hoc unum nempe deerat, ut Sereniſſimus Rex devio & invio itinere in ipſa Moſchoviæ penetralia protruderetur. Quisquis hujus auctor fuit conſilii velim, ut ipſum tantum, & non eum, cujus ſalute noſtra ſalus continetur, pœniteat. Tam immenſos ſeptemtrionis receſſus petere, vel voto ſaltem ad ſubjugandam illam barbariem adſpirare, nunquam majoribus Noſtris viſum. Nam tanta mo-

les

les coërceri, aut in ordinem redigi ut poſſit, vix unquam ſperandum eſt. Præclare Nobiscum ageretur, ſi id, quod jam a Nobis avulſum fuit, vindicaremus, & oſtentatione armorum ac terrore belli metuque hoſtem vagum in pace contineremus. Doleo vehementer, te tot incommodis bellici itineris affici: Nam etſi animo fere nobili ea te ferre video, tamen virtutem ipſam interdum ingenti labore labefactari neceſſe eſt. Quanquam te jam rude donatum & inter veteranos relatum obduruiſſe ad iſta ferenda mala, non temere ſuſpicor, nec te terreri vel tubarum ſono, vel ſtrepitu tympani, ad cujus ſignum melius, quam olim ad Galli cantum, ſomnum capere aſſueviſti, nec jam exhorreſcis cum

Quaarupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Notæ tibi ſunt artes bellandi, ſcis, quo loco tutius conſiſtere, quo progredi, quo regredi, vel ſi interdum, turbatis ordinibus, adverſi quid immineat, quo te mature recipere debeas. Jam te nunc mihi fingo, poſteaquam ad Nos redieris militari faſtu tua præclara facinora Nobis referentem, militaria præmia oſtentantem, theſauris e præda captis tumentem; quibus ſine cæde & ſanguine te potitum nos mirati gratulabimur, præmia decernemus. Ego curandæ valetudinis cauſa hic per aliquot dies ſubſiſtam, nec multum a Veſtra conditione mea nunc abeſt; ſudas tu in agmine, ego in lecto; tu ſæpe eſuris & ſitis; ego fere ſemper cibis iis uteris, quos ex caſtrenſi penu habere poteſt, ego iis, quos in pharmacopolio paratos

por-

porrigit medicus; tibi hoſtilia tela, mihi chirurgi manus ſanguinem elicit. Sed ſatis eſt tot luſiſſe verbis, illud unum in votis eſt eritque ſemper, ut vos parta victoria, vel ſaltem compoſita pace, reduces oſculo & amplexu excipiamus. Commendo me gratiæ & amori tuo. Datum Thorunii 10. Maji Anno Domini 1634.

(C.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad HONORATUM VICECOMITEM, Archiepiſcopum Lariſſenum, cui quid Polonis circa pacem cum Moſchis ineundam ſperandum, quidve a Turcis metuendum ſit, exponit, 1634.

Honorato Vicecomiti, Archiepiſcopo Lariſſeno, Nuntio Apoſtolico, Stanislaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis.

Varſaviam.

ESt cur in meliorem ſpem veniamus proſperioris ſucceſſus, & aliquando tandem, amotis iſtis, quæ impendent, calamitatibus ad portum ſalutis fluctuantem Reipublicæ navem nos reducturos, cum ſanctiſſimus Dominus noſter indictis ſupplicationibus ad conciliandam divinam opem Nos invitet. Fœda & ignobilia bella dici ea poſſunt, quæ in Europa Regum ambitio, & inſana regnandi libido commovet. Eos, qui talia gerunt, qui Chriſtiano ſanguine Chriſtiano imbuunt gladios, ſera malæ ambitionis merito accuſabit poſteritas. Ecce nunc novus apparet hoſtis, non ille ſolum petit Poloniam, non Noſtris tantum imminet cervicibus, per Noſtrum latus, per interitum Septemtrio-

trionis religionem Christianam extinctum it. Gravi oppressi somno dormire videntur Christiani Principes, ruit paries, qui hactenus per quadringentos annos obstitit, ne universa Europa in Turcicam iret servitutem, ne nomen Christianum deleretur, ne crux Christi ludibrio esset barbaris. Hæc vident & fortasis rident vicini nostri, summi & præcipui Christianorum Principes mutuis inter se certant disidiis, si Nos perierimus rati aliquid virium sibi accessurum. Minime dubitamus, quod si hæc, quæ summum exitium nobis minantur, nota fuissent supremo Ecclesiæ Præsidi; illum pro sua erga omnes pietate declaraturum fuisse, curæ sibi esse salutem hujus Sarmatici Regni. Ejus nominis Urbanus secundus quid non egit, ut Mahumetanos possessione sanctæ terræ dejiceret? id sane effecit, ut sub Godefrido Bullionio Hierosolyma in potestatem Christianorum rediret: Iidem fuerunt conatus Urbani Quarti, sed impares successus. Gregorii Decimi fervens ille zelus, illa ejusdem adhuc in Palæstina versaretur & esset electus summus Pontifex concio plena boni desiderii ad milites sacri belli habita: Si oblitus tui fuero Hierusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua faucibus meis, si in principio lætitiæ meæ non meminero tui, mirum quantum afficit animum commovetque. Respondebant quidem promissis facta, sed dum Concilium Lugdunense ejus rei causa coactum promovet, in ipso præclarissimi conatus exordio vivere desiit. Bonifacius Octavus, si pereunti in Syria religioni Christianæ manum porrexisset, fortassis non tam funesto fato concidis-

set.

ſet. Exciderat ea quoque ex reliquorum Pontificum mente cura, donec duo Pii, ſecundus & quintus, divino afflati numine tantam rem ad ſe pertinere cenſuiſſent. Ille quidem dum in portu Anconitano bellum molitur, vivere deſiit, nec animum, ſed vires ſibi defuiſſe, oſtendit: hic ſuis precibus obtenta ad Naupactum victoria cœlum meruit. Utinam tandem aliquando Chriſtiani Principes expergiſcantur, & conjuncta arma in communem religionis hoſtem vertant, verius & glorioſius triumphaturi. Ego interim humillima obſequia mea Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ defero. Plociæ 21. Maji Anno Domini 1634.

(CI.)

Literæ GUIDONIS CARDINALIS BENTIVOLI, ad STANISLAUM LUBIENSKIUM, Epiſcopum Plocenſem, quibus mavortiam Regis & militum Poloniæ virtutem illuſtri mactat elogio, 1634.

Guido Cardinalis Bentivolus, Stanislao Lubienski Epiſcopo Plocenſi.

Plociam.

SPes Noſtras, quas in obſidione Smolenſci Polonorum & Catholici nominis hoſtes Moſchi pene præciderant, Potentiſſimus ac Invictiſſimus Poloniæ Rex, reportata de iis inſigni victoria, mirifice erexit: ad ſuos enim pedes proſtrata vidit ea barbarorum arma, quæ ipſi in Noſtram perniciem ſumſerant. Perſuaſerat ſibi immanis eorum furor, ab æterno frigore, quo plagæ, in quibus anciſiti eventu tam diu certatum eſt, rigent, quando

etiam hostilis rabies defeciſſet noſtras copias profligatum iri. Verumtamen fortiſsimi bellatores Poloni, tanquam certiſsima cœli fulmina, immiſsis in hoſtilia caſtra incendiis, oſtenderunt, ſe eos eſſe, qui etiam in medio nivium horrore, pro vindicandis Deo & Regi ſuo illatis injuriis inflammarentur. Imo vero ipſe dignisſimus immortalitate Rex ſuo docuit exemplo, nullum validius incitamentum proponi militibus poſſe, ad labores ac belli tædia inconcuſſo animo toleranda, quam ſi ipſa Majeſtas Regia communis periculi & conſcia & particeps in caſtris armata verſetur. Jam præſagit animus a bellicoſisſimo hoc Heroë ipſius quoque Germaniæ jam pene everſæ calamitatibus ſubventum iri. Et quidem intentatas Turcarum minas haud pertimeſcet Vladislaus Rex, cum vel antequam Regni Coronam capeſſeret, Ottomannicam Lunam aut inobſcuraverit, aut cruentaverit, ac profecto exiſtimandum ſit, nunquam tanti Regis nomen hoſtes audire, quin eorum corda pavore pulſentur. Quæ vero ſit Romæ in hisce rerum ſive benegeſtarum nuntiis, ſive melius gerendarum auſpiciis conjectura, facile Dominatio tua Illuſtrisſima aſſequi poterit; videt enim in Catholici Orbis Septentrionalibus confiniis palmas enaſci ac lauros, religioſisſimi Regis ac fortiſsimorum militum ſudoribus irrigatas, videt ab armato illo ſceptro ſe protegi, quod neque barbarorum viribus infringi, neque ſchiſmaticorum conſpiratione labefactari poteſt. Magna autem hinc ſeges enaſcitur exercendæ tuæ Dominationis Illuſtris-

ſtriſſimæ eloquentiæ, ut immortalitati egregia tam bellicoſi Principis geſta tradas. Sane præclara Regum facinora, niſi optimorum, hoc eſt tui ſimilium immortales calamos nanciſcantur, intereunt ac in ipſo ortu moriuntur. Nunc epiſtolas expecto & tuo & publico nomine ſcriptas; eas præcipue, quas dum Regiæ Cancellariæ ſumma cum poteſtate præeſſes, compoſuiſti; in iisdem enim tum clariſſimi ingenii tui, tum rerum ſub Sigismundo Tertio Rege glorioſiſſime geſtarum imaginem contemplabor, meaque ſcripta ad eorum normam examinabo. Neque enim lucubrationibus meis eas laudes tribuere audeo, quas tua Dominatio Illuſtriſſima in easdem liberaliſſime congeſſit, licet hunc fructum a tua commendatione retuliſſe me fateor, quod cum ſapientiſſimum judicium tuum improbare non poſſim, de iis haud timide ſentiam. Qui vero deinceps rerum ſtatus, tum ad bellum, tum ad pacem ſpectantium in hac tanta locorum diſtantia ſequetur, Tua Dominatio Illuſtriſſima pro ſingulari ſua humanitate, quæſo, ſignificet. Interea Deum orabo, ut invictiſſimum Regem Veſtrum quotidie magis provehat, eamque mentem cæteris Regibus impertiat, ut exemplum illius imitantes, ad rem Chriſtianam firmandam & ad hoſtes illius compeſcendos, animum adjiciant: eundemque Deum etiam atque etiam obſecrabo, ut Tuam Dominationem Illuſtriſſimam quam diutiſſime ſoſpitet. Romæ Idibus Julii Anno 1634.

(CII.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, *Epiſcopi Plocenſis, ad* GUIDONEM CARDINALEM BENTIVOLUM, *quibus ipſi, Regem, confecto ſumma cum laude bello Moſcovitico, quotidie expectari, eum vero intra Walachiæ limites novam parandæ gloriæ occaſionem operiri, nuntiat, 1634.*

Guidoni Cardinali Bentivolo, Stanislaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis.

Romam.

COnfecto bello Moſchovitico, paceque perpetua cum ea gente, cum qua & Majores Noſtri per aliquot ſecula, & Nos ancipiti eventu, diu armis decertavimus, conſtituta, redeuntem Sereniſſimum Regem Noſtrum magno deſiderio expectamus; viſuri mox victorem & domitorem late per Aſiam & Europam diffuſi Septemtrionis, exoſculaturi illam dexteram, quæ in Moſchovia non ſolum Moſchos, ſed omnes qui in exitium nominis Poloni conſpiraverant, Anglos, Gallos, Svecos & Hollandos, Moſchovitarum ære auctoratos; & crudeliſſimi in Nos odii ſocios, prope uno ictu concidit, & leges deditionis acceptare coëgit. Feliciorem hujus belli eventum vix optare potuimus: minus quam intra unius anni decurſum, exercitus hoſtilis ingens, vel cæde vel fame periit, ſoluta Smolenſci obſidione, longe lateque pervaſtata Moſchovia, ampliſſimis Provinciis & ditionibus recuperatis, & cum hoſte perpetua pax eſt conſtituta, & is ne amplius cum hoſtibus Noſtris

ſtris in perniciem Reipublicæ Polonæ conſpirare poſſit, nova forma fœderis obſtrictus eſt. Hoc tantum opus tam brevi tempore confici poſſe nemo ſperaverat, niſi nobis auxilium veniſſet ex alto, quod ſane Nobis adfuiſſe gratis animis profitemur, & ſupremo numini tantum beneficium acceptum ferimus. Serenisſimus Rex Noſter hujus belli Dux & auctor, idemque tanti parti decoris ſine ſocio aſſertor, dici & æſtimari debet. Ipſe primus erat ad capeſſendum, ad ſtringenda in hoſtem arma, ad objiciendum Regium caput hoſtium telis, poſtremus ad capiendam quietem, ad indulgendum aliquid valetudini ſuæ, quam ſimul cum ſanguine Patriæ impendere paratum ſe eſſe ſæpius oſtendit. Nunc victor jam redit longe majus & periculoſius geſturus bellum, cum Turcarum Imperator Orientis univerſas vires finibus Noſtris admoveat: Serenisſimus quidem Rex Comitia Regni, quæ ſine illo obiri non poſſunt, prius expedire cogitat, interim tamen magnam partem exercitus, qui in Moſchovia ſtipendia meruerat, contra hoſtem Chriſtiani nominis vertit: quanquam veremur, ne hoſtis celeritate ſua hæc ſubſidia ex Moſchovia venientia præveniat. Speramus tamen, multum ſuperbo illius animo deceſſurum, poſteaquam intellexerit Regiam Majeſtatem feliciter confecto bello Moſchovitico, intra fines Regni eſſe. Nec deſunt, qui in tanto periculo gratuitam militiam profeſſi, integris in eam rem profuſis patrimoniis, juſto exercitu, Duce Stanislao Koniecpolskio, ſupremo copiarum Regni, ut hic vocant, Capi-

taneo, hosti sese opponere parati, ejusque tardare conatus, donec ex toto Regno submissa subsidia periclitanti Patriæ ferant opem. Sed hæc omnia in manu Dei sunt, cujus permissu sæpe in discrimen Nos adduci, semper tamen singulari ope ipsius nos ab interitu vindicari ultro agnoscimus. Sed quid deinceps contigerit Eminentiæ Vestræ significare non gravabor, si modo intellexero, hoc genus officii mei illi non ingratum esse. Humillima mea obsequia & submissam servitutem Eminentiæ Vestræ defero. Pultoviæ 16. Cal. Julii Anno 1634.

(CIII.)

Responsoria GUIDONIS CARDINALIS BENTIVOLI, ad prainsertas STANISLAI LUBIENSKII, Episcopi Placensis, Literas, 1634.

Guido Cardinalis Bentivolus, Stanislao Lubienski Episcopo Plocensi.

TUæ mihi literæ & quid invicta Polonorum Natio armis id temporis possit, & quid ingenio, declararunt: neque enim minus potentissimi Regis virtus in tuæ eloquentiæ, quam in militarium gladiorum splendore collucet. Video in septemtrionali isto Christiani Orbis confinio ad bellum omnia esse inclinata, sed non propterea animis despondendum esse, cum extremum hoc latus ægide adamantina, ensoque cœlesti, hoc est invictissimo Rege spectemus armatum. Neque minantes Turcarum legiones, Vladislao invicto

cto Regi terrorem incutere potuerunt, qui olim adoleſcens, neque adhuc ſceptri potitus innumeras Ottomannorum acies cum ipſo Imperatore perterrefacto in turpiſſimam fugam conjecit, & alias bellicoſiſſimo hoc heroë copias Domini ducente Poloniæ nives Aſiaticorum ſanguine tepuerunt, interque frigidi iſtius axis rigorem, Orientis armati populi flammæ extinctæ conciderunt. Quamvis hoc tempore ulterius ſpem Noſtram protende debeamus: ſeſe enim admirabilem adeo Numinis divini potentia in Germania oſtendit, ut exiſtimemus in Poloniam quoque tam læta felicitatis auſpicia extendi: Jam enim ſub Norlinga uno prælio numeroſus Svecorum exercitus profligatus eſt, quam perniciosiſſima Hydra, quæ omnia devoratura videbatur, alterum caput amiſit. Quid amplius reſtat, niſi ut penitus exſcindatur, ac demum conjunctis viribus Catholici Principes armorum tempeſtatem in communem omnium hoſtem convertant? id ita futurum confidimus optamusque. Sed interea, ut imminentia pericula amoveantur, precibus apud Deum ſedulo agendum eſt, ac obſecrationibus impetrandum, ut Serenisſimus Polonorum Rex non ſolum hoſtilibus viribus reſiſtat, ſed etiam recuperet, ac imperio ſuo adjungat ea, quæ Regiæ Coronæ immaniſſimæ gentes ademerunt. Deus immittat hanc mentem Principibus ac populis, ut ad barbaricam audaciam, quæ cedentibus inſtat, inſtantibus cedere conſuevit, frangendam conſpirent. Dominationem tuam Illuſtriſſimam Deus diutiſſime ſervet incolumem. Romæ Calendis Octobris Anno 1635.

(CIV.)

Breve URBANI PAPÆ IIX. ad JOANNEM, Archiepiſcopum Gneſnenſem, quo eum laudat, quod lectionem S. Codicis in Polonicum idioma translati, publico edicto vetuerit. 1634.

Urbanus Papa VIII.

VEnerabilis Frater ſalutem & benedictionem Apoſtolicam. Quod Fraternitas Tua, Biblia Sacra in Polonicam linguam ab Hæreticis converſa, & Anno 1633. in Andreæ Hunefeldi Officina, Gedani, impreſſa, edicto vetuit legere, rem præſtitit fedulo & conſtanti animarum Paſtore digniſſimam, & noſtræ, ac bonorum opinioni, quæ jam pridem apud omnes percrebuit, egregie ſatisfecit. Gaudemus eam ob rem pluribus nominibus, inter quæ illud poſtremum non eſt, quod cæteri Epiſcopi, quibus aſſidua cum Catholicæ fidei hoſtibus eſt concertatio, tam præclaro Fraternitatis Tuæ exemplo excitati atque erecti, quæ muneris ſui erunt, fidentius ac fortius adverſus illos obire non pertimeſcent. Ita divina Clementia Tuos atque eorum conatus ad felicem exitum perducat, & hoc promeritum, uberi ſuorum donorum collatione, remuneretur. Fraternitati Tuæ, peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris die 29. Julii 1634. Anno Pontificatus noſtri 11.

Franciſcus Herrera.

a tergo

Digitized by Google

a tergo

Venerabili Fratri JOANNI, Archiepiſcopo Gneſnenſi &c.

(CV.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, ad GVIDONEM CARDINALEM BENTIVOLUM, quibus ipſi Turcam ad ſolam adventantis Uladiſlai IV. famam fluctuare & incertum conſilii harere, num ambiguo marte decertare, aut ad pacatiora redire media conſultius ſit, retenſet, 1634.

Gvidoni Cardinali Bentivolo, Stanislaus Lubienski Epiſcopus Plocenſis.

Romam.

SI quod unquam tempus fuit ad refrænandos conatus frangendamque Turcicam potentiam opportunum, hoc illud nunc eſt, cum tantarum virium Tyrannus tantis in campum productis copiis, tanto bellico inſtructus apparatu, ad famam ſolum venientis Sereniſſimi Regis Noſtri hæret, & incertus conſilii, quod ſuſcepturus ſit, ferocem animum metu perſtrictum ad pacis ſtudium flectit. Si priſci illi Heroes Europæi, quos pietas & religionis Chriſtianæ aſſerendæ amor, ad exſcindendam peſtem iſtam Mahometicam ſæpius armare conſueverat, viverent, haud dubio non paterentur tam præclaram rei gerendæ occaſionem ſibi eripi. Gallia olim talium virorum ferax & tantæ laudis cupida, æternum ſibi nomen felicisſimis contra Chriſtiani Nominis hoſtes expeditionibus paraverat; nunc

videntur omnes Christiani Principes velle unius Regni Poloniæ periculo experiri, quantum Turcarum Imperator armis possit; quasi vero Nobis pereuntibus, cæteris salutis & incolumitatis aliqua spes affulgeret. Itaque nullus nobis imputaverit, si cum nemo Christianorum Principum socialia Nobiscum jungit arma, si, quod magis deplorandum est, Christiani a Christianis oppugnamur, si quorundam persuasione ad invadendos Nos Turca ipse accenditur, si denique nemo ex Regibus Christianis se commovet, nos quoque rebus Nostris aliter consulere cogamur. Hoc ipso anno arma Nobis paranda sunt, quæ Svecis opponamus, cum quibus pactæ exeunt induciæ, nec spes est prorogandæ pacis, namque fastu hæretico tumens is hostis, indignas dignitate Regia & Regno poscit conditiones. Interim dispicimus, quis moti contra Nos Orientis eventus erit: Nam utrum sincere is hostis pacem offerat, an vero longioribus indueiis bellum nobis facere cogitet, ut fatiget, non immerito ambigitur. Id Serenissimus Rex obviam imminenti periculo, victoremque Septentrionis se duce exercitum ducit in hostem, cum alias tum præterito autumno suis auspiciis a Stanislao Koniecpolio, supremo Exercituum Regni præfecto, viro tuendæ Patriæ nato, repressum & a finibus Regni glorioſe fortiterque rejectum. Etenim bellum, quod prosequitur, anno superiore cœpit, sive ære Moschovitico conductus, ad avertendum inde illatum a Serenissimo Rege bellum; sive immani illa, qua majores ejus arserunt regnandi incensus cupiditate, quam post occupatam Asiam, Africam & florentissimam Europæ

pæ partem huc ſæpius prolatandi Imperii cauſa, ſed fruſtra Dei bonitate, vertit. Inde Nobis crebra cum illo pro Deo & religione bella hactenus ſine quovis aliorum Principum, ſolo cœleſti auxilio, geſta, quod Deus Nobis continuare velit, uti eum toto corde oramus. Sed ego privatis rebus diu moror graviſſimas cogitationes Eminentiæ Veſtræ, fiſto igitur calamum, Deum precatus, ut Eminentiam Veſtram diu ſervet incolumem. Cui humiliſſimam meam ſervitutem perpetuo nexu addico conſecroque. Varſaviæ 4. Nonas Septembris 1634.

(CVI.)

Reſponſoria GVIDONIS CARDINALIS BENTIVOLI, ad præcedentes STANISLAI LUBIENSKII, Epiſcopi Plocenſis, literas, encomia Vladislai IV, Regis, rerum gerendarum fortuna clariſſimi, continentes, 1634

Gvido Cardinalis Bentivolus, Stanislao Lubienski Epiſcopo Plocenſi.

Plociam.

TAnta eſt invictiſſimi Regis Poloniæ virtus atque felicitas, ut vel ſola ipſius in hoſtem venientis fama innumeræ immaniſſimi Tyranni copiæ metu perſtrictæ hæreant, atque ab intentatis minis ad inexpectata pacis conſilia deflectant. Scilicet palam hinc eſt, quid conjunctæ Catholicorum Principum vires ad conterendum teterrimæ belluæ potentiam valerent, ſi vel unius Regis, quique poſitum habet non in ipſis Chriſtianæ ditionis præcordiis

cordiis, sed finibus Regnum, eximium robur tantum potest, ut terrorem illis incutiat, qui paulo ante universum perterrefacere posse videbantur. Sapientissimo proinde consilio Invictissimum Heroem, Vladislaum Quartum in extremis Catholici Orbis finibus collocavit Deus, nimirum ut fidum fortemque excubitorem illum ejus Regni haberet, in cujus unius incolumitate universæ Christianæ Reipublicæ salus consistit. Mirabunda se licet ostentet Ottomannica potentia, ingentibus Tartarorum agminibus succincta, adjungant sese illi Transylvanicæ, Moldavicæ & Valachicæ copiæ, conspiret cum Machometica rabie armatus Hæreticorum furor, animo propterea fortissimus Rex non cadet; qui fugare, non fugere Turcas ab ineunte ætate didicit, quique in suis expeditionibus omnia non tam politia quam prudentia, quam sacris legibus ac vera religione definit: Hac Magistra Duceque Constantinos ac Theodosios maximus iste bellator, non minus victoriis, quam pietate in se renovabit, quos prosperis successibus innumerisque victoriis Exercituum Dominus beavit; sed ne longior sim, Tuæ Dominationis Illustrissimæ literæ admonent, quæ cum clarissimis verborum sententiarumque luminibus exornatæ, mirifice omnium animos oblectare possint, modeste tamen verentur, ne mihi legenti molestiam afferant. Quod reliquum est tanto Regi ad cœpta strenue promovenda vires a Deo precor, Tuæque Dominationi Illustrissimæ diuturnam incolumitatem. Datum Romæ 12. Calend. Novembr. Anno 1634.

(CVII.)

(CVII.)

Litera STANISLAI LUBIENSKII, Episcopi Plocensis, ad GVIDONEM CARDINALEM BENTIVOLUM, cui Alexandrum, fratrem Regium, præmatura morte extinctum esse refert, 1634.

Gvidoni Cardinali Bentivolo, Stanislaus Lubienski, Episcopus Plocensis.

Romam.

CUm post tot partas victorias Serenissimo Regi Nostro merito gratularemur, atque in spem felicioris successus veniremus, intercepit vota & desideria Nostra fatalis & acerbus casus, qui Nos immatura morte Serenissimi Principis Alexandri vehementer perculit, & summo affecit dolore. Ipsius Naturæ Imperio gemimus, ob amissum Principem bono publico natum. Dolet Serenissimus Rex Noster vehementer ereptum sibi fratrem amantissimum; deflemus & Nos lachrymisque ei parentamus, quem si diutius fata servassent, virtus quoque ad magna quævis suscipienda prospero successu duxisset. Non dubito, quin & sanctissimus Dominus Noster Regium Juvenem nuper a se visum tam cito vita excessisse vehementer doleat, & Eminentia Vestra suas Nobiscum conjungat lachrymas. Literas Eminentiæ Vestræ undecimo calendas Novembris datas accepi, ingentes laudes, quibus Eminentia Vestra Regiam Majestatem merito extollit, complectentes. Lætamur & Nos Principis purpurei Senatus encomio, a quo nihil laudari potest, nisi laude dignum. Servet tantum Deus Serenissi-

mum

mum Regem Noſtrum, vovemus & ſpondemus eum ſemper Eccleſiæ Catholicæ auxilio & ſubſidio fore. Cum Svecis nihil adhuc certi conſtitutum habemus, nec illi hucusque aliquam ſignificationem dederunt, pacemne an bellum malint. Cæterum is nunc Poloniæ res moderatur, qui, quicquid dederint, accipiet. Humillima mea obſequia defero Eminentiæ Veſtræ. Datum Pultoviæ duodecima Decembris, Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto.

(CVIII.)

Litera CHRISTINÆ, Svecorum Reginæ, ad FRIDERICUM, Archiepiſcopum Bremenſem, quibus jam a ſe transactionis Stadenſis ratificationem, curante Salvio, ipſi transmitti refert, & aditæ Archipræſularis dignitatis honorem gratulatur, 1637.

Illuſtriſsime & Reverendiſsime Princeps, Conſanguinee & Amice charisſime.

EOrum, quæ præterito anno inter Noſtros Dilectionisq; Veſtræ Commiſſarios, ratione Archi- & Epiſcopatuum Bremenſis ac Verdenſis Stadæ transacta fuerunt, ratificationem, tempeſtivius ad Dilectionem Veſtram expediviſſemus, niſi longinquioris itineris, hyberno præſertim tempore, incommoda hoc diſuaſiſſent, nullumque præſtitis iis, quæ nomine Noſtro exequi debebant, in mora periculum ſupereſſe exiſtimamus: data autem meliori ac tutiori nunc occaſione eandem ad nobilem ac magnificum, nobis ſincere fidelem Conſiliarium, Domi-

Dominum Joannem Salvium, transmiſimus, qui eam Dilectioni Veſtræ tradi curet, nec non de aliis negotiis, commune concernentibus cum Dilectione Veſtra confidenter communicet. Ac nunc hiſce diebus intelleximus ſolemnem Dilectionis Veſtræ inaugurationem ab Ordinibus Bremenſibus jam propediem peragendam eſſe. Quod ſicut Nobis non minus gratum eſt ac jucundum, quam Dilectioni Veſtræ ſumme honorificum; ita mutuæ amicitiæ & propenſiſſimi, quo in Dilectionem Veſtram ducimur, affectus intereſſe putavimus, Dilectioni Veſtræ amice congratulari, & Noſtram ſuper hoc negotio conceptam lætitiam conteſtari. Id cum a dicto Domino Salvio pariter fieri ac peragi velimus, Dilectionem Veſtram amice requirimus, ut præfatum noſtrum Conſiliarium benigne audiat, ipſi fidem habeat, & ſi quid communi profecuum noverit, cum ipſo tuto communicet. Sumus erimusque Dilectioni Veſtræ ad ſtudia amicitiæ ex animo præſtanda ſemper paratiſſimæ; de cætero Dilectionem Veſtram Divinæ Numinis tuitioni amice commendamus. Dabantur Holmiæ, die 22. Martii, Anno 1637.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sveciæ, reſpective Tutores & Adminiſtratores.

Gabriel Oxenſtierna Guſtavi Filius, Reg. Sveciæ Archi-dapifer.

Jacobus de la Gardie, Regni Sveciæ Mareſcallus.

Carolus Gyldenhielm, Regni Sveciæ Admirallius.

Axe-

Axelius Oxenſtiern, Regni Sveciæ Cancellarius.

Gabriel Oxenſtiern, L. Baro in Morebii & Landholm, Regni Sveciæ Theſaurarius.

(CIX.)

Reſponſoria FRIDERICI, Archipræſulis Bremenſis, ad prainſertas CHRISTINÆ, Svecorum Reginæ, literas, 1637.

Sereniſſima & Potentiſſima Regina, Domina Conſanguinea dilectiſſima.

REgiæ Veſtræ Dignitatis literæ credentiales 22. die Martii Holmiæ exaratæ, 9. Auguſti per Nobilem & magnificum virum Regiæ Veſtræ Dignitatis Conſiliarium ſecretiorem & Aulæ Cancellarium, Dominum Johannem Salvium, ſingulariter Nobis dilectum, rite ſunt exhibitæ; quibus apertis ac lectis intelleximus, quæ Regia Veſtra Dignitas eidem coram pluribus explicandi, nec non ratificationem transactionis Stadenſis Nobis in forma authentica offerendi, ac de negotiis publicum concernentibus confidenter communicandi in mandatis dedit. Is a Nobis debita humanitate, ceu Regiæ Veſtræ Dignitatis ſplendor poſtulat, exceptus & admiſſus, pro ſua, qua pollet, dexteritate & prudentia, id quod ſui fuit muneris, nervoſe & eleganter expoſuit, ſimulque præmemoratum Stadenſium concordatorum Inſtrumentum ad manus Noſtras tradidit. Cui prævia gratiarum actione pro Regiæ Veſtræ Dignitatis prolixa erga Nos benevo-

nevolentia & affectione respondimus, non dubitantes, quin de omnibus fideliter relaturus sit. Non modicas insuper Regiæ Vestræ Dignitati gratias debemus, quod de solenni Nostra inauguratione, & recepto nuper a præcipuis Archiepiscopatus Nostri Bremensis statibus fidelitatis juramento, quod homagium vocant, per memoratum Dominum gratulari, fausta ac felicia quæque comprecari non dedignata sit. Nos grates persolvere dignas, non esse opis nostræ intelligentes, votis vota conjungimus, Deumque Principum ac Regnorum custodem cordicitus precamur, ut Regiæ Vestræ Dignitatis Thronum Regium potenti suo brachio firmet, annos longævos sceptra pacifica, Regimen tutum, præsidium forte largiatur: quod, ad Nominis & Numinis sui gloriam, Populi salutem, Regnis suis quam felicissime & diutissime præesse ac virentem pacis lauream, Coronæ Regiæ, velut unionem immarcessibilem innectere queat. Nostra eidem studia paratissima, si non grandi effectu, majori tamen officiosi animi affectu, quocunque se dabunt tempore vires, deferentes. Dabantur in Arce Nostra Archiepiscopali Verdensi die 10. Augusti, Anno 1637.

(CX.)

Litera BOHDANI CHMIELNICII, Senioris Exercitus Zaporoscensis, ad VLADISLAUM IV. Poloniæ Regem, a quo injuriis, quibus hactenus ab ejus Præfectis vexati fuissent, supplici veneratione explicatis, commissi per inconsultam Tartaricæ Protectionis apprehensionem

facinoris veniam, nec non Privilegiorum avitorum confirmationem humillime precatur, 1648.

Serenisſime ac Potentisſime Rex, Domine noſter clementisſime.

SUbjectionis fidem, tum & militaria obſequia noſtra, quam humillime Sacræ Regiæ Majeſtati Domino noſtro clementisſimo deferimus. Quamvis creberrimæ exercitus Zaporoſcenſis querelæ, aures Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini Clementisſimi, pluries fatigaverint; non admiſſas tamen ſupplicum preces, vel ſuppreſſa miſereſcentis ſuorum Principis reſcripta, nullo malorum reſpirio plane conſtitit. Nunc, Procerum Præfectorumque Ukraynenſium graviore Turcico preſsi jugo; fiduciam in Deo, ſpem allevandi mali, in ſola optimi Regis clementia, reponimus. Multis retro annis patimur injurias, contumelias, depopulationes; nec bonis tantum, & quæ avaritiam irritare poſſunt, ſed liberis corporibus vis infertur. Arva ex antiquo poſſeſſa, vel de novo exculta, prædia, horrea, molendina & quod uſpiam Coſacorum eſt, pro libitu rapientium adimuntur; abiguntur pecora, expilantur alvearia; equis quibus milites meremur, privamur. Nec ingemiſcere licet, preces pro contumacia; queſtus & lachrymæ, pro rebellione audiunt. Plena Coſacis ergaſtula, & carceres publici; luunt alii corpore; alii nulla, niſi quod ditiores, cauſa trucidantur. Conquerimur irrito effectu, patimur nulla inimicorum ſatietate. Legati Legionum noſtrarum ex protectoribus proditores facti, atroci in nos ſæviunt laniena, quippe

Dyna-

Dynastarum Ukraynensium Vasalli, aut a clientelis. In complementum miseriæ, deterrima gens Judæorum, calide novos prædandi finus exquirit; mox ubi spoliis substantiolisque nostris se expleverit, variis technis ac criminationibus urget Præfectos, in necem Cosacorum vecordes. Inde nobis restes, & gladii, si criminis accusari possumus ex eo; quod ad Regem nostrum & supremum vindicem, vel confugimus, vel confugere meditamur. Additæ a sævientibus exprobrationes, ferrent vel mitterent ad Regem supplices libellos, expectarent futura, paterentur præsentia. Itaque intolerando amplius mali sensu, extrema avitis sedibus pulsi miseria, relictis conjugibus pignoribusque consulendum censuimus vitæ, inter tot inimicorum insidias, evidenter periclitanti. Nec aliud nisi in Zaporoze lectum nobis reclinatorium, unde olim majores nostri, Regno huic ac Sereniſſimis Regibus obsequia, meritis militaribus Orbi nota, præstitere. Verum neque eo succesſu fida nobis statio, impetimur, & ad necem deposcimur, non ut subditi Regis, sed ut vilissima mancipia. Testem Deum appellamus, nos ab obsequii debito ne latum unguem recessisse. Cum Illustrissimus Castellanus Cracovienſis, in Zaporozii aditis securos esse non sinens admoto exercitu Boryſthenis latebras oppugnavit, nec miseros exules, loco tutos esse permisit, donec perderet: nominis generisque Cosacorum agitans excidium. Proin, cum valido exercitu succinctus, requireret sanguinem innocentem, ex necessitatis extremæ consilio, uti opera & protectione Hani Crimensis, adversus novissimum di-

ferimen coacti fuimus. Inde factum vindice Deo, ut aridis cum lignis, etiam crudam struem ignis involveret. Origo mali, vel tantæ cladis causa, cui merito adscribi debeat, Dei judicium esto. Nunc exercitum Zaporoscensem, ad ima pedum Sac. Reg. Majest. provolutum, humillime deprecari, culpæ ac noxæ commissorum condonandis: Deinde testari, ut semper hæc militia in fide adversum optimos Reges constans extiterit, etiam nunc stabilem in obsequio manere: ac, si quid erratum est, prompta dein opera, ut qui inviti peccaverint, eluendum; Precari item, ut privilegia ac immunitates suæ a Sereniss. Regibus gratiose militiæ Zaporoscensi impertitæ, incolumes manerent. Quibus cum postulatis, ad ima subsellia victricis solii devoluti, suæ Serenissimæ Majestatis, Domini Clementissimi fideles subditi manent. Datum in Arce Bialacerkiew, die 2da Julii Anno 1648.

Bohdanus Chmielnicius, Senior Exercitus Zaporoscensis. Sac. Reg. Maj. Domini sui Clementissimi.

(CXI.)

Litera JOHANNIS CASIMIRI, designati Poloniæ Regis, ad CAROLUM FERDINANDUM, Fratrem suum, quibus ipsi valde exprobrat, quod sibi in obtinendo fastigii Regii gradu velit esse remoræ, 1648.

Serenissime Princeps, Domine Frater colendissime,

INsperatum penitus accidit, quod Serenissima Majestas mihi non solum uti Fratri Majori, sed communis

munis Domus dignitati, eo Regni ambitu gravis immineat. Siccine vero amor innatus exponi debet, non indigenarum modo admirationi, ſed & cenſuræ externorum? Per Deum, duo non niſi ſuperſtites, nec concordes agere poſſumus. Mihi (quod obſtricta jurejurando fide ſcripſerim) ſi per naturæ ordinem junioremnaſci contigiſſet, non modo ex ſe nulla regalis faſtigii a fratre aſſequendi remora foret: Sed omni conatu, incremento ejus inſiſterem ſperans omnino fratris fortunam, venturam in partem ſortis meæ, decoris & ſolatii. Nunc paſſim liquet, non amorem modo debitum eo progreſſu titubare; ſed ipſum hoc inclytum Regnum confundi. Enixe itaque a Veſtra Majeſtate peto, ut utroque maturi judicii trutina perpenſo, utrique conſulere velit, ſermonibus anſam Reipublicæ confuſioni ſubtrahendo materiem. Enixurus eo ſum, ut abolita præſentis temporis neceſſitate, non Fratris modo, ſed filii loco Veſtram Majeſtatem habeam, omnem fortunam, in ſinceri affectus conteſtationem, profuſurus. Quod ſi Clientum res agi videatur, quidni commodis ſuis adverſari me metuent? quorum conſtantiam animitus probo; eo loci favoris gratiæque futuri, quo me ipſum ſecuti. Et certo certius eandem, quam nunc veſtræ Majeſtati conteſtor, propenſionem experturi. Datum Neporentii die 6. Novembris Anno 1648.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

ex corde amans frater,

Johannes Caſimirus, Sveciæ Rex.

(CXII.)

Responsoria CAROLI FERDINANDI, Principis Regii, ad præinserias JOANNIS CASIMIRI Fratris sui literas, 1648.

Serenissime Rex, Domine Frater Colendissime.

NOn immensior cujusquam cura mihi, quam amoris Fraterni cum Vestra Majestate constantissime retinendi; non tamen, quo modo communis Domus honos violatus a me probe dispicere possum: nec item assequi, unde materia promanet publico livori & obtrectationi. Avertat Deus, remorari a me fortunam Vestræ Majestatis: Sed neque in levi habenda ea sors, quæ etiam mihi sperari & evenire potest, præsertim, cum fastigium Throni Sarmatici, ex Ordinatione Altissimi & liberæ Gentis suffragiis, unice dependeat. Constitutus in qualicunque Fortunæ gradu, fratri memi nero, quod idem, ut Vestra Majestas præstare dignetur, animitus peto. Erimus autem Nostri sequacium, ab utrinque, non immemores. Datum Jablonnæ die 7. Novembris Anno 1648.

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

Frater & servitor

Carolus Ferdinandus mp.

(CXIII.)

Litera DEPUTATORUM ET LEGATORUM STATUUM S. ROM. IMPERII, ad PHILIPPUM IV. Hispaniæ Regem, quibus ab eo sub-

ſubmiſſe contendunt, velit Præfectis ſuis mandare, ut Frankendaliæ munimentum, unicum adhuc pacandæ Germaniæ obicem, confeſtim Electori Palatino reſtituant, 1650.

Sereniſsime ac Potentiſsime Rex, Domine Clementiſsime.

AD aures Veſtræ Majeſtatis mittunt hanc S. R. Imperii Electorum, Principum, Statuumque Legati poſtulationem afflictiſsimæ Noſtræ Germaniæ non minus neceſſariam, quam Veſtræ Majeſtati honorificam, cujus ſumma eſt, ut præſidium Franckendalia deducere, locumque hunc Domino Electori Palatino, huper Clementia Cæſaris & lege pacis Monaſterienſis ad inferiorem Palatinatum, quantum equidem in Cæſaris poteſtate fuit, reſtituto, reddere dignetur. Etſi vero Majeſtatis Veſtræ benignitas per univerſum Chriſtianum orbem adeo celebris ſit, ut optima ſpe pleni locum precibus Noſtris datum iri confidamus: tamen ne quid deſit, quod ad officium Noſtrum pertinere poſſe videatur, ſingulari hoc ſcripto neceſsitatem Noſtræ petitionis explicatiori ſtylo, Majeſtati Veſtræ nomine Collegii Electoralis, repræſentandam eſſe duximus. Memoria tenent Noſtri Principales, diſſidia Germaniæ inter reliquorum Principum, etiam Majeſtatis Veſtræ arma involviſſe, ideoque nihil æque deſideraſſent, quam ut Tractatu Monaſterienſi, quæ ipſi cum Rege Chriſtianiſsimo intercedunt differentiæ, componi potuiſſent. Facile enim apparebat, quietem publicam orbi Chriſtia-

no aliter reduci & ſtabiliri non poſſe. Sed eo tum in ſtatu res Germanicæ fuere, ut non magis in Ordinum poteſtate eſſet, leges alias a triumphantibus confœderatarum Coronarum armis accipere, quam illas, quas vellent, dare, ut ſane neceſſarium Nobis fuerit e tantis publicarum calamitatum ærumnis quibuscunque tandem conditionibus eluctari. Non tamen ea mens Principalibus Noſtris unquam fuit, veteris cum Regia Veſtra Majeſtate amicitiæ jura negligere: quod & ſtatim Cæſareæ Majeſtatis Legatis voce & ſcripto per ſuos, tunc temporis in locis tractatuum commorantes, Legatos, declaraverunt. Nimirum cum Legatus Gallicus multa contentione laboraret, ut mutuorum auxiliorum nexus inter Rom. Imperium, Majeſtatemque Veſtram non modo remiſſior efficeretur, ſed & prorſus intercideretur, unicum Principalium Noſtrorum ſtudium fuit, ut ſalva & integra, cum Electoribus, Principibus & reliquis Imperii ordinibus, tum maxime Auguſtiſſimo Noſtro Imperatori, totique Domui Auſtriacæ maneret, quæcunque ipſis juxta legem aureæ Bullæ, Capitulationis Cæſareæ, cæterarumque Imperii conſtitutionum in conſervandis amicitiis defendendisq; amicorum juribus competit facultas. Nec vero quoad conſervandos in Imperio milites, habendos delectus, tranſitusque permittendos plus juris arrogare Regi Galliarum liceat, quam ex inſtitutis Imperii, conſuetaque Germaniæ Ordinibus libertate, Veſtræ Majeſtati, Ejusque Anteceſſoribus Hiſpaniarum Regibus jam olim & permiſſum erat ſemper ac por-

ro

ro etiam liberum foret, quod & poſt concluſam Pacem Monaſterienſem haut ſemel re & facto præſtitum, nec Gallorum objectiones ulla ratione admiſſæ fuere. Et ſperamus Deo opitulante Majeſtati Veſtræ cum ſancto Romano Imperio inveteratam amicitiam etiam in poſterum integram inviolatamque duraturam eſſe. Quod igitur Franckendaliæ reſtitutionem attinet, a Noſtra quidem parte nunquam fuit dubitatum, Majeſtatem Veſtram in eam clementer aſſenſuram; quam primum etiam confœderatæ coronæ, juxta Pacis leges, loca bello occupata, priſtinis reſtituerent Poſſeſſoribus, quemadmodum id ipſum per ejusdem Aulæ ſupremum Præfectum, Excellentiſſimum Dominum Comitem de Haro, Oratorem in Aula Cæſarea confirmatum, ex ipſis Cæſareæ Majeſtatis literis, non ita pridem, accepimus. Nec intermiſimus, quin hac de re cum prædictarum Coronarum Plenipotentiariis ſerio ac ſæpius ageremus, illisque conſtanter inculcaremus, omnino rationi conſentaneum fore, ut omiſſis omnium prætenſionum ambagibus, præſtarent prius Ipſi, quod a Majeſtate Veſtra, cum qua tamen contractum eſſet nihil, tantopere flagitarent. Et quamvis ſtatim ab initio hujus Conventus nihil non tentatum fuerit, quo Imperii Ordines ad præſtanda Obſidioni Franckenthaliæ, quam agitare animo Galli, Svecique videbantur, auxilia inducerentur, nunquam tamen effici potuit, ut quidquam amicitiæ Veſtræ Majeſtatis adverſum committeretur. Inque ea etiamnum perſeverant ſententia dicti Ordines firmiter perſuaſum haben-

tes, Veſtram Majeſtatem nulla ratione permiſſuram, ut longiori hujus munimenti detentione pax Imperii, tanta rerum jactura conventa, denuo turbari poſſit. Hac Ordinum conſtantia effectum tandem, ut Sveci Gallique nuperrime mutua cum legatis Cæſareanis pactione ſpoſponderint, omnia loca bello occupata iis, ad quos pertinent, bona fide ſe ceſſuros, militesque ex Terris Imperii deducturos, quam primum vel Franckendaliæ reſtituendæ dies certa conſtitueretur, vel re nondum expedita caſtrum Ehrenbreitſtein, Rheno ad Confluentes Moſellæ imminens, in manus ſequeſtratorias Domini Electoris Moguntini interea traderetur. Quæ quidem ſequeſtratio eo tantum fine propoſita fuit, ut ad Majeſtatis Veſtræ æquanimitatem commodius fugiendi Nobis ſpatium longius & ſecurius eſſet. Non inficiamur Cæſaream Majeſtatem gravibus ſane argumentis motam, hactenus in ejusmodi ſequeſtrum conſentire noluiſſe. At vero res hæc in eum devenit ſtatum, ut in manu ac poteſtate Veſtræ Majeſtatis ſitum eſſe ingenue profiteamur, quietem ac tranquillitatem Sacro Romano Imperio cum effectu dare, ac tam diuturnis malis Germaniam liberare, invidiam odiumque omne, quod ex longiore detentione hujus loci in Sacratiſſimum noſtrum Imperatorem, quamvis immerito, redundare poſſit, e medio tollere. Rogamus igitur ea, qua par eſt, reverentia & humilitate Veſtram Majeſtatem, ut Principalium Noſtrorum, omnium Imperii Ordinum votis benevole annuere dignetur, mandetaque ſuis militiæ Præfectis

fectis quamprimum transmittat, quibus præsidium illud Franckendalense deducere, oppidumque Domino Electori Palatino restituere jubeantur. Merebitur hac benignitate apud universos Germaniæ Ordines, Pacis Germaniæ instauratoris, egregium & glorioſum nomen, noſtrosque Principales ad perpetuæ gratitudinis officia quacunque rerum occaſione devinctos ac promptos habebit. Deus T. O. M. Majeſtatem Veſtram divina ſua Protectione quam diutiſſime ſervet incolumem & omni proſperitate florentiſſimam. Dabantur Noribergæ 12. Martii, Anno 1650.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Sacri Rom. Imperii Electorum ad Pacis executionem Deputati Conſiliarii & Legati.

(CXIV.)

Litera CONSILIARIORUM & LEGATORUM ORDINUM S. R. Imp. ad Pacis executionis Tractatus deputatorum, ad CHRISTINAM, Svecorum Reginam, cui pro conſtanter feliciterque exantlato, qui innumeris difficultatibus obnoxius erat, circa pacem Weſtphalicam ejusdemque executionem labore, maximas perſolvunt gratias, reſiduaque, ut executioni quantocyus mandare dignetur, maximopere ab ea efflagitant, 1650.

Sere-

Sereniſſima & Potentiſſima Regina, Domina Clementiſſima.

ETſi ab eo tempore, quo Pax Osnabrugis fuit concluſa, ratificata & publicata, aliæ ex aliis natæ ſint difficultates, & inde executionis Tractatus in hodiernum usque diem protracti, annuit tamen Deus afflicti Imperii votis, & effecit Majeſtatis Veſtræ Regiæ conſtantia, nec non Regii exercitus Generaliſſimi, Domini Caroli Guſtavi Principis Palatini, ſingularis prudentia & dexteritas, ut nunc dicti Tractatus optatum feliciſſimum finem ſint aſſecuti, eoque facto totum Imperium indicibili gaudio affectum, quod ut Majeſtatis Veſtræ glorioſiſſimam ſemper memoriam dulciſſime venerabitur, ita eidem omnium S. R. Imperii Electorum, Principum & Statuum nomine ea, qua par eſt, devotione, & qua fieri poteſt lætitia, ex toto corde & grates agimus, & gratulamur, Deumque enixe rogamus, ut ſicut Sereniſſimos Majeſtatis Veſtræ heroicarum Virtutum radios univerſus Orbis jam dudum admiratur, ita etiam eandem omni proſperitate videat ſemper florentiſſimam feliciſſimamque. Et, ut de Majeſtate Veſtra nefas foret dubitare, quin omnia, quæ ex pace Osnabrugenſi, ut & nuper hic facta conventione præſtanda reſtituendave ſunt, ſinceræ promptæque executioni ſit mandatura, & cum S. R. Imperii Electoribus, Principibus & Statibus perpetuam amicitiam obſervatura, ſic etiam finem ejus difficultatis, quæ circa ulterioris Pomeraniæ limites cum Domino Electore Brandenburgico hucusque ſupereſt,

eſt, proindeque plenariam ipſius Reſtitutionem omni die, una cum Dominis Principalibus, avidiſſime expectamus, & Majeſtati Veſtræ omnem Regiam incolumitatem humillime apprecamur. Noribergæ die 2. Menſis Julii Anno 1650.

Regiæ Majeſtatis Veſtræ

humillimi

Sac. Rom. Imperii Electorum, Principum ac Statuum ad Pacis executionis Tractatus Deputati Conſiliarii & Legati.

(CXV.)

Litera HIERONYMI RADZIEJOWSKII, Procancellarii Regni Poloniæ, ad ORDINES REGNI, efflagitandæ, contra Regis Johannis Caſimiri iram, protectionis cauſa exaratæ, 1652.

P. P.

TAnta mole invidiæ, quantam Civium nemo in Patria expertus eſt, ab æmulis inique oppreſſus, fidem Quiritum imploro, ac ad Collegium hoc ſingulare libertatis aſylum, Patriota, Confrater, & Miniſter Regni appello. Calamitatem, quam immeritus ſubii, ne lacrymis quidem, nedum queſtu proferre licet. In ædibus ac manſione propria, ſub conſpectu Sac. Reg. Majeſtatis ſecuritate fretus oppugnor, ſpolioque: enormis injuriæ additamentum mox habeo, dum incompetentis fori decreto, contra omne jus & æquum innodor; cui ſimile poſt hominum memoriam non exſtitit unquam. Absque delatore, Patrono, ſcru-

ſcrutiniis ſuper me pœnæ criminalis decernuntur, pars provocata civiliter in ſpecie judicata manet. Decretum cædes continet, quæ non comparent; Crimen læſæ Majeſtatis imputatur, quod nonniſi judiciis Comitialibus vindicandum fuit. Inde nunc honore diminutus, ac capite minor, pro hoſte Patriæ reputor. Si proditionis in Patriam, ſi læſæ Majeſtatis argui poſſum, Respublica judicet; paratus, ubi objecta crimina legitima probata fuerint, ea in publico, ſanguine proprio eluere. Quod ſi malevolorum conſpiratione premor, per amorem Patriæ conſulite legibus, porrigite afflicto dexteram, proſtratumque civem conſervate. Proximus ardet Ucalegon, quod ſi conſimili arte conſueverint invidi præclaros viros ſubvertere, mementote, quod immerito mihi veſtis hæc conſuta, in unum quemque Veſtrum per conſequens aptari poteſt. Datum Petricoviæ, die 23. Januarii Anno 1652.

(CXVI.)

Litera FRIDERICI III. Daniæ Regis, ad ORDINES HOLLANDIAE ET OCCIDENTALIS FRISIAE, quibus ipſis cauſam Friderici, ſupremi Ordinis Melitenſis per Germaniam Magiſtri, Commendas Ordinis in diſtrictu Harlemenſi ſitas attinentem impenſe commendat, 1652.

Fridericus, Dei Gratia Daniæ, Norwegiæ, Wandalorum & Gothorum Rex &c. Salutem, amicitiam & propenſam voluntatem.

Nobiles,

Nobiles, Præpotentes Dom. Dom. Ordines Hollandiæ & Occidentalis Frisiæ, Amici, Vicinique singulares.

NOs Reverendissimus ac Illustrissimus Princeps, Dilectus admodum noster Cognatus, Dominus Fridericus, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Hassiæ Landgravius, Equestris Ordinis Melitensis Supremusque per Germaniam Magister, Comes Catti-Meliboci, Diezii, Ziegenheinii, Nidæ, Isenburgi & Budingæ &c. amice certiores reddit, qua ratione sua Dilectio apud Præpotentes DD. Vest. Vest. ob restitutionem aliquot Commendarum, quæ sub Hollandia sitæ ad eundem Ordinem pertinerent, interim a Magistratu Harlemiensi antehac, pacificatione Anno 1576. Gandavi inita & hanc Anno 1579. subsecuta Unione Ultrajectina, Decretisque iisdem convenientibus neutiquam attentis, via facti occupatæ fuissent, jam plures interponi fecerit petitiones, hactenus autem effectu ipso nihil aliud expertam esse, quam quod proxime in Comitiis universalibus ad percipiendas solummodo examinandasque partis Rationes 6. Civitates pro Commissariis fuerint delegatæ, spe facta, id, quod rei esset conveniens, postea præstandum fore. Unde suam Dilectionem metuere, ne causa hæc in ulteriorem moram protrahatur, indeque illa legitimo suo jure facile frustretur privetur que. Unde rogavit Nos, Cognationis ergo, partibus suis susceptis, apud Præpotentes Dom. Dom. Vest. Vest. Regiam Nostram Autoritatem eò usque interponeremus, negotiumque eatenus com-

commendaremus, ut præcisis quibusvis ambagibus metuendis, Dilectioni suæ in bonorum Ordinis ipsi concreditorum, æquissima restitutione, auxilium subministretur. Enim vero est, quod Domini mature secum perpendant, etiamsi causa hæc nonnihil suspendi & circumduci queat, tamen id, quod justo titulo quæsitum non est, vero suo Domino denuo tandem restituendum esse. Maxime cum allegata Pacificatio Gandavensis hancque subsecuta Unio Ultrajectina vendicanti parti in hoc suffragentur, & alias prædictus Ordo de Christianitate bene sit meritus. Proinde Dom. Dom. Vestr. Vestr. Præpotent. amice & vicinitatis jure requirimus, ne effugiis minus fundatis locum concedant, sed Dilectioni suæ sæpius nominatæ Domin. Landgravii Friderici, in consequendo eo, ad quod vi officii dignitatisque suæ jus habet, benevole, lubenterque assistant. Id sane in singulare Dom. Dom. Vest. Vestr. Status encomium cedet, & nos opportunitatem nacti, quavis amicitia illud reponere pollicemur. Coppenhagæ in Nostra Residentia die 12. Maji 1652.

(CXVII.)

Litera FRIDERICI III. Daniæ Regis, ad MAGISTRATUM CIVITATIS AMSTELODAMENSIS, de bonis supremo Ordinis Melitensis per Germaniam, Magistro, quæ Harlemensis Civitas sibi injusto titulo vindicaverat, restituendis, agentes, 1652.

Fridericus Tertius, Clementissimum, benevolumque Vobis offerimus affectum. *Viri*

Viri Honesti, clarissimi, singulariter amandi.

NObis Reverendissimus & illustrissimus Princeps Cognatus Noster admodum Dilectus, Dominus Fridericus Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Hassiæ Landgravius, Equestris Melitensium Ordinis supremus per Germaniam Magister, Comes Catti Meliboci, Diezii, Ziegenheimii, Nidæ, Isenburgi & Budingæ &c. amice referre voluit. Dilectionem suam apud Præpotentes DD. Hollandiæ Ordines, restitutionem bonorum, quæ in Hollandia sita, ad Ordinem Melitensem pertinerent, paucis vero abhinc annis a Civitate Harlemiensi vindicata fuissent, jam diu sollicitasse, hucusque tamen aliud non impetrasse, quam quod in majoribus Comitiis sex civitatibus id tandem negotii datum sit, ut illæ utriusque partis argumenta, rationesque prius ponderarent, harum dein relatione accepta, de causa ulterius futuro tempore disponendum fore. Cum vero memorata sua Dilectio id pertimescat, ne huic negotio facile remora injiciatur, illaque exinde legitimo jure suo frustretur, interea transactio Anno 1576. Gandavi celebrata, & hanc Anno 1579. secuta Unio Ultrajectina ei nihil sit profutura. Ideo a Nobis postulavit, ut cognationis, ex utraque nostri parte intercedentis, ratione habita, justissima sua desideria prædictis DD. Præpotentibus Ordinibus (Vobisque separatim) plurimum commendaremus. Quia igitur Dilect. suæ in causa tam æqua morem non gerere haud possumus, ideo hisce a vobis cle-

mentissime & propenso animo petimus, consiliis Vestris id inter alios efficere conemini, ut quavis vitata prolixitate prædictæ D. Landtgravii Dilectioni, in restituendis hujusmodi bonis interversis, & adhuc detentis, quo citius eo gratius efficaciter iterum satisfiat. Quod ipsum æquitas tandem alias exiget, Nosque Vobis & optimæ Civitati Vestræ favores vicissim regios, eosque propensos spondemus. Datæ Coppenhagæ in Nostra Residentia d. 13. Maji Anno 1652.

(CXIIX.)

Litera HIERONYMI RADZIEJOWSKII, Procancellarii Regni Poloniæ, Patria ejecti, ad DOMINUM SCHMIELNISKIUM, summum exercitus Zaporoviani Præfectum, quibus ipsi, ut arma exercitus sui cum Svedicis conjungat, & Protectionis Polonicæ jugum excutiat, autor suasorque est, 1652.

Magnifice Domine Ductor Exercitus Zaporoviani, Domine & amice observandissime.

Qua ratione mea fida & laboriosa obsequia ab ephœbis tam Reipublicæ, quam & Regibus Poloniæ cum dispendio vitæ ac fortunarum mearum præstita compensarit mihi Sacra Regia Majestas, innotuit id non inclyto tantum Exercitui Zaporoviano, verum & universo orbi. Commentitis contra me variis occasionibus, maxime quod semper ad retinendam pacem cum exercitu Zaporoviano consilia mea expectarent, siniſtre id inter-

Digitized by Google

terpretando, ac ſi tacitam conſiliorum meorum, cum Dominatione Veſtra exercituque Zaporoviano haberem communicationem, & quod in generali expeditione Nobilitas Kyoviam verſus tendere voluit, mihi (ac ſi fratribus meis diſſuaſiſſem) imputando, varios conquirebat modos, quibus me non officio tantum, Privilegio advitalitio, a ſe conceſſo, non capitaneatibus, ab aliis Regibus Poloniæ pro ſanguineis meritis meis mihi collatis exueret, verum in tantum vitam meam appetiit, ut probaret impium & ante hac inauditum in Polonia absque ulla ratione in judicio ſuo Marſchaliali contra me capitis ferre Decretum, impari mihi ad reſiſtendum potentiæ Regiæ in exteras nationes divertendum, apud easque pro palpabili injuria mea, univerſo orbi demonſtrata, de mediis bonorumque meorum omnium recuperatione ereptorum cogitandum fuit. Propoſui itaque conferre me ad exercitum Zaporovianum, nihil ambigens, quin propenſi mei erga ſe non ignari affectus, grato me ſuſcepturi fuiſſetis animo: Verum conſcius efferatæ iræ Regiæ in Veſtram maxime Dominationem, quam omnimode e vivis Regia Majeſtas tollere ſatagit, placuit eo me divertere, quo loco Dominationi Veſtræ & exercitui Zaporoviano proficuus eſſe poſſem: Contuli me itaque Stockholmiam, ad Reginam Sveciæ, & enarrata ei mea tanta injuria obtinui, quæ in votis habebam, ut me & injuriam meam ſub ſuum acceperit Patrocinium, aſſignata mihi ſufficienti Stockholmiæ proviſione, Sacræ Reginalis Majeſtatis gratia fretus, eo ſecurius injuriam, quam Veſtra Domina-

tio & exercitus Zaporovianus a Sua Regia Majestate passus est, Sereniſſimæ Reginæ retuli, supplicans ei, ut Vestra Patrona esse dignaretur, qui omnino ex Sereniſſima Regina intellexi, eam maxime favere Dominationibus Vestris, & esse propensam ad ineundam conjunctionem, modo ipsi eam acceptetis. Condolet & ex eo Dominationibus Vestris, tam necessario toti Reipublicæ, exercitui, per quem Respublica fere anteriori tempore cum gloria nominis sui potiebatur victoriis, a Sua Regia Majestate jura, libertates, imo & transactiones verbo Regio assecuratas, non servari; Obtenta igitur ejusmodi Reginalis Majestatis declaratione ex nunc generosum Jasinski famulum meum, cui confido, ad Dominationem Vestram expedio, mandando, ut omnem in adeunda Dominatione Vestra navet operam, qui, rogo, bene tractetur & cito expediatur. Puncta hæc sunt: Primum, ut a Dominationibus Vestris simul cum hoc nuntio meo una vel duæ personæ dignæ, quæ callent linguam græcam, huc expediantur, quippe Reginalis Majestas & scribendi & loquendi arte idiomate græco optime pollet. Secundum, ut quisquis ille a Dominationibus Vestris mittetur, plenariam facultatem, tam a Dominatione Vestra, quam toto exercitu Zaporoviano habeat; omnia hæc realiter & firmiter cum Reginali Majestate concludendi, quæ in Commissis ipsi dabuntur. Quin imo in vobis est, ut aliqua persona spiritualis hic ad latus Reginalis Majestatis, ritus Ecclesiæ suæ libere exercens resideat, propter faciliorem in omnibus cum exercitu Zaporoviano communicationem.

Quem-

Quemlibet vero hic commoraturum omnimode obſervare & ſufficienter illi in omnibus proviſum iri, pollicetur Reginalis Majeſtas. Promittit inſuper Reginalis Majeſtas Dominationibus Veſtris, maxime vero Dominationi tuæ, magnifice Domine Ductor, fore ex ea tam totum exercitum Zaporovianum, quam Dominationem tuam contentos, quippe hæc Domina bellicoſa, promiſſorum tenax (teſtantibus itidem pactis cum Cæſare Chriſtiano) quomodo ea ſacroſancte obſervet; & ego hanc meam injuriam hic maximo commutavi ſolatio, cum talem invenerim Reginam, quæ eſt miraculum totius mundi, & ea, qua totum Regnum & ex minimis ſubditorum (prout ſæpius exaudivi) contenti exiſtunt. Quoad liberalitatem, hac nemo Regum in mundo reperietur, qui eam adæquare poſſet, quod & ipſi, Deo dante, experiemini: Quamvis vero ulterior induciis præfixus eſt terminus, juſtas tamen Reginalis Majeſtas in adverſum habet cauſas, eas inducias eſſe a Rege Poloniæ violatas, quare non illi, ſed Regi earundem cauſa ſolvendarum imputaretur. Exercitus ſunt parati ingentes, vicinitas etiam non remota, qui exercitus adventum nuntiorum veſtrorum præſtolantur & poſt firmatam inſeparabilem conjunctionem ſine mora movebuntur, ſupereſt tantum Dominationem Veſtram in his ſecretis eſſe tenaciſſimam, illudque occultiſſimum habere, donec in ſuum reducatur effectum. Ego quoque hic reſidebo, huic bello adfuturus cum Reginali Majeſtate, quæ & ipſa in perſona expeditioni adfutura eſt. Optat quidem Rex pacifice vivere cum Reginali Majeſtate, & his

temporibus iterum in Septembri Commissarii Regis Poloniarum Lubecæ cum Commissariis Sveticis sunt conventuri: Sed conscia Reginalis Majestas inconstantiæ Regiæ ambigit, quin hæc Commissio suum sortiatur effectum, maxima tantum in eo vobis adhibenda opera, quomodo secure & quam citissime, tam meum famulum, quam nuntios suos, quos Reginalis Majestas contentos reddet, expediatis, ne alicubi capiantur, vel maxima est agendum dexteritate; interim sic res & exercitus vester disponi necesse est, ne ullis sese cum exercitu Polono objiciant periculis: cum Tartaris quam maxime habenda conjunctio. Per Dominia Palatini Moldaviæ caute expediendum, non est enim cui fidatis, & ad Rakocium expedite eundum, ut vires Vestras cum illo conjungatis & ne vos ipse deserat; Isti autem exercitus Svetici, qui per Livoniam transirent, recte tenderent in Albam Russiam Makilaviam versus, facilisque illis cum exercitu Zaporoviano esset communicatio, imo cum illis, qui per Russiam recta ad Regem vergerent, & eo modo Ukrainia integre exercitus Zaporoviani, hoste vacuata, foret. Certa spe securus maneo, hanc meam erga se & totum Exercitum Zaporovianum propensionem, grato Dominationem Vestram susceptúram animo, qua de re ulteriora mea communicabo consilia, illud tantum rogo, ut, cum omnia bene perspecta habebit, literæ meæ per nuntium meum comburantur, ne in manus Regis veniant; sicut illæ priores, quæ ad Berstecho acceptæ fuerunt, & meæ ibidem sunt inventæ, licet in illis nihil secreti continebatur. Commendans

dans me interim gratiæ Dominationis Veſtræ. Datum Stockholmiæ 28. Maji 1662.

Magnificæ Dominationis Veſtræ

fidiſſimus amicus & ſervitor

Hieronymus Radziejouski,
Procancellarius Regni

(CXIX.)

Litera GENERALIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM ad CHRISTOPHORUM BERNHARDUM Epiſcopum Monaſterienſem, quibus Dominium Berculonenſe Ducatus Geldriæ feudum eſſe & cauſas Comitum de Limburg ad dicti ducatus forum unice pertinere probare conantur, 1653.

Reverendiſſime Princeps & Domine.

DOmini Deputati Provinciæ Gelricæ retulerunt & repræſentarunt in noſtro conventu propoſitionem, quam Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ poſtremo Decembris per ſuos Deputatos facere placuit apud Dominos Conſiliarios Provinciæ Gelriæ de Dominio Borculo cum annexis: ſimulque exhibuerunt libellum typis excuſum cum hoc titulo: Relatio bene fundata de negotio Burculonenſi, ſcriptum contra dictam propoſitionem cum deductione juris, quod Provinciis fœderatis Belgii non ſolum in commune, Gelricæ vero Provinciæ ſigillatim competit in dominium Borculo; verum etiam jus, quod Dominus Comes de Stirum in idem habet Dominium, cujus exemplar literis his adjunximus. Confidimus quod Reverendiſſima Veſtra Dominatio æque ac conſilium ejus, informari ſe

patiatur de ſtatu & particularibus cauſis ſpectantibus ad æquitatem negotii de Territorio & Dominio Borculonenſi, non ſolum quomodo prædictum Dominium manifeſte habitum fuerit pro feudo extraneo (quod notandum) Monaſterienſi, ut palam ſit ex propoſitione §. 3. facta per Deputatos Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ, ſed etiam quod a centum, ducentis, trecentis & quadringentis annis & ſingulatim anno 1540. Dominus de Borculo, cum Spiræ a Fiſcali Imperii taxatus eſſet ad perſolvendas certas contributiones Imperio, conqueſtus ſit apud Majeſtatem Cæſaream glorioſæ memoriæ, veluti Ducem Gelriæ & Comitem de Zutphen, cum hac expreſſa declaratione: quod præceſſores ejus contributiones & alia onera perſolviſſent Ducatui Gelriæ & non Imperio, & quod belli pacisque temporibus, velut ſubditi Gelriæ obſtricti huic Provinciæ permanſiſſent, non ipſi ſolum, verum etiam eorum nobilitas, officiales, ipſumque etiam oppidum Borculo, declarantes, habitos ſe fuiſſe velut fideles ſubditos, quatenus oppida, caſtella, munimenta, clauſtra atque repagula ſua aperta eſſe debeant Principibus Gelriæ & Comitibus de Zutphen tam ad intrandum quam exeundum, ad quemcunque uſum & contra quoscunque absque cujusquam exceptione. Item, quod Domini de Borculo locum habuerint inter Ordines Gelriæ: nec non quod ante hac Domini Gelriæ & Zutphaniæ jam ab anno 1236. reſervarint ſibi acta & ſigna ſpecialia ſuperioritatis & ſummæ poteſtatis in Dominium Borculo.

Quod autem atinet jus Gelriæ in prædictum Domi-

Dominium, nos auditis querelis Defuncti Domini Juſti Comitis de Limburg & de Bronchorſt &c. eo fine, ut Dominus & Dominium Borculo, poſſeſſio & Domus & Prætura de Lichtenworde, & alia bona injuſte occupata per Dominum Epiſcopum & per Capitulum Cathedrale Monaſterienſe Anno 1579. poſſit redintegrari in lucrum & utilitatem Curiæ juſtitiæ Gelriæ, & per Dominos Tetrarchiæ Neomagenſis & Arnhemienſis, junctis etiam, ex prævia requiſitione, quibusdam Dominis ex magno Concilio, & ex Curia Provinciali Hollandiæ, quemadmodum etiam ex Curia Ultrajectina & Friſiaca eo deduci, ut cauſa hæc juridice judicaretur; per quam Curiam Gelricam & per Conſiliarios adjunctos, poſtquam concluſio facta eſſet productorum utriusque partis & renunciatum eſſet ulteriori productioni, & poſtulatum eſſet jus; exceptiones propoſitæ a parte ſuæ Celſitudinis Electoralis Colonienſis, velut Epiſcopi Monaſterienſis, rejectæ fuerunt; judicantes nempe Dominium Borculo cum ſuis adhærentiis eſſe jurisdictionis Gelricæ, & mandantes, ut Procurator dicti Domini excipientis ulterius procederet, ſecundum ſtylum ejusdem Curiæ, vi ſententiæ latæ 19. Novembris 1613. Poſt hæc, audita aliqua propoſitione, facta per nonnullos Deputatos Monaſterienſes, circa dictam ſententiam, utile judicavimus (reſpectu ſuæ Celſitudinis Electoralis & Diœceſeos Monaſterienſis, & ad conſervandam amicitiam & bonam vicinitatem) rogare illos, qui conſtituunt Senatum Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanienſis, ut aliquos e ſuo Collegio ad noſtrum mitterent

conventum, ut facta communicatione eorum, quæ circa hanc causam gesta essent, informaremur de statu totius negotii. Qua in re prædicti Domini Gelriæ libenter nobis morem gessere, dederuntque informationem per Deputatos suos, tam in nostro pleno confessu, quam apud Commissarios nostros, idque in præsentia Dominorum Deputatorum Monasterienſium; ita ut videntes robur prædictæ sententiæ, svaserimus dictis Dominis Deputatis Monasterienſibus, ut conventionis modum quærerent, secundum declarationem nostram 9. April. 1614. Dum vero illi, qui statum Monasterienſem administrabant, pro eo, ut conventionis modum excogitarent, causæ suæ inservire conabantur, mandatis a Cæsarea Majestate indultis, quibus Dominus de Limburg & Bronchorst jubebatur abrumpere litem, & ulterius in causam non descendere apud Curiam Gelriæ; factum est, primo quidem, ut 20. Aprilis 1615. a summa potestate Ducatus Gelriæ prohibitum fuerit Domino Comiti facere quidquam eorum, quod præjudicium posset afferre dictæ sententiæ: secundo, quod per sententiam latam 20. Decembris 1615. Celsitudo sua Electoralis, velut Episcopus Monasterienſis, condemnata fuerit ad evacuandam dictam possessionem, & ad restituendum omnes fructus perceptos, cum compensatione jacturarum & impensarum: Tertio: quod hæc sententia executionem habuit.

Ulterius deinceps interpellati per Deputatos Monasterienſes per declarationem nostram 2. Martii 1616. iterum utile judicavimus, ut Domini Deputati omnia possibilia conferrent remedia, ad conservan-

ſervandam amicitiam absque interpoſitione literarum Imperialium, ob cauſas dictas. Quia vero Domini Diœceſeos Monaſterienſis difficultatem prætendebant, ſi hoc negotium in Gelria eſſet componendum; Nos, facta cum illis collatione, ultimo Maji 1617. fecimus propoſitionem iſtiusmodi, ut placeret Celſitudini ſuæ Electorali nomine Diœceſeos Monaſterienſis, concedere Domino Comiti & poſteris ejus feudum dicti Dominii, ſecundum formam antiquæ Inveſtituræ; & Nobis aut Deputatis noſtris, tanquam amicis interceſſoribus & æquis arbitris, committere liquidationem fructuum perceptorum, jacturarum & impenſarum, taxaturis & moderaturis illas cum æquitate convenienti ad conventionem utriusque partis. Quandoquidem vero hæc propoſitio diſplicebat Dominis Status Monaſterienſis, ulterius progreſſi ſunt in Curia Gelrica in taxandis iſtis fructibus & jacturis, & taxatio facta fuit 3. Maji 1622. ad ſummam quingentorum & viginti trium millium florenorum & nongentorum nonaginta quinque.

Licet vero ſua Celſitudo Electoralis & Status Diœceſeos Monaſterienſis procurare debuiſſent ſummæ hujus ſolutionem, exhortati a Nobis 2. Maji 1616. ut voluntarie ſatisfacerent, nec cauſæ ſuæ inſervirent producendo literas Imperiales; non obſtante tamen eo, anno 1623. novas iterum Monaſterienſes obtinuere literas Imperiales, contra Dominum Hermannum Ottonem, Comitem de Limburg & de Bronchorſt, easque in præjudicium & contemtum publicæ juſtitiæ, quæ ex noſtro man-

Digitized by Google

mandato administratur & vilipendium exhortationis nostræ ad conservandam bonam vicinitatem & compositionem negotii adhibuerunt. Quin etiam molesti nobis fuere literis Regis Daniæ, scriptis Fredericoburgi 17. Augusti 1624 & literis Principum & Statuum circuli inferioris saxonici congregatorum Luneburgi 24. Junii ejusdem anni, quo nempe dictus Comes dicta pecuniæ summa frustraretur & executio inhiberetur.

Postquam vero informati fuimus de justitia & æquitate hujus negotii & literis exinde rogati essemus a Dominis Consiliariis Gelriæ 9. Decemb. 1634. ex instantia Procuratoris dicti Domini Comitis, ut autoritate nostra & totis nostris viribus adjuvaremus executionem summæ memoratæ quingentorum viginti trium millium & nongentorum nonaginta quinque florenorum, secundum constitutionem nostram 8. Januarii 1635. fecimus expediri de hoc negotio literas eodem die scriptas ad Celsitudinem suam Electoralem, rogantes & exhortantes illam, velut boni amici & vicini, efficeret, ut Dominus Comes integram posset consequi satisfactionem, secundum tenorem dictæ sententiæ; cum declaratione expressa, si hac in parte spem & expectationem nostram frustraretur, ita ut negotium amice componi non posset, nos obstrictos fore manum fortem commodare dicto Domino Comiti, ad tuendum jus ejus & defensionem justitiæ.

Ut vero hoc negotium ad bonum posset perduci finem per amicam interpositionem, curavimus expediri commissionem nostram 20. Decembris 1639. & mandavimus Deputatis nostris, ut interessent

ſent collationi inſtituendæ hoc nomine, Arnhemiæ, menſe Majo, 1640. inter Deputatos utriusque partis. Illi vero noſtro nomine fecerunt propoſitionem rationalem ad componendam & exſtinguendam controverſiam. Verum ſua Celſitudo Electoralis per literas ſcriptas Bonnæ 9. Julii 1640. nobis ſignificavit, ſeſe non poſſe admittere prædictam propoſitionem. Quamobrem Nos perpendentes examen Domini Comitis, prædictas literas Electorales, & indicium & reſponſum noſtrorum Deputatorum, placuit nobis decernere, ut manu forti adjuvaretur Dominus Comes in ſua juſta cauſa, fuſe explicata indicto reſponſo, ad complementum juſtitiæ: niſi in jurisdictione Status Gelriæ bona reperirentur, e quibus, ſententia lata, emolumentum dicti Comitis cum ſuis annexis & dependentiis reſarciri & compenſari poſſet, idque robore decreti facti 7. Februarii 1641. Poſt hoc Decretum Conſiliarii Gelriæ ſuis nos rogarunt literis datis $\frac{12}{22}$ Februarii 1642. ut manum fortem commendaremus, quo Dominus Comes pleniter frui poſſet effectu dictæ ſententiæ. Ad hanc petitionem faciendam ideo præcipue moti, quod viderent nulla eſſe bona in urisdictione hujus Status, e quibus huic ſententia poſſet ſatisfieri, præter ſolum directum Dominium Borculo, cum ſuis annexis & dependentiis, quod jam adjudicatum erat per viam executionis, virtute ſpecialis commiſſionis & literis mandatorii Conſiliariorum Gelriæ, accepta ad hoc perficiendum auctoritate Statuum ejusdem Provinciæ. Ita ut iſtis literis adjudicationis datis 7. Decembris 164. ſua Celſitudo Electoralis Colonienſis,

Digitized by Google

nienſis, velut Epiſcopus Monaſterienſis a poſſeſſione prædicti Dominii directi rejectus & excluſus fuerit, & e contrario dictus Dominus Comes in poſſeſſionem fuerit admiſſus. Domini vero Status Monaſterienſes non curantes ſatisfacere legitimis prætenſionibus dicti Domini Comitis, & nihil aliud penſi habentes, quam ut literis Imperialibus cauſæ ſuæ patrocinarentur, quibus jubebantur Comites Juſtus & Hermannus Otto annihilare, & abrumpere prædictas lites, ſententias & dependentias harum, velut irrita pronunciata, non obſtante eo, quod dictæ ſententiæ fuerint ſecundatæ ex noſtro ordine & autoritate noſtra, idque etiam per interpoſitionem noſtram, quo negotium commode componi poſſet, & conſervari amicitia & bona vicinitas; inſuper etiam injuſte accuſantes prædictos Dominos Comites contumaciæ, quod non paruiſſent dictis literis Imperialibus; interim Domini Monaſterienſes 6. Julii 1642. obtinuerunt ſententiam, qua Camera Imperialis Spiræ, in puncto attentatorum, dictam cauſam ſpectantem, dictos Comites, qui in Actis vocantur Appellantes, remittit ad judicem, velut in priori inſtantia deſertum, condemnantes Appellantes ad ſolvendas litis expenſas velut contumaces.

Nos vero, tam ex ſcripto, cui titulus eſt, Relatio bene fundata de negotio Borculonenſi, quam ex inſtrumentis probantibus, quæ nobis diligenter transmiſſa fuere per Dominos Conſiliarios Gelriæ, pleniter inſtructi, prædictos Dominos Comites, non tantum ſerio monitos, ſed & literis nomine ſupremæ poteſtatis Provinciæ ſcriptis 20.

Apri-

Aprilis 1615. & ultimo Januarii 1623. ſub Sacramento fidelitatis, quo obſtricti ſunt Dominis Ordinibus Gelriæ, juſſos eſſe, ut diligenter caverent, morem gerere Cæſareis evocationibus aut mandatis, & comparere aut perſonaliter aut per Procuratorem, aut ſe ingererent ad faciendum aut tractandum quidpiam in hoc puncto poſſeſſorio, quod præjudicium afferre poſſet ſummæ & ſupremæ juſtitiæ Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanienſis, aut quod prædictam ſententiam infringere aut quoquo modo nocere poſſet, ut prædicti Domini Comites mandata hæc tam firmiter obſervarent, quam cara ipſis eſſet jurium & privilegiorum harum terrarum conſervatio. Præterquam quod dicti Conſiliarii ſignificari curarunt Celſitudini ſuæ Electorali & Cameræ Imperiali, ſe ſe obſtrictos eſſe ad protegendos Dominos Comites, tanquam ſubditos harum Provinciarum, nec ipſos ſolum, ſed & bona illorum, idque contra omnem violentiam inſuperque obſtrictos eſſe opponere ſe executioni literarum Imperialium. Quamobrem nos minime permittere poſſumus, ut per Cameram Imperialem vis inferatur dictis Dominis Comitibus, quia obedientes fuerunt mandatis ſummæ poteſtatis, idque per ſententiam in puncto attentatorum ob contumaciam latam a Camera Cæſarea, & munitam poſtea literis Cæſareis executorialibus, præcipue propter allegatas rationes in prædicto ſcripto Relationis bene fundatæ &c. Art. 183. & ſequentibus.

Maxime nobis gratum fuiſſet, ſi Legati & Plenipotentiarii noſtri, quando tractantibus pacis Mona-

Monasterienſis intererant anno 1646. potentibus & efficacibus rationibus, quas allegarunt apud Conſilium Principis Monasterienſis, Domini Ottoni, Comiti de Limburg & de Bronchorſt, &c. integram juſtitiam procurare potuiſſent; utpote, qui multis nominibus carus imprimis & ſingulariter nobis ſit commendatus, ut teſtati ſumus literis 26. Februarii 1646. ſcriptis ad Legatos noſtros. Verum in eo Domini Monasterienſes, in illa urbe Deputati ad conferentiam, eluſere bonam noſtram intentionem. Nos tamen conſiderantes omnia, quæ facta ſunt juſſu & autoritate noſtra, & ſimiliter ea, quæ acta ſunt in noſtro conventu, ſatis intelligere non poſſumus, quamobrem cauſa dicti Domini Comitis non ſit æque juſta, atque illam præcedentibus literis & conſtitutionibus noſtris declaraverimus. Qua propter bene nos facturos judicavimus, ſi Dominationem Veſtram Reverendiſſimam amice, & uti bonos decet vicinos rogaremus, id efficere, ne dictus Dominus Otto Comes de Limburg & de Bronchorſt, impoſterum inquietetur ullis literis Imperialibus, in præjudicium juſtitiæ cauſæ ſuæ, evictæ per ſententias Curiæ Gelricæ, & confirmatæ noſtro juſſu & autoritate; & ut Dominatio Veſtra Reverendiſſima jubeat & efficiat, ut porro impleatur juſtitia debita Domino Comiti ſecundum latas ſententias & dependentias harum. Nihilominus, ſi Dominatio Veſtra Reverendiſſima credit, aut per Nos, aut Deputatos noſtros, velut interceſſores, mediatores aut arbitros amicos, poſſe negotium & controverſiam hanc perducere ad bonam compoſitionem, in hoc caſu

nos

nos libenter a parte noſtra contribuemus, quid-quid a Nobis fieri poſſit, & jubebimus Deputatis noſtris, ut præſentes ſint conferentiis, quæ hic Hagæ inſtituentur, tempore a Dominatione Veſtra Reverendiſſima aſſignato. Quod ſi e contrario, iſtud obtineri non poſſit. quod tamen minime ſperamus, in hoc caſu obſtricti erimus tueri præcedentes noſtras conſtitutiones. Nihilominus malumus, ut alia ratione ſatisfiat Domino Comiti, ut omnes turbæ & incommoda evitentur. Quod ſperantes & expectantes reſponſum, Deum rogamus, Reverendiſſime Princeps & Domine, ut Dominationem Veſtram Reverendiſſimam in ſua ſancta conſervet protectione,

Veſtræ Dominationis Reverendiſſimæ

Hagæ 30. Junii 1653.

bene affecti amici
& vicini

Status Generales Provinciarum Fœderati Belgii.

(CXX.)

Litera FERDINANDI III. Roman. Imperatoris, ad WOLFGANGUM WILHELMUM, Comitem Palatinum Rheni, Lineæ Neoburgicæ, cui, ſupremo Circuli Weſtphalici Directori executionem cauſæ Ordinis Melitenſis contra quosdam in fœderati Belgii Provinciis ſitarum Commendarum uſurpatores committit, 1653.

Digitized by Google

Ferdinandus Tertius Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus.

Illustrissime Princeps, &c.

NObis Reverendissimus ac illustris Dominus Fridericus Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Hassiæ Landgravius, Ordinis S. Joannis Baptistæ per Germaniam Magister, & Amicus, Consanguineus & Princeps noster charissimus submisse significavit; Quamquam equestris Militensium Ordo adversus hæreditarium communemque Nominis Christiani hostem continuis expeditionibus occupetur, suasque facultates in solis Commendarum, domuumque Ordinis reditibus per totam Europam consistentes, iisdem impendat, quibus Provinciarum Belgii Generales Ordines magis, vel æque saltem ac aliæ Christianæ Nationes, fruantur; quippe navigiis Belgicis in mari Mediterraneo commercia gerentibus, & negotiationi maritimæ omnis ab Ordine præstetur securitas, conductus, & asylum, eaque suborto maris æstu, aliisve periculis in portum Melitensem recepta, quævis sentiant officia, amicitiamque; ut vel hinc Batavorum Nationem hunc militarem Ordinem benevolo prosequi affectu, omnem pariter præstare opem, neutiquam vero eidem adversari, aut, ut ille turbetur, pati oporteret, nihilominus tamen evenire, ut illius Ordinis Bajulivæ, Commendæ, Domus & bona in Civitate & Episcopatu Ultrajectino; Comitatu & Civitate Burana, in inferiori Geldriæ Betavia; circa Harderivicum; in provincia Sutbeverana; Medioburgi in Frisia; in provincia

cia Grueningana; Verdena, atque in civitatibus Auderwatterana, & Harlemienſi, in Hollandia, aliisque adhuc locis, ſub Ordinum Generalium territorio ſitis, conſtituta & ad Ordinem Melitenſem, Magnumque Germaniæ Prioratum, quodque huic conſectarium eſt, ad Imperium Romanum, intuitu Collectarum, Contributionumque ſpectantia, & annis quidem 1602, 1607. & 1625. ea circiter tempeſtate, qua illorum Commendatores Reipublicæ Chriſtianæ cauſa abſentes Melitæ degebant, indeque tardius redibant, a quibusdam Civitatibus, Nobilibus & Mercatoribus privatis, propria autoritate occupata, hodieque maximo, tam Equeſtris Ordinis, quam Sacri Romani Imperii detrimento uſurpata, ulterius adhuc detineantur, & neutiquam reſtituantur. Nulla ratione habita, quod Magnus Melitenſium Magiſter & nominati Cardinalis Dilectio, velut Magnus per Germaniam Ordinis Prior, apud Status Generales, legationibus variis, multisque, & iis quidem urgentibus poſtulatis, illorum bonorum reſtitutionem ſollicitari petique, ac inter cætera id Ordinibus in memoriam revocari curaverit, in pacificatione Gandavenſi de Anno 1576. art. 20. & hanc 9. Auguſt. 1577. ſubſequentibus mandatis: Item in Unione Ultrajectina, de Anno 1579. art. 14. vi contractus, fœderisque perpetui transactum concluſumque fuiſſe, ut non ſolum Domini ſeculares, verum etiam Prælati, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ, quarum fundationes & reſidentiæ extra Generalium Ordinum Provincias eſſent conſtitutæ, bonorum ſuorum in ipſis unitis Belgii Provinciis ſitorum, proventus, redi-

tus, proprietatem, usumque non tantum consequi, verum etiam eadem in perpetuum, citra omnem turbationem, molestiamque retinere, & quod, vigore mandatorum ante allegatorum, sub his ipsis (Unionis ac Pacificationis) articulis, Ordinis Melitensis quoque bona comprehendi debeant; hoc insuper addito, si quidquam a quopiam in contrarium tractetur tenteturve, illud omne nunc ex tunc, & tunc ex nunc nullum, irritum & inefficax esse oportere; idque sub firma suarum Provinciarum, Civitatum, Regionum, Subditorum, bonorumque obligatione, ita quidem, ut illa in cujusvis districtu aut territorio deprehensa, citra omnem contradictionem arrestari, detineri, vexarique queant ac debeant. Renunciatione hac in parte; quarumcunque exceptionum, privilegiorum, levaminum, omniumque beneficiorum, quovis modo ipsis deservientium (illius præsertim Juris, quo dicitur, Generalem renunciationem absque speciali præcedente non valere) omni meliori modo interposita. Quemadmodum igitur secundum allegatæ Pacificationis, mandatorum, Unionisque vigorem, restitutio bonorum nominatorum, quæ sub primos Bataviæ motus occupabantur, Anno 1580. illisque circiter temporibus iterum subsecuta erat; ita quoque hunc Ordinem, vi illarum Constitutionum apud bona sua inturbatum subsistere debuisse; nec Annis 1602. 1607. & 1625. sequentibus, cum ipsius Ordinis de Sacro Romano Imperio omnibusque Christianis, adeoque ipsis etiam Belgarum unitis Provinciis meritissimi summo detrimento, innocenter sua possessione a privatis exuendum, bona in hunc usque

usque diem detinenda fuisse. Enim vero cum neque Magnum Ordinis Melitensis Magistrum, neque sæpius nominati Cardinalis Dilectionem prædicti Ordines Generales ad literas ipsis tam efficaciter perscriptas, totque æquæ administrandæ Justitiæ factas instantissime postulationes, ullo responso sint dignati, multo minus justissima concessa restitutio, præterea tam nostrum sacrique Imperii, quam Ordinis Melitensis interesse hic versetur: ideo Nos sæpe nominati Cardinalis Dilectio obsequenter imploravit, rogavitque, ut hoc casu Nostram Cæsaream autoritatem interponere, hancque Cæsaream nostram commissionem Dilectioni Tuæ, utpote vicino Imperii Status circulique Westphalicnsis Principi ac Directori clementissime injungere dignaremur. Quamobrem cum Nobis vi supremi nostri Imperialis, quod gerimus, officii incumbat, Ordini imploranti, instar aliorum Nostrorum, Sacrique Romani Imperii obsequentium Statuum, ad recuperandum id, quod jure ei debetur, manum exhibere auxiliarem, & quidquid eidem contra æquitatem avulsum est, atque etiamnum detinetur, ejus restitutionem, quantum res patitur, fierique potest, pro viribus promovere.

Hinc natura rei habita deliberatione æquum consultumque judicavimus, Dilectioni Tuæ ea, quæ rei necessitas postulat, clementissime demandare. Eandem proinde harum virtute requirimus, ut ei, vi officii, quod velut Circuli Princeps & Director obtinet, rebus narratis ita se habentibus, plenioique prius a Cardinalis Dilectione cognitione accepta primo omnium, quod opus est,

ad dictos Ordines Generales perſcribere, eosque ad reſtitutionem bonorum Magno Melitenſium per Germaniam Prioratui detentorum debito adhortari, atque illis, quos Cardinalis Dilectio hujus negotii cauſa ad Generales Ordines ablegatura, eorumque opera uſura eſt, omnem opem exhibere lubeat. Id quod in commune Sacri Imperii bonum atque noſtrum clementiſſimum beneplacitum cedet. Nos vero perſiſtimus Dilectioni Tuæ clementiſſimo affectu dediti. Ratisbonæ die 26. Novemb. 1653.

(CXXI.)

Litera STATUUM S. R. IMPERII RATISBONAE IN COMITIIS CONGREGATORUM ad GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, quibus ipſis cauſam Ordinis Melitenſis impenſe commendant, 1653.

Salutem pronamque voluntatem & officia prompta, Celſi ac Potentes, Dilecti Amici, Domini ſingulariter colendi.

VEſtras Dominationes præſentibus, æquitate ſuadente, fieri oportuit certiores, & ex incluſarum tenore latius intelligent; qua ratione Imperialibus hiſce Comitiis, Domini Cardinalis de Haſſia &c. Dilectio ac Eminentia Illuſtriſſima velut Equeſtris Joannitarum Ordinis in Germania Magiſter per Legatos ſuos hic loci præſentes, gravatim ſignificari voluerit; Quamquam Neutralitatis inter Sac. Rom. Imperium, Unitasque Belgarum Provincias extempore belli motuum, illic excitato-

citatorum, inviolabiliter obſervatæ, Pacificationumque ante hac cum nominatis Provinciis initarum, vigore, prædictus Equeſtris Ordo, ut Imperii membrum, apud ſuas Commendas, Domos, bona jaraque & pertinentias, in Dom. Veſtrarum Territoriis & diſtrictu comprehenſas, quietus, inturbatusque perſiſtere debuiſſet. Nihilominus tamen eundem commendarum, Domuum & bonorum, quæ in civitate & Epiſcopatu Ultrajectino; Comitatu & Civitate Burana; inferiori Geldriæ Batavia, circa Harderivicum & Provinciam Sutheranam; Medioburgi in Friſia, in Provincia Grueningana; Verdenæ & in Civitate Autterwatterana in Hollandia aliisque adhuc locis ſita eſſent, a quibusdam privatis Civitatibus, Nobilibus & Mercatoribus, propria autoritate, ſpoliatum fuiſſe. Et quamvis eorum reſtitutio ex parte Equeſtris Ordinis, cum literis, tum ſumptuoſis legationibus jam ſæpius fuerit petita: hanc tamen, cum magno Ordinis gravamine & detrimento haud potuiſſe obtineri, juncta familiari ſimul ac clementi poſtulatione, nobis luberet, Dilectioni & Eminentiæ ſuæ, prædictoque Equeſtri Ordini in hoc negotio, velut totum imperium concernente, auxiliari porrecta manu rem effectu ipſo eo dirigere, ut hujusmodi gravamina mature tollerentur, huicque Equeſtri Ordini illud ipſum, quod ſecundum narrata, eidem ſubductum erat, citra moram reſtitueretur.

Cum ergo Nobis & reſpective Noſtris Clementiſſimis D. D. Principalibus, Superioribus, & Committentibus merito incumbat, atque id ipſum deceat, cuilibet ſtatui, & Sacri Romani Imperii mem-

bro, vi ſaluberrimarum illius legum & conſtitutionum in obtenta ſua immunitate, libertateque tueri, & manutenere; nec ullatenus permittere, ut unum alterumve inde avellatur, & in aliorum poteſtatem redigatur; nominatus autem Joannitarum Equeſtris Ordo, una cum omnibus ſuperiori & inferiori Germania comprehenſis Commendis, domibus, bonis, cæterisque pertinentiis indubitatum Sacri Romani Imperii membrum exiſtat, atque ſecundum ſuarum facultatum, in ſolis Commendarum reditibus proventibusque conſiſtentium valorem proportionemque inter Imperii collectas æſtimetur, & hinc prædictorum bonorum in Belgii unitis Provinciis detentorum defectus, non modo in totius Imperii, verum etiam in magnam commerciorum diminutionem cedat; quippe cum Ordinis hujus vires, quibus ille hæreditarium Nominis Chriſtiani hoſtem continuo proſequitur, inde debilitentur, & navigationes maritimæ tanto magis reddantur infeſtæ, atque hoc ipſum citra læſionem Neutralitatis inter Sacrum Romanum Imperium & DD. Ordines Generales, alias conſiſtere neutiquam poſſit. Ideo Nos, Noſtro & reſpective noſtrorum Clementiſſimorum & Clementium Dominationum Principalium, Superiorum & Committentium nomine, Dominationes Veſtras Præpotentes hiſce animo optimo amiceque requirimus; placeat ipſis, ſine prolongatione id effectui dare, ut prædicto Equeſtri Melitenſium Ordini, ſuæ in Belgarum unitis Provinciis avulſæ, ac interim detentæ Commendæ, Domus & bona, unaque illorum proventus, reditus,

jura,

jura, acceſſiones, literæ, Inſtrumenta, & quælibet reliquæ appertinentiæ, citra retardationem denuo reſtituantur, isque in priſtinum, liberum, partiumque ſtudia procul habentem ſtatum repoſitas, in eodem impoſterum quietus & inturbatus permaneat, & omnes hujusmodi, aliæve turbationes, ad meram contentionem & inquietudinem tendentes, Electoribus Statibusque proxime vicinis penitus præcidantur, auferanturque. Contra vero inter Sacrum Romanum Imperium & Dominos Ordines Generales hactenus obſervata Neutralitas, fiduciaque, jure vicinitatis fulta, facta tectaque conſervetur. Quemadmodum autem id æquitati conſonum eſt, ita vicisſim de Dominationum Veſtrarum Præpotent. gratificandi animo, nihil dubitamus. Dabantur Ratisbonæ die 5. Decembr. 1653.

Dom. Dom. Veſt. Veſt. Præpotent.
Amici, Benevoli & officioſi

S. R. I. hic præſentes Electores, Principes ac Status, abſentiumque Conſiliarii, Nuncii & Legati

Sigillarunt Collegiorum Directores
Elector Moguntinus, Elector Bavariæ,
Archiepiſcopus Salisburg. Dux Bavariæ
Prælati Sveviæ, Comites Wetteraviæ.

Nota: Ejusdem tenoris literæ mutatis ſaltem mutandis ad Dominos quoque Ordines Hollandiæ, Friſiæ Occidentalis, & ad Magiſtratum Civitatis Amſtelodamenſis exaratæ fuerunt.

(CXXII.)

Litera recredentiales, quas CAROLUS GUSTAVUS, Suecia Rex, Domino Piques, Residenti Gallico, ad LUDOVICUM XIV. Gallia Regem tradidit, 1654.

Nos Carolus Guſtavus Dei gratia Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Eſthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiæ & Vindaliæ, Princeps Rugiæ, Dominus Ingriæ & Wiſmariæ, Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Dux &c. Sereniſſimo atque Potentiſſimo Principi, Fratri conſanguineo, Amico & fœderato Noſtro chariſſimo, Domino Ludovico XIV. Franciæ & Navarræ Regi Chriſtianiſſimo, ſalutem & proſperos rerum ſucceſſus.

Sereniſſime ac Potentiſſime Princeps, Frater, Conſanguinee, Amice & fœderate chariſſime.

QUandoquidem Serenitati Veſtræ viſum fuit Reſidentem ſuum apud Aulam noſtram Dominum Picques huc avocare; poſtulavit arctiſſima illa, quæ Nobis cum Serenitate Veſtra intercedit amicitia, ut eundem benigne dimitteremus, de cætero hocce adjungentes teſtimonium, eum ita ſe hic geſſiſſe, ac fidum gnavumque Regis ſui Miniſtrum decet. Qui, ut amiciſſimi affectus Noſtri erga Serenitatem Veſtram teſtis eſſe poteſt, ita non dubitamus, quin ex mente Noſtra Serenitati Veſtræ explicaturus ſit nobis firmum ſtatutum-

que

que antiquam illam, quæ utraque hæc Regna conjungit, amicitiam perpetuo colere, reque ipſa comprobare, nihil nobis illa voluntate eſſe prius antiquiusque. Quibus finientes Serenitati Veſtræ omnia fauſta & felicia ex animo vovemus, eandemque recte valere cupimus. Dabam Stockholmiæ die 30. Decembris, Anno 1654.

Serenitatis Veſtræ

Bonus Frater, Conſanguineus Amicus & Fœderatus

Carolus Guſtavus.

(CXXIII.)

Literæ CAROLI GUSTAVI Suecorum Regis, ad JOHANNEM CASIMIRUM, quibus ſe ſumma neceſſitate inductum Poloniæ bellum intuliſſe, aſt minime juſtæ & honeſtæ patis, ſi locus ipſi detur, abſtemium eſſe refert, 1655.

Carolus Guſtavus, Sveciæ Rex &c. Joanni Caſimiro Poloniæ Regi &c. Salutem & Incolumitatem.

SI Serenitas Veſtra pacis perpetuæ tam fuiſſet cupida, utique tot occaſionibus conficiendi negotii non defuiſſet, nec tantam ſemper prælimi-naribus objeciſſet moram: eoque non præter opinionem Majeſtati Veſtræ accidere potuit, quod toties eluſi, lacesſiti & male habiti, contra pacta, Serenitati Veſtræ bellum intulerimus infeſtisque exercitibus ante decurſum induciarum ditiones ejusdem intraverimus. Quippe cum nec ceſſare inſtitutum Serenitatis Veſtræ videremus, quin oſten-

oſtentatione pacis perpetuæ Serenitas Veſtra tempus traheret, compluresque interea adverſum Nos inimicos excitaret; indigna contra honorem Noſtrum jure pactorum præſcriptum, Nobis obtruderet; neceſſum habuimus ad arma decurrere, eaque mala, quæ Nobis ac Regno Sueciæ imminebant modo omnibus gentibus jureque naturæ comprobato, ante finem induciarum, etiam Serenitate Veſtra aliis bellis diſtenta, prævertere. Neque juſtitiam cauſæ Noſtræ improbare videtur Serenitatis Veſtræ conſcientia, cum aliquando talem hoſtilitatem commeruiſſe, velut tacita conſenſione affirmet. Ceterum cum Serenitas Veſtra teſtetur, perſpectum ſe habere animum Noſtrum, perſuadeatque ſibi Nos vicisſitudinis humanæ gnaros, caſibus Serenitatis Veſtræ indolituros eoque mitteret ad Nos generoſum Dominum Przyiemski, Cameræ ſuæ familiarem, ut animum Serenitatis Veſtræ pacis cupidum conteſtaretur, ad eamque tractandam Nos invitaret; idcirco pro indole Noſtra ad tranquillitatem propenſa, mentem Noſtram hiſce duximus explicandam: videlicet non eſſe Nos a pace alienos, ſi modo honeſta, tuta ac decora ſit, conſentireque, ut cœpti Stockholmiæ tractatus, continuentur. Unde ad perficiendum breviori temporis ſpatio, tam ſalutare negotium haud parum prodeſſe arbitramur, Si Serenitas Veſtra legatos ad Nos mittat ſufficientibus Plenipotentiis inſtructos, cum quibus de loco & tempore convenire, mox de pace agi tractarique poſſit. Quod reliquum eſt optaremus Serenitatem Veſtram Remque

publi-

publicam Polonam meliori in ſtatu eſſe, rectiusque ante hac rebus ſuis conſuluiſſe, quo minus ad hæc extrema non deveniretur. Ita tum amore Regii ſanguinis, tum humanitate tacti & viciſſitudinis rerum humanarum probe gnari, infortunio Serenitatis Veſtræ dictæque Reipublicæ ex animo indolemus. Dabantur in caſtris ad Kolo, Anno M. DC. LV.

(CXXIV.)

Litera ARFUIDI WIRTENBERGII, Supremi Copiarum Succicarum Ducloris, ad STEPHANUM CZARNECIUM, ſummum Præſidii Cracovienſis præfectum, quem ſerio hortatur, ne urbem ad incitas redactam ultimo diſcrimini exponat, ſed eam potius Regi victori dedendo inſtanti tempeſtati ſubtrahat, 1665.

P. P.

HAćenus ambidextram ſtrenuitatem in Urbe, quam obtines Gubernator, luculenter monſtrati: videre te Sueci campo pugnacem; etiam vllo ac mœnibus clauſum, ejusdem animi & igoris experiuntur. Sed deſine ultra quam ſi neceſſum fortis eſſe, quia virtus in medio conſiſtit. Itane Rege Veſtro ſubducto, Exercitu uſo, deditis aut fidem ſecutis Provinciis, te ſolum hoſtem Sueci experiemur Czarneci? ſat ſæpe atque iterum parcentibus opponi? ſat gloriatoties reſtitiſſe invictiſſimo Carolo? ultra Clementiam laceſſere temeritatis erit. Elude quantum is ictus, reprime aſſultus, temne pyrotechni-

technicas artes: Interim fundes sanguinem, perdes nobilitatem, exhauries milites civesque, deinde famem, postremo qui vinces fata; ac ita, quæ nunc virtus, tunc pro illo tempore pro contumacia habebitur. Attende tempori, dum quos clementia optimi Regis usus servare potes, ne in exitium pervicacia trahas. Quibus præes servandos tibi commisit Casimirus non perdendos, defendendam urbem, non in exitium trahendam, & quæ armis asserere non vales, matura deditione incolumia præsta. Ut igitur urbem & Regiam & populum, tanquam fidei commissa de integro restituas victori, Jus est. Dab. in castris ante Cracoviam die 7. Octobris Anno 1656.

(CXXV.)

Litera STEPHANI CZARNECII, summi præfidi, Cracovienſis Præfecti, ad CAROLUM GUSTAVUM, Sueciæ Regem, cui Cracoviam proxime dedendam offert, ſed ea conditione, ut cedendæ urbis coarctatas res prius Johanni Caſimiro nuntiare ſit licitum, 1655.

P. P.

ALter jam a cœpta obsidione mensis evolvitur, ex quo admotis Metropoli Regni Nostri copiis, quid fortuna tua, quid constantia Nostra possit, Rex Serenissime, experiris. Tibi pro gloria certamen est; Nos Patriam defendimus, pro ea, quæ omnium charitates complexa, vel extremum spiritum profusuri. Quic in hanc diem armis profecerit, Majestati Vestræ liquet; nisi

niſi quod benignitas ex literis perſpecta, multum Nos moveat; cum generoſa pectora ferro cedere neſcia, potius quandoque manſuetudinis ac clementiæ artes trahant, quam minarum. His Majeſtas Veſtra effecit glorioſe, ut eam faventem, quam hoſtem quivis habere malit. Verum quia probatio benignitatis eſt exhibitio operis; tempus concedi petimus conſulendi Sereniſſimi Regis Noſtri Caſimiri, quo demum caſum diſpenſante, ſubmittemus neceſſitati vela, potierisque Cracovia, Sereniſſime Rex, non jam ut hoſtis, ſed Regis Noſtri Conſanguineus. Dab. Cracoviæ, Menſe Octob. Anno 1655.

(CXXVI.)

Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad GEORGIUM LUBOMIRIUM, Supremum exercitus Polonici Præfectum, cujus magnanimitatem nulla periculorum magnitudine concutiendam eximiis mactat laudibus, 1655.

Joannes Caſimirus Dei gratia
Rex Poloniæ &c.

Illuſtris ſincere Nobis dilecte.

QUemadmodum non ſine cauſa requirebamus, ut Sinceritas Veſtra ad conferendum in commune ſuper bono publico conſilium, Majeſtatem Noſtram conveniret, ita poſteaquam a Sinceritate Veſtra graves continuandæ in Scepuſio reſidentiæ accepimus rationes, lubentes illis acquievimus; Animadvertimus enim tam in

his,

his, quam in literali per Generoſum Lubovieckc data declaratione, in omnibus Sinceritatis Veſtræ progreſsibus inviolatam & ad Exemplum proponendam Sinceritatis Veſtræ erga Nos fidem, erga Patriam charitatem; Firmat Nos in eodem ſenſu conſilium iſtud, quod Sinceritas Veſtra in medium Collegii Senatorii intulit, in quo quænam accedente diligentia & auſpicio Noſtro facta fuerit concluſio Sinceritati Veſtræ notum facere non gravabimur. Ad præſens Sinceritatem Veſtram aſſecuramus. Quod omnes inclyti & hoc ævo raro viſi Sinceritatis Veſtræ conatus ultra perenne nomen & cætera præmia, per quæ ipſa ſibi virtus grandis fieri ſolet merces, immutabilem ac memorem gratitudinem Noſtram Sinceritati Veſtræ obligabunt. Bonam interim valetudinem a Domino Deo Sinceritati Veſtræ optamus. Datum Opoliæ die 18. Novembr. Anno M. DC. LV.

Joannes Caſimirus, Rex.

(CXXVII.)

Litera ANDREAE DE LESZNO, Regni Poloniæ Primatis, ad GEORGIUM LUBOMIRIUM, Regni Poloniæ Campi-mareſchallum, quibus ipſum, velut inter egregios Poloniæ viros, inconcuſſa conſtantiæ fidei & amori in Patriam tenacisſime inſiſtentes primarium, ſingulari plane demulcet elogio, 1655.

Illuſtriſ-

Illustrisſime Domine Mariſchalce Regni, Domine & Frater colendisſime.

ECquando tandem major affulſit opportunitas teſtandi congenitam unicuique Nobili virtutem & fidem erga Deum, Patriam & Regiam Majeſtatem atque in præſenti Reipublicæ calamitate! Non ſemel rorantibus ſuffundor lacrymis, dum triſti vulgante fama audio, inclytas & magnas Domos, quibus nulla ante hac adhæſit nota, nunc turpiſſimam perfidiæ incurrere maculam; & oblitos ſacroſanctæ fidei, oblitos earum, quas cum lacte ſuxerunt libertatum, promptiſſimis animis, ad ſubeundum turpiſſimæ ſervitutis jugum feſtinare. Verum hæc fatis imputanda, quæ tamen ſera poſteritas judicabit & cuique decus ſuum rependet. Parte altera, quid poteſt fingi pulchrius aut deliniendo voluptate animo accommodatius! Atq; videre tam multos & magnos viros inconcuſſa conſtantia, virtuti, fidei, amori in Patriam tenaciſſime inſiſtentes! Qui licet res pene deſperatæ videantur, animum tamen fiducia auxilii & miſericordiæ Divinæ erectum non deponunt, & avitam majorum familiarumque ſuarum gloriam, non modo retinere, ſed novo augmento proferre ſatagunt. Hæc gloria debetur & in omnem poſteritatem debebitur Celſitudini Veſtræ, qui tanto zelo & fervore adniteris, ut afflictam Patriam, ex hoc laqueo, in quem prolapſa eſt, ex jugo, quod vitio abortivorum filiorum ſuorum incurrit, eruas & priſtinæ reſtituas libertati. Ipſe Deus omnibus ſolatiis penſet ſollicitudinem hanc & quam largiſſimas

in prolem, totamque Domum Celsitudinis Vestræ benedictiones refundat, quod ego præmissa ex parte mea Gratiarum actione, intime Celsitudini Vestræ apprecor. Jam igitur sacra Regia Majestas &c. Itero meam gratiarum actionem; itero vota pro felici eventu moliminum & Progressuum Celsitudinis Vestræ concepta, & si Deo dante vita superfuerit, Liberatoris Patriæ Nomen & gloriam non modo privatim, sed publice Celsitudini Vestræ tribuam. Multum indoleo, quod tametsi animitus optarem Regiæ Majestati Comes itineris hujus adjungi, valetudine tamen affecta obstante, & his, quæ me assidue cruciant, pathematibus, retineor, attamen quemadmodum meditata Celsitudinis Vestræ votis prosequar, ita etiam parte altera in providendo bona non lentescam. Interim me Gratiæ Celsitudinis Vestræ commendo. Datum in minori Glogovia 12. Decemb. Anno 1655.

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ,

Addictissimus frater & servus

Andreas de Leszno, Archiepiscopus Gnesnens. Mppr.

(CXXIIX.)

Litera JOHANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, ad GEORGIUM LUBOMIRIUM, summum exercitus Polonici Imperatorem, quibus ipsi rerum Polonicarum servatoris nomen tribuit, seque quamprimum in Poloniam per Hungariam rediturum esse, significat, 1655.

Joan-

Joannes Caſimirus, Dei gratia Rex Poloniæ &c.

Illuſtris, ſincere Nobis dilecte.

DElectarunt Nos multum fortunata initia redeuntis ad obſequium exercitus Noſtri; nec illud minus, quod devoti in id Sinceritatis Veſtræ conatus tam patenter felici reſplendent eventu, ut audacter ſinceritatem Veſtram pro primario reſtitutionis Noſtræ recognoſcentes cooperatore & Principali Gratiæ divinæ Nobis exhibitæ inſtrumento posſimus deinceps non invidioſa Sinceritatis Veſtræ operam & promptitudinem rependere Gratitudine totamque Noſtram in Sinceritatem Veſtram reclinare fortunam ac deponere confidentiam. Dabimus horum occurrente occaſione ad requiſitionem Sinceritatis Veſtræ documenta, & oretenus in his aſſecurabimus Sinceritatem Veſtram, ſiquidem intra duos dies recta Scepuſium verſus, per confinia tamen Hungariæ movebimus, non dubia ſpe ſubnixi, quod illic quoque nova & Deo dante felicia Sinceritatis Veſtræ pro Majeſtate Noſtra & libertate Patriæ ſolicitudinis experiemur argumenta. Ad quæ perficienda, ut Deus vires ſuppeditet, Sinceritati Veſtræ bonam ab eodem valetudinem precamur. Dat. in minori Glogavia die 16. Decembr. Anno 1655.

Joannes Caſimirus Rex.

(CXXIX.)

Litera BURCHARDI MULLERI, Exercitus Specici Generalis, ad PRIOREM ET

Digitized by Google

PRAESIDIUM MONASTERII CLARI MONTIS CZENSTOCHOVIENSIS, quibus eos hortatur, ut fortalitium confestim aut dedant, aut pertinaciam suam LXXX. millium Imperialium summa redimant, 1655.

Reverendi, Illustres, Magnifici, Generosi Domini.

VEndunt Nobis literæ Vestræ, solito more, nihil nisi fumum, fumo flammaque dignum, meras ceremonias loquendo, in ceremoniis moram, in mora pertinaciam, qua subjectio Regi Sveciæ, tam potenti & gratioso Domino eluditur. Quid faciamus præter id, quod factum est? dum frontem silice duriorem Clementi Regi hactenus obvertitis? Quod vero perditio Vestra ex vobis sit, probe intelligitis. Attamen in superabundanti duplicem Vobis incolumitatis viam candide proponimus: aut fortalitium vosque omnes in Protectionem Regiæ Majestatis Sveciæ, Domini Nostri clementissimi dedatis; aut juramento fidelitatis præstito in satisfactionem pro diuturna obstinatione & damnis toti Regno illatis simul in debitam Imperii recognitionem XL. millia Imperialium religiosi; Nobiles introexistentes altero tanto, sine ulla exceptione ac tergiversatione exsolvatis. Si in altero dilemmatis non satis fit, pro ea obstinatione Busiridis ara, aut Perelli tauro digna, pro merito, æquali mensura retaliabimini. Datum in Castris die 25. Decembr. Anno Christi 1655.

(CXXX.)

Literæ OLIVERII CROMWELLII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* FRIDERICUM III. *Daniæ Regem, quibus navem cum mercimoniis ad Mercatores Londinenſes pertinentem, perfidia vero & culpa navarchi, ob portorium Regio telonio ſubductum, fiſco inique adjudicatam, quam primum legitimis poſſeſſoribus reſtitui impenſe petit, 1656.*

Serenisſime & Potentisſime Princeps.

QUeſti ſunt per libellum ſupplicem ſuo aliorumque mercatorum Londinenſium nomine Nobis exhibitum Joannes Fremanus & Philippus Traveſius, hujus Reipublicæ Cives, ſe circiter menſem Octobris 1653. cum in navem quandam Sunderburgenſem, cui nomen Salvatori, Nicolao Weinſchincks magiſtro, merces varias, pannum laneum aliumque veſtem textilem ac mercimonia plus tribus millibus librarum æſtimata impoſuiſſent, magiſtro mandaſſe, ut per fretum Balticum recto curſu Dantiſcum navigaret, utque ad Elſenoram vectigal ſolveret, eique etiam pecuniam ad eam rem curaſſe: ſupradictum tamen magiſtrum perfidioſe, & contra quam ipſi a mercatoribus mandatum erat, prætervectum Elſenoram, nullo portorio ſalutis, Balticum pernavigaſſe. Navisque per hanc cauſam, cum toto onere non ſine magno mercatorum damno publicata atque retenta eſt. Quorum in gratiam jam pridem ad Legatum Maje-

ſtatis Veſtræ Londini tunc temporis commorantem ſcripſimus; qui, uti ipſi ajunt, pollicitus eſt, ut primum ad Majeſtatem Veſtram rediiſſet, daturum operam, uti ratio mercatorum haberetur. Verum cum is poſtea aliis in regionibus Majeſtatis Veſtræ negotia obiret, & ante diſceſſum ejus & poſtea fruſtra ſe eum adiiſſe oſtendunt: unde procuratorem ſuum mittere coacti ſunt, qui jus ſuum Hafniæ perſequeretur, navemque illam ac bona liberari ſibique reddi flagitaret: verum exinde nullum ſe fructum percepiſſe, niſi ut damno veteri novas impenſas, & ſuſceptum fruſtra laborem adjungerent: cum fiſco damnata & retenta hactenus ſint bona, tametſi ex lege Daniæ quemadmodum ipſi in libello ſuo demonſtrant, magiſter quidem navis ob ſuum delictum eſt ipſe puniendus, navisque non bona proſcriptioni ſunt obnoxia: eoque gravius accidiſſe ſibi hoc malum exiſtimant, quod, ſicuti nobis perlatum eſt, vectigal illud, quod Elſenoræ ſolvere debuiſſet, eſt admodum exiguum. Quapropter cum mercatores noſtri nullam proſcriptioni cauſam præbuiſſe videantur, confeſſusque ipſe Magiſter paulo ante obitum ſit, ſuo ſolum delicto illatum hoc mercatoribus detrimentum eſſe, cumque pater defuncti jam Magiſtri ipſe per libellum ſupplicem Majeſtati Veſtræ exhibitum, ſicuti Nos accepimus, culpam omnem in filium ſuum contulerit, mercatores abſolverit, haud ſane potuimus, quin navis illius bonorumque retentionem iniquiſſimam eſſe arbitraremur; adeoque confidimus, ſimul atque Majeſtas Veſtra hac de re certior facta

erit,

erit, fore, ut non modo has miniſtrorum ſuorum injurias improbet; verum etiam ipſos rationem reddere bonaque illa ſuis Dominis eorumque procuratoribus, quam primum reſtitui damnaque inde data ſarciri jubeat. Quod & Nos a Majeſtate Veſtra majorem in modum petimus, utpote rem usque adeo æquam & rationi conſentaneam, ut æquiorem petere aut expectare in cauſa tam juſta Noſtrorum Civium non poſſe videamur, haud minus æqua veſtris ſubditis, quoties data occaſio erit, reddituri. Weſtmonaſterio die - - Februar. Anno 1656.

Majeſtatis Veſtræ

Studioſiſſimus

Oliverius, Protector Reipublicæ Angliæ &c.

(CXXXI.)

Litera recredentiales ab OLIVERIO CROMWELLIO, *Reipubl. Anglicanæ Protectore, Joanni Roderico de Saa Meneſes, oratori Luſitanico, ad* JOANNEM IV. *Luſitaniæ Regem datæ, 1656.*

Serenisſimo Principi Johanni Quarto Luſitaniæ &c. Regi.

Sereniſſime Rex,

QUam pacem & amicitiam cum Anglicana Republica Majeſtas Veſtra legatione ampliſ-

sima ac splendidissima jam pridem ad Nos missa expetivit, eam a Parlamento, quæ tum potestas rebus præfuit, inchoatam & a Nobis summo semper studio exoptatam, Deo imprimis favente, proque ea, quam accepimus, Reipublicæ administratione, feliciter tandem confecimus, & in perpetuum, uti spes est, sanximus. Itaque Legatum Vestrum extraordinarium, Dominum Johannem Rodericum de Saa Menesses, Comitem Pennaguiadanum, virum cum Majestatis Vestræ judicio comprobatum, tum humanitate, ingenio, prudentia, fide præstantissimum a Nobis repertum, cum expleti muneris egregia laude & reportata secum pace vobis reddimus. Quod autem per literas secundo die Aprilis Ulyssipone datas, Majestas Vestra, quanti Nos faciat, quamque impense dignitati Nostræ faveat, Nosque Rempublicam suscepisse gubernandam quantopere lætata sit, haud obscuris indiciis singularis benevolentiæ testatur, id vero mihi gratissimum esse, ex meis in Majestatem Vestram paratissimis omni tempore officiis, dabo operam, ut facile posthac omnes intelligant. Neque segnius interea pro incolumitate Vestra, vestrique regni felici statu, rerumque prospero successu conceptis ad Deum precibus contendo.

Majestatis Vestræ

Westmonasterio die --
Febr. Anno 1656.

studiosissimus
Oliverius Reip. Angliæ, Scotiæ,
Hyberniæ &c. Protector.

(CXXXII.)

(CXXXII.)

Litera ARFRIDI WITTEMBERGII, ſupremi copiarum Sveticarum ductoris, ad JOANNEM ZAMOISCIUM, Regni Poloniæ Senatorem, cui ſerio ſvadet, ut ſe recluſis Samoiſcii portis & præſidio Svecico amice recepto præſenti diſcrimini ſubducat, & res ſuas in tuto collocet, 1656.

Arfridus Wittembergius &c. Joanni Zamoſcio &c.

VIx credibile portas Zamoſcii occludi invictiſſimo Sveciæ Regi, quem protectorem univerſum Sarmatiæ Regnum fide & obſequio juratis accivit colitque Regem ſibi mox imponendum. Itane vero laudata, Zamoſci, magnanimitas tua in pertinaciam tranſit? & quæ in hoſtem Patriæ expeditæ fortitudinis titulum meruiſſet virtus, jam nunc contra benevolentem Regem hoſtiliter inſurgens, mira metamorphoſi in vitium degenerabit. Invictiſſimumne Svecorum Regem ſpernet privata Civitas? quem Metropoles Provinciarum Cracovia, Poſnania, Varſavia, Thorunium &c. cum plauſu recepere? Unusne Civis omnium conſenſum morabitur, & præſumet ſolus aſpernari conſilia, quæ omnibus placent? Sed meliora de te, Zamoſci, jam innata virtus tua, jam culta civiliori peregrinatione adoleſcentia ſperare jubent; ſi tibi redditus moroſa abdicabis conſilia, omnia tibi in ſolatium, ubi tu Regi invicto, ceſſura. Ergo occurre

prudens discrimini & durum ne irrita telum necessitatis. Si fidis verbo Regio, ingenuitatis erit; si committis te tuaque, erit prudentiæ, nec extra utilitatem, incolumi in præsens patrimonio totius Poloniæ curam a Rege recepturus. Vale. Datum ex castris 2da Martii Anno 1656.

(CXXXIII.)

Responsoria JOHANNIS ZAMOISCII, ad præinsertas ARFRIDI WITTEMBERGII literas, 1656.

Johannes Zamoiscius &c. Arfrido Wittembergio, &c.

GRatior cunctis in has oras Sereniſſimi Svecorum Regis adventus foret, si modo pacatus non armatus veniſſet; Nam ubi hoſtilitas nulla, ibi etiam apparatus & terror belli inutilis, cum Protectio operari debeat, in adverſos armis in pacatos beneficiis. Cæterum pro avito meo hæredio, oppido ſane exili, vim deprecor, cum reſtent tanto Regi, eximio bellatori, patratu majora. Quod si ſol Regum Symbolum, luce, motu & tacitis influxibus in ſe hominum oculos & ſpem anni convertit; etiam Reges ad benigni ſideris modum habeant neceſſe, quibus ſua tribuere, quam petere aliena, convenientius eſt. Traditionem loci quod attinet, fide data Sereniſſimo Johanni Caſimiro, Electo mihi Regi & uncto Domini prohibeor; quam in extrema tueri inviolatam, non patrimonii modo, ſed vitæ diſpendio fixum manet. In reliquo devotus

votus ero cultui Serenisſimi Svecorum Regis, cujus etiam nunc maneo ſervitio promptus. Dab. Zamoſcii, die 2. Martii, 1656.

(CXXXIV.)

Literæ OLIVERII CROMWELLII, *Protectoris Reipublicæ Angliæ, ad* GENERALES FOEDERATI BELGII ORDINES, *quibus pro Thoma & Guilielmo Lower in cauſa obtinendæ Hæreditatis per mortem Nicolai Lower ad eos devolutæ ſollicite intercedit, 1656.*

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ
Excelſis & præpotentibus Dominis
Fœderati Belgii Ordinibus
S. D.

Excelſi & præpotentes Domini, amici chariſſimi.

COnqueruntur apud Nos graviter iidem, de quibus antea circa idus Sept. ſuperioris anni literas ad vos dedimus, Thomas & Guilielmus Lower, defuncti Nicolai Lower hæredes legitimi, ſe adverſariorum ſuorum ſive gratia ſive opibus oppreſſos, quamvis cauſa ſua imprimis optima, & cum id ſatis non eſſet, literis etiam Noſtris ter deinceps commendati fuiſſent, impetrare hactenus nullo modo poſſe, ut relictam teſtamento hæreditatem adire ſibi liceat: Ab Hollandiæ foro, ubi primum actio inſtituta erat, veſtram ad curiam rejecti, inde in Zelandiam transmiſſi (quæ

tria

tria in loca totidem noſtras literas attulerunt) ab Zelandia nunc rurſus ad veſtrum ſummum judicium haud inviti remittuntur: ubi enim poteſtas ſumma eſt, ibi æquitatem quoque ſummam eſſe ſperant; ſi ea ſpes fallat, eluſi atque irriti, poſt hanc tantam juris obtinendi cauſa concurſationem ſuam, quem demum conſiſtendi locum habituri ſint, neſciunt; Nam de literis Noſtris, ſi his jam quartis nos viderint nihil proficere, non eſt, ut impoſterum quicquam ſibi polliceantur. Nobis certe gratiſſimum erit, ſi poſt tot rejectiones, facto ſine mora judicio, hæredes plurimum quidem in æquitate atque juſtitia veſtra, aliquid etiam in autoritate apud Vos Noſtra præſidii ſibi fuiſſe intellexerint. Quorum de altero non dubitamus, alterum vel amicitiæ Noſtræ daturos vos eſſe confidimus.

Excelſarum & Præpotentum Dominationum Veſtrarum

Weſtmonaſterio die --
Maji, Anno 1656.

ſtudioſiſſimus

Oliverius Protect. Reip.
Angliæ &c.

(CXXXV.)

Litera OLIVERII CROMWELLII, Protectoris Reipublicæ Anglicanæ, ad COMITEM MIRANDUM, primarium ſtatus in Luſitania Mini-

Miniſtrum, quibus eximia ejus in Rempubl. Anglicanam & pacem inter utramque gentem ſtabiliendam ſtudia effuſe laudat, & ſceleris Philippo Meadowio intentati auctores & miniſtros ſevere puniri cupit, 1656.

Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ Illuſtriſſimo Domino Comiti Mirano S. D.

Illuſtriſſime Domine,

SIngulare tuum erga me atque hanc Rempublicam ſtudium haud mediocriter Nos demeruit, tibique devinxit: id Veſtris ex literis 25. Junii proximi ad me ſcriptis facile perſpexi, tum etiam ex iis, quas ab internuntio noſtro Philippo Meadow conficiendæ pacis cauſa ad Luſitaniæ Regem a Nobis miſſo, accepi: quibus is de eximio Veſtro ſtudio atque opera in hac pace tranſigenda abunde nos docuit: hujus noviſſimam ſanctionem & accepi libentiſſime, mihique perſuadeo fore, ut neque collatæ in hanc pacem operæ tuæ, neque in Anglos benevolentiæ, neque fidei erga Regem hac in re ſpectatæ unquam te pœniteat: quandoquidem, annuente Deo, ſperandum eſt, hanc pacem & utrique genti permagna emolumenta & hoſtibus incommoda haud exigua eſſe allaturam. Quod ſolum in hoc negotio triſte atque infauſtum accidit, fuit illud facinus in internuntium noſtrum Philipum Meadowes nefarie ſuſceptum atque tentatum: cujus in occultos auctores haud ſegnius inquiri-

quiri oportuit, quam in manifestos sceleris ministros: atque de Regis Vestri justitia ac severitate in tanto scelere puniendo, neque de tua cum primis ad eam rem opera, ut qui fas piumque colas, & pacis inter utramque nationem studiosus fueris, dubitare possum; quæ quidem stare nullo modo potest, si facta hujusmodi nefaria impunita atque inulta ibunt. Verum tua facinoris illius nota detestatio facit, ut necesse mihi non sit, plura de hac re in præsentia dicere: Cum itaque de mea erga te benevolentia, quam & rebus omnibus demonstrare paratissimus ero, certiorem te fecerim, extremum illud est, ut te tuaque omnia divinæ benignitati ac tutelæ a me scias esse commendatissima

Amplitudinis Vestræ

Ex Palatio Nostro Westmonast. die -- Aug. An. 1656

studiosissimus

Oliverius, Protector Reip. Angliæ &c.

(CXXXVI.)

Literæ ALEXANDRI KONIECPOLSKII, Vexilliferi Regni Poloniæ, ad CAROLUM GUSTAVUM, Svecorum Regem, quibus ipsi suo & aliorum quorundam Procerum Regni Poloniæ nomine se, jubente sic fide Patriæ data, ad castra legitimi Regis sui redire paratos esse nuntiat, 1656.

Sere-

Serenisſime Rex.

INtaminata Polonorum in Principes ſuos fides, vel ex eo orbi univerſo probata eſt, quod cum hæreditaria Regna connivente nonnunquam oculo, tragicos Dominorum ſuorum ſpectaſſent exitus, Poloniæ Reges nullibi ſecurius dormiant, quam gremio excepti ſubditorum. Indignum quippe majoribus Noſtris videbatur, quos ſibi libera voce nec coactis ſuffragiis conſtituiſſent Principes, vel minima infidelitatis labe violare. Hinc & Nos, qui nuper inimica Fatorum conſpiratione, externam Protectionem quærere cogebamur, nunc redeunte Sereniſſimo Rege Joanne Caſimiro, Domino Noſtro Clementisſimo, non tantum datæ Electo per Nos & coronato Principi fidei memores, verum etiam gravioribus violatæ Religionis & libertatis injuriis, tum majorum fratrum ac concivium Noſtrorum in deſertores communis cauſæ Edicto compulſi, eadem manu ductrice fide, ad gremium Patriæ redire cogimur. Neque id transfugarum more apparamus, palam facturi, non tam Nobis animum ad obſequia Majeſtatis Veſtræ defuiſſe, ut non magis vita carioris Patriæ cauſam amplecteremur: Proin Majeſtatem Veſtram ex communi omnium aſſenſu demiſſe precamur, quatenus libere ad Regem ſuum redeuntes (Regio Majeſtatis Veſtræ Verbo hac in parte aſſecurati) in ſerum ad Poſteritatem fidei Noſtræ teſtimonium, literis ſuis concomitari dignetur. Et dabit credimus Majeſtas Veſtra veniam arma non contra ſe, ſed pro Patria feren-

ferentibus, ac prosequetur hoc nihil obstante gratia eos, qui excepta Patriæ causa sumus

Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ

Dabantur in Castris ad Tyckocinium Anno 1656.

respective servi.

FINIS

PARTIS PRIMÆ.

005656620

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google